

R. P.

MAXIMILIANI SANDÆI

ECCLESIA

MILITANS

AD

SERENISS.^{mum} & REVERENDISS.^{mum}

MAXIMILIANVM

HENRICVM

ARCHIEPISCOPVM COLONIENSEM.



R. P.

MAXIMILIANI SANDÆI

SOCIETATIS IESV DOCTORIS THEOLOGI

MILITIA CHRISTIANA

De qua differitur Theologicè, Ethicè, Politicè, per analogias ad Militiam Hebraicam, Græcam, Romanam.

THEOLOGIA MILITARIS.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud [illegible] Kalcovium, Anno M. DC. [illegible]

[illegible] & Privilegio.

SERENISSIMO

ET

REVERENDISSIMO

PRINCIPI

MAXIMILIANO

HENRICO

ARCHIEPISCOPO

ET

ELECTORI

COLONIENSI

S. ROM. IMP. PER ITALIAM ARCHICANCELLARIO

EPISCOPO

HILDESHEIMENSI & LEODIENSI

ADMINISTRATORI

BERCHTESGADENSI

COMITI PALATINO RHENI, DVCI VTRIVSQVE BAVARIÆ, WESPHALIÆ, ANGARIÆ, BVLLIONI: MARCHIONI FRANCHIMONTANO

Felix Gubernationis Auspicium

O. V. P.

MAXIMILIANVS SANDÆVS.

Serenissime.

CVM ante annos aliquot, ætate junior COLONIAM venisses (a) gratulatus fui adventum, tanquam benigni sideris, Dedicatione libri, studiis tunc tuis juvenilibus aptissimi, & dedi PALÆSTRAM PIETATIS ERVDITÆ, sive PÆDIAM ACADEMICI CHRISTIANI, Principi Iuventutis accommodatam, plenam præceptorum bonorum.

(a) Anno 1657.

norum. Quam cùm accepisset etiam Serenissimus FERDINANDVS, laudatissimæ memoriæ Princeps Patruus Tuus, dedit ad me litteras manu suâ exaratas, cujus particulam aliquã hic adpono, quia continere eas opinor, certè, exopto, oraculum prudentissimi Senis de suo Nepote. Sic enim scribebat: *Litteras R. V. unà cum libro inscripto,* Pædia Literati Christiani, *Carissimo Nepoti meo,* MAXIMILIANO HENRICO *Duci dicato, rectè accepi. Quod autem bonam de Nostro Nepote conceperit spem, non parum Nos recreat. Confido fore, ut crescente ætate, crescat Pietas, crescat animus, non solùm ad labores Scholasticos, quò Artes liberales studiosè excolat, & vera Virtutum fundamenta Principe Ecclesiastico digna jaciat; verùm etiam, suo tempore, Nobis in onere Episcopali, DEO favente strenuum* COADIVTOREM *agat. Et quæ in Vinea Domini, (Nobis injuriâ temporum impeditis) non sufficienter elaborata invenerit, magno animi conatu, & strenuo labore perficiat. Ad quem finem, eundem* Nepotem *Nostrum sæpius animari, admoneri, obsecrari, & si fuerit opus, exstimulari cordialiter opto & desidero. R. V. Sacrificiis, & precibus his festis Paschalibus me ex animo commendans, eidem gratiam nostram benignè offero.* Bonnæ feria III. Paschæ M. DC. XXXVIII. Addictiss. *Ferdinand.*[us] Elector Coloniens. Hæc eventum sortita, ad præsagitionis, si non oraculi, effectum, vidi, & gavisus sum.

POSTEA, cùm Canonicâ electione, & Pontificiâ approbatione COADIVTORIS officium, dignitatem, honoremq; consequutus esses, iterum calamum arripui, & gratulatus sum, oblatione libri, de ADMIRANDIS PVRGATORII, ubi potentes potenter tormenta patientur, nisi in Infernum præcipitentur. Quare protestatiunculâ usus sum, ne indignarentur fortasse velut molesto gratulatori, qui Te circumstant. Et dicebam, Tuâ confisus pietate, & animi magnitudine. *Qui Tibi, Sereniss.* MAXIMILIANE HENRICE, *qui Sibi, Tui gratiâ, qui Ecclesiæ, propter Te, gratulantur hoc tempore; ii, tristibus amandatis, tanquam malè ominosis, non nisi læta & amœna occinunt, ac comprecantur. Ego contrà, in tam publicâ, communiq; lætitiâ Archidiœcesis, cujus nuper Electus legitimè* COADIVTOR, *Pontificiâ auctoritate nunc*

(a) *Anno 1643.*

nunc es Confirmatus, GEMITUS *offero Animarum Purgatorii, & induco Te in Theatrum Iustitiæ, ac Officinam tormentorum Nihilominus officio congratulantis, melius me fungi existimo, certè, utilius, quàm lætantium quemquam: memor temporis, quo vivimus, luctuosissimi; memor vallis lachrymarum, in quâ degimus; memor oneris* TIBI *impositi, Angelicis humeris formidabilis; sub quo gemes, nisi humeros subducere volueris: quod avertat, qui imposuit,* DEUS.

IAM verò, ad Eminentissimum Culmen evecto, (*a*) EPISCOPO, ARCHIEPISCOPO, ELECTORI, non gratuler, tum meo privatim, tum Societatis universæ publico, ac signatè, COLONIENSIS, HILDESHEIMENSIS, & LEODIENSIS nomine? facio equidem, ac libenter facio, & effusissimè facio, dicato consecratoque Volumine, in quo formatur omnibus suis numeris absolutissimus PRINCEPS ECCLESIASTICUS: in quo demonstratur, quod sit in Ecclesiâ Militante Episcopi officium, quis gradus, quæ dignitas. Quomodo obligationi, erga DEUM, erga Proximum, & erga seipsum possit, ac debeat satisfacere. Quibus, in familiâ instituendâ in Republicâ administrandâ, in Ecclesiâ tuendâ, exornandâ, augendâ uti debeat præceptionibus, documentis, industriis. Quæ omnia exponuntur in eo Opere, cui titulum præfixi, ECCLESIA MILITANS. In quâ CAPUT aliquatenus constitutus es, EMINENTISSIME PRÆSUL, Tibique convenit quadamtenus, quod Regi Davidi iteratò ingerebatur, ut animaretur: *Hæc dicit DEUS Israël. Exaltavi Te de medio populi. Et dedi Te* DUCEM *super populum meum Israël:* (*b*) *Tu pasces populum meum Israël, & Tu eris* DUX *super Israël.* (*c*) Qualis DUX? haud dubiè MILITARIS, quippe in ECCESIA MILITANTE. Quod aliquâ indiget explicatione, quam adjungo: ut declaretur melius libri multiplicis inscriptio, & Episcopi in ECCLESIA CATHOLICA munus laboriosum: cùm illi dicatur: LABORA *sicut* BONUS MILES CHRISTI IESU. Accipe, *Reverendiss. Antistes,* & perlegat, rogo CELSIT. T. patienter.

REGI Seculorum Immortali, & Invisibili, Soli DEO, perpetuum est bellum cum capitalissimis suis & generis humani hostibus, Cacodæmone, Mundo, Peccato. Contra quos, sub

 Impera-

(a) FERDINANDO *p. defuncto Anno* 1650. *Septemb.* 13. (b) *Lib.* 11. *Reg.* XIV. 7. (c) *Lib.* 11. *Reg.* v. 2.

Imperatore Christo, cujus auspiciis ductuque geruntur omnia, potentissimum conscripsit Exercitum in Ecclesiâ. Cujus communissima, & celeberrima est divisio, in MILITANTEM & TRIUMPHANTEM. Ecclesia Triumphans est multitudo Beatorum in cælis DEO fruentium, quam Apostolus vocat (a) *Ecclesiam gloriosam*, non habentem maculam neque rugam. Quæ etiam dicitur *Regnum DEI*, & *Ierusalem Sancta*: *Tota pulchra.* (b) In eâ non est amplius dolor, neque luctus, aut lucta, sed summa jucunditas, pax, & tranquillitas.

ECCLESIA MILITANS est aggregatio fidelium sub cultu veri DEI in vitâ mortali agentium. Quæ bifariam consideratur. *Primò*, quatenus complectitur universam fidelium multitudinem ab initio orbis usque ad finem rectâ fide DEUM colentium. Et dividitur in Novum ac Veterem populum; ut docet S. Augustinus, contra duas Epistolas Pelagianorum libro III. capite 4. *Secundò*, prout continet multitudinem fidelium Novi Testamenti; quam *Suam* dicit Christus Matthæi XVI. substernens illi fundamentum, & Petram, PETRUM. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meã. Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hæc autem sive accipiatur pro totâ multitudine & ovium & Pastorũ, ut Matthæi XVI. & Actuum Apostolicorum V. sive pro solis Pastoribus, & Prælatis, Matthæi XVIII. ubi Christus vult Ecclesiam audiri: sive pro ovibus duntaxat, Actuum XX. ubi dicuntur missi Episcopi à Spiritu-Sancto ad regendam Ecclesiam DEI: denique, sive denotet multitudinem ubique gentium dispersam, ut cùm dicitur esse *Columna & firmamentum veritatis*, I. ad Timotheum cap. III. sive privatam ac particularem, ut, Verbi Causâ, Ecclesia, quæ est *Coloniæ*, *Hildesheimii*, *Leodii*, rectè idcircò appellatur MILITANS, quia semper & ubiq; militat DEO & CHRISTO: ac pugnat jugiter contra *Portas* inferi, contra Spiritualia nequitiæ, denique, contra Vitia & Concupiscentias, contra Carnem & Sanguinem.

ATQUE ita quicumque in illâ vivit mortalis, est MILES: & quidem si officio satisfacere velit, CHRISTIANUS debet laborare,

(a) *Ephesios* V. (b) *Cantic.* IV.

rare, ſicut *Bonus Miles Chriſti* IESV, ut hortabatur Diſcipulum ſibi dilectiſſimum Timotheum, (a) quem Epiſcopum Epheſi conſtituerat, Paulus Appſtolus. In Eccleſiâ autem universâ, immò, in qualibet particulari, cùm ſint tres Ordines, hi ipſi ſunt veluti Copiæ militares, quæ unum conſtituunt Exercitum, numeroſum illum ſanè, & benè ordinatum. Quicumq; enim degunt in Eccleſia Chriſti, vel ſunt *Laici*, vel *Clerici Seculares*, ſive, ut generali nomine vocantur, *Eccleſiaſtici*, vel *Religioſi*, quorum plurimi ſunt *Clerici*, ſed *Regulares*: at omnes, & ſinguli, MILITES: ut haud malè pronunciaverit Quidam, & juramento ſanctè firmare voluerit: non niſi MILITIBVS ſpem ſalutis ſupereſſe, nec ſalvari alios, quàm *Milites*. Quod cùm paralogum videretur, & exſibilandum, aſſeruit, quod eſt in confeſſo apud omnes: Extra Chriſti Eccleſiam nulli eſſe ſalutem. Quid clarius? quid certius?

EXERCITVS iſte, qui eſt Domini, habet pro *Vexillo*, Crucem: pro *Teſſerâ*, Baptiſmum: pro *Armis*, Sacramenta, Verbum DEI, Miracula, Bona opera. Et quoniam eſt rectè ordinatus, PRIMARIVM DVCEM habet unum, CHRISTVM. Cujus *Vicarius*, ſeu *Legatus*, aut, ut nunc loquimur, *Locum-tenens*, eſt Epiſcopus Romanus, Pontifex Max. oculis aſpectabilis: ſinguli verò Eccleſiæ DVCEM ſuum, ſub CHRISTO & PAPA agnoſcunt SECVNDARIVM, qui eſt, diciturque, EPISCOPVS divinitus datus, & electione legitimâ probatus, quem ſequuntur. Illius eſt Exercitum Chriſti & ſuum ducere in hoſtem, immittere in legiones adverſariorum præire ad prælium: ad bellum exire primum, ultimum verò, aut nunquam redire: inimicorum agminibus interitum ſe cum ſuis opponere: manus ſuorum docere ad prælium, & digitos eorundem ad bellum, exemplo ac ſermone: factis æquè ac dictis.

Epiſcopi eſt, tanquam Ducis Exercitus DEI SABAOTH, aciem inſtruere, armis decernere, collato pede, manuque in Eccleſia, & pro Eccleſia præliari. Epiſcopi eſt, nunquam non in procinctu pugnæ, & ad confligendum paratum ſtare: hoſtem laceſſere, fugare, internecione delere. Epiſcopi eſt, bellū

)( )(indicere,

(a) II. ad Timoth. II, 3.

indicere, militem auctorare, copias educere: campum nunquam deserere: ante partam victoriam, nunquam Militem suum revocare. Ad hæc, & similia, (intelligendo semper hostes initio à me nominatos humani generis, & Domini Exercituum, atque de bello ac Militia Spirituali, moralique) hortatur Episcopum Ephesinum, & in illo omnes per Orbē sparsos, Paulus Apost. *Labora sicut Bonus Miles Christi* IESV. Hoc fine es vocatus, electus, exaltatus, unctus, consecratus Episcopus, ex millibus millium, æquè, ac Tu dignorum, & fortasse magis dignorum, & melius meritorum. Nihilominus, *Hæc dicit Dominus DEVS Israël: Exaltavi* TE *de medio populi: & dedi* TE *Ducem super populum meum Israël.*

DVCEM Bellicum, Castrensem, Militarem: qualem esse decet in Ecclesiâ CHRISTI EPISCOPVM. Quod, ut non repudietur, quasi paradoxum, produco quæ de hoc argumento habet Robertus Bellarminus Cardinalis & Archiepiscopus Capuanus, qui inscripsit Volumen quoddam de ECCLESIA MILITANTE toto terrarum orbe diffusâ. Is, concione quartâ super Psalmum nonagesimum, *Qui habitat*, quam reor eum pronunciasse festo aliquo Natalitiorum CHRISTI, quando cantatur ubique: *Rex Pacificus magnificatus est, cujus vultum desiderat universa terra.* Et, *Magnificatus est Rex Pacificus super omnes Reges universæ terræ*: in hunc modum disserit.

VEREOR *multos hoc tempore in magno & periculoso errore versari. Plerique enim in Adventu novi* DVCIS *pacem jam compositam, aut certè, tempore brevi componendam sibi persuadent: & fortasse gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, juxta vaticinium Prophetarum* (a) *convertere jam cogitant. Ego vero ex omni parte continuos belli rumores, & nuncios adferri audio, ut, si unquam opus fuit, conflare vomeres in gladios, & falces in lanceas, vel tunicam vendere, & arma sibi comparare, nunc maxime id esse necessarium videatur. Audio siquidem Iob clamantem:* (b) MILITIA est vita hominis super terram. *Audio B. Paulum Timotheum suum, Episcopum cohortantem:* (c) Labora, sicut BONVS MILES CHRISTI IESV. *Audio nos omnes admoneri,* (c) *ut galeam & loricam, gladium*

(a) *Isaiæ* II. (b) *Job.* VII. (c) II. *ad Timoth.* 2. *ad* (c) *Ephes.* VI.

gladium & clypeum, ac denique, πανοπλίαν, *id est, omne genus armorum nobis procuremus.*

AUDIO *præterea, Cœtum Christianorum, nunc* MILITANTEM ECCLESIAM *nominari, nunc vero* CASTRORUM ACIEM ORDINATAM. *Atque in ea, quosdam ideo per* Baptismum *ad Militiam scribi; quosdam per* Confirmationem, *seu, manuum impositionem, Armis cælestibus communiri; aliis divinum* Panem *in stipendium dari; nonnullis etiam graviter Vulneratis* Pœnitentiæ *medicinam afferri; denique, per* Ordinis Sacramentum *Tribunos, & Centuriones institui. Quæ omnia nonne satis ostendunt, Bellum adhuc geri? Quid vero noster Psalmista? nonne magnâ voce bellicum canit, dum clarissima voce intonat:* (a) Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione DEI cæli commorabitur. *Quid enim opus est protectione, arce atque perfugio? Et cur nobis illa promittuntur:* Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis, & scuto circumdabit te veritas ejus, *si nullum est belli periculum? Et unde, quæso, strata gemata illa nocturna, & sagittæ volantes in die? Et qui sunt mille, qui à sinistris, & decem millia, quæ à dextris cadent, si hostes non habemus?*

NEQUE *vero Pax illa, quam istis diebus Angeli nunciaverunt, Bellum omnino profligavit, sed solum mutavit. Erat nobis anteà cum DEO & Angelis inimicitia, cum Vitiis & Dæmonibus fœdus. Nunc vero, opera nostri Ducis, qui de cælo ad terras descendit, a DEO rursum in gratiam recepti, eius Signa sequi cæpimus. Atque idcirco multitudo Militiæ cælestis, ut B. Lucas* (b) *ait, de tanta commilitonum accessione gaudens & DEUM laudans canebat:* Gloria in excelsis DEO & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis. *Quemadmodum autem cum in Castris Dæmonum militaremus, & membra nostra arma iniquitatis Peccato exhiberemus, DEUM hostem, & inimicum habebamus: ita nunc cum in DEI castris militamus, & membra nostra arma Justitiæ* CHRISTO *exhibemus, gravissimum cum Dæmonibus bellum suscepimus.*]

AN non hæc satis declarant, cùm ECCLESIA sit MILITANS, in qua DUX est EPISCOPUS, Episcopum DUCEM esse debere MILITAREM, qui indolem habeat prœliarem, & Virtutibus

(a) [illegible] (b) *Lucæ 11. cap.*

ornatus sit bellicis, cùm præsidere debeat Exercitui DEI SABAOTH? & bonam militare Militiam? non illam, quâ vita eripitur corporibus, sed quâ defenduntur animæ subditorum contra *Aëreas Potestates tenebrarum harum*: ideoq; laborare cum jubet Apostolus, sicut *Bonum Militem Christi IESV*: & docere atque hortari suos, abijcere arma tenebrarum, & induere arma lucis. (a) Quæ alibi vocat idem Magister Episcoporum, *Arma Iustitiæ à dextris, & à sinistris* (b). Nam *revera secundum carnem ambulantes, non secundum carnem* Militamus. *Arma enim* Militiæ *nostræ non carnalia sunt, sed potentia DEO ad destructionem munitionum* 2. ad Corinth x. 4. Quæ nam autem sunt illa? præter DEI GRATIAM, à quâ omnis Episcopi, quà DUCIS Militiæ sacræ, Felicitas dependet, sunt Virtutes propriæ DUCIS Spiritualis: *Fides, Spes, Caritas, Prudentia*, illique juncta *Providentia, Sagacitas, Cautela, Fortitudo, Magnanimitas, Constantia, Vigilantia, Iustitia, Temperantia.* Quas suspicimus in Magnis illis Capitibus ejus Ecclesiæ, quam regendam ducendamque suscepisti, PRÆSUL OPTATISSIME. In MATERNO, AQUILINO, SEVERINO, EVERGISLO, CUNIBERTO, AGILOLPHO, HILDEGARO, HILDEBALDO BRUNONE, GERONE, HERIBERTO, ANNONE, ENGELBERTO, CONRADO. Qui omni virtutum genere illustres Pontifices COLONIENSEM ECCLESIAM, velut Aciem ordinatam instruxerunt, & cōtra hostes Religionis ac Pietatis duxerunt, & Sanguine suo propugnarunt, multique eorum purpurarunt. Horum præclaras Virtutes, tanquam Arma Ducis Militaris, dum in Opere hoc centuriarem, TE respiciebam, REVERENDISS. EMINENTISS. SERENISS. post tot Secula destinatum à summo Imperatore tantorum Heroum successorem, quem Sanguinis Bavarici ad magna quæque generositas, indolis ad omnem Pietatem facilitas, Institutionis bonæ ad eruditionem sacram profanamq; assiduitas, denique, optimi Genij Tibi adsistentis, ducentis, impellentis favor & cura talem eduxit, à quo summa in Militiâ Christianâ spirituali sperare possint Tuæ commendati fidei ac gubernationi, Laici & Clerici, Seculares & Religiosi, denique, cujuscumque generis.

(a) *Romanos* XIII. 11. (b) II. *Corinth.* VI. 7.

nctis TIBI, ut DUCI subordinato, DEOque ut supremo, fideles cujuscumque conditionis, Nobiles, plebei; docti, rudes; parvi, magni, quales quales tandem, nam omnes sunt Milites Christiani, qui a Te Duce suo expectant unum, quod in Prædecessoribus tuis partium commendari audiverunt, aut legerant.

FAXIT DEUS SABAOTH, DOMINUS EXERCITUUM Ecclesiæ Militantis Moderator supremus, ut ECCLESIA COLONIENSIS in MAXIMILIANO HENRICO, quod expectat, videat, & experiatur multis annis (quos precamur, & de nostris, si DEO visum, addi petimus) MATERNI Sanctitatē, AQUILINI Solicitudinem, SEVERINI Zelū, EVERGISLI Magnanimitatē, CUNIBERTI quadraginta annorū indefessam in Episcopalibus functionibus operā, AGILOLPHI Fortitudinem, HILDEGERI Constantiam, HILDEBALDI Prudentiam, BRUNONIS Auctoritatem, GERONIS Liberalitatem, HERIBERTI Religionem, ANNONIS Iustitiam, ENGELBERTI ad Iuris Ecclesiastici tutelam inflexibilem stabilitatem, CONRADI Ærarium, Animum, & Sapientiam: de quo cantatur:

> CONRADUS *Summi cæpit fastigia Templi,*
> *Atque Ubia* SALOMON *alter in Urbe fuit.*

Denique, sit MAXIMILIANUS HENRICUS temporibus nostris, qualis fuit temporibus suis S. MAXIMILIANUS, quo Cive Pannonia, Austria Patrono gloriatur, TU etiam Divo Synonymus. Quem parentes nobiles Celeiæ genuerant, lactarant Gratiæ, Musæ erudierant, Talis *MAXIMILIANUS*, dignus Cælo visus est, quem in suas partes protraheret. Et verò facilè ille obsecundans meliora suadenti, hereditate suâ (quæ opulenta ei erat) ultro egenis cessit: divitem se ratus, si centuplo amplius liceret sperare. Iam Honoris etiam umbram cùm fugeret, insequuta tamen hæc Virtutem. Laureaci Mitra sibi devinxit, & in Solium renuentem extulit. Consecratus Episcopus viginti ipsis annis munere suo cum summâ laude est functus. Sed cùm furiæ Decianæ circumquaque fremerent, & Eulasius Prætor Christianam Pietatem acriter oppugnaret, advolavit optimus Pius, & suppetias laborantibus suis popularibus tulit, Nam

erant (vti semper in tritico filix, inter apes fuci) qui metu suppliciorum, degeneres CHRISTI MILITES, Marti adoleverant. Quod MAXIMILIANVS non secus, ac Machabæus olim indignissimè passus, in medium forum nō dubitauit prosilire, Præfectumq; impietatis accusare, quod cultum Vni sempiternoq; debitum Numini, rebus conditis & infirmis transcriberet Eulasius sibi a MAXIMILIANO EPISCOPO, se inferiore, vt rebatur, præscribi non passus, & omissâ post aliquot dissertatiunculas, verborum contentione, quâ se victum sentiebat, a verbis ad vim & gladium appellauit, Sanctumq; Hierarchā cædi jussit. Qui mortem non recusavit, quâ se ad vitā perventurum sciebat. Habitus inter mortales agens, ut Episcopi perfectissimum exemplar, Laudatus post migrationē ad superos, ut ICON Præsulis Apostolici; cultus semper suorū ut Pater, Dux, Archistrategus, præsertim ab HENRICO SANCTO BAVARIÆ DVCE, qui sacrum corporis pignus Laureaco Batava Boiorum deportavit, ubi, etiamnum summo in honore ac veneratione habetur, & istud frequenter occinitur:

Ardens Illyrici cùm ferveret ira Tyranni,
Et meteret totos falx Deciana greges:
Territa gens Christi, per & inuia & auia fugit.
Ausa (nefas!) *stygio pars adolere Ioui.*
Præsulis erubuit tormentis cedere VIRTVS
Mille parata Cruces, milleq; ferre neces.
Macte esto tantis, MAXÆMILIANE, *triumphis.*
Mortua iam mors est: non morietur Honor.

MAXIMILIANVM LAVREACENSEM imitetur, exprimat, mundoq; exhibeat MAXIMILIANVS HENRICVS COLONIENSIS ARCHIEPISCOPVS, ELECTOR, & nihil ultrà in Illo desiderabitur. Quod DEO factus supplex, oro, precor, voveo. IV. Id. Octobr. die S. MAXIMILIANO Sacro, Anno Jubileo M. DC. L.

Servulus SERENITATIS T.

Maximilianus Sandæus.

E Collegio Coloniensi

VITA

VITA
S. MAXIMILIANI
Archiepiscopi & Martyris.

MAXIMILIANUS *Celeiæ Pannoniæ oppido claris natalibus & fortunis [illegible] natus, ad [illegible], cultum Numinis, morumq. honestatem, & [illegible] eminentem elegantiam ab* VRANIO *Presbytero eruditus, maxime in [illegible] benignus fuit, ut amplas etiam a parentibus acceptas opes in egentium usum libe aliter partiretur, Lauriaci Pontifex postea creatus. In proscriptione Christianorum Decani [illegible] jam utroque parente [illegible] [illegible] erat, & post opes plerasque [illegible] omnes in pauperes sparsas, [illegible] Romam ad Xystum II. Pont. Max. venit. A quo, pro laborante in Pannoniis [illegible], inductus est, ut Patriam repeteret, remq. Christianam crudeli [illegible], & Præsidum immanitate [illegible] dissipatamq. velut è nau[illegible]. Nec recusavit* MAXIMILIANUS, *nec laborem pro Patria, nec discri[illegible] pro Christo. [illegible] & S. Quirinus tum Aquileiæ Antistitus [illegible] [illegible] Sancta Rom. Pontifices, hoc est, Orbis totius Patris, apprecatione confirma[illegible] [illegible] cujus [illegible] tribunalis, Martyr postea Quirino cessit) caput [illegible] legem Christianam pro concione promulgavit.*

Cum Lauriacensem Pontificatum ipsis prope viginti annis magnâ curâ, administrasset MAXIMILIANUS, *redeundum sibi Celeiam, ad patrium solum, putavit, ut & ibi, [illegible] Christianam fidem propagaret. Exulabat [illegible], publicis edictionibus omnes [illegible]. Et fuere ut semper in [illegible], inter apes, fuci qui metu [illegible] Christi Milite Martis [illegible].* Quod MAXIMILIANUS, *non [illegible] indignissime passus, in medium [illegible] non dubitavit [illegible], [illegible] acusare, quod cultum veri sempiternique [illegible] Numinis, ro[illegible] transferret.*

[illegible] ab [illegible] & Christum [illegible] non passus, & confessa post ali[illegible], quæ [illegible] & [illegible]. Hieratream [illegible] jussit. Nec aliter [illegible] qua [illegible]. Occubuit IV. Id. Octobr. extra [illegible]. Sacrum [illegible] Lauriacum translatum, magnificis & illustribus templi[illegible] [illegible]. HENRICUS *Sanctus, quem Secundum appe[illegible] Passavium deportavit, ubi hodieq. summa cum religione custoditur. [illegible] in Bavaria Sanct[illegible]*

ELOGIUM
S. MAXIMILIANI.

MAXIMILIANUM, qui [illegible], Austria Patrono gloriatur [illegible] [illegible] Cœlo [illegible] lactarunt Gratiæ, Musæ eluxerunt, Talis [illegible] MAXIMILIANUS [illegible] Cœlo [illegible], quem [illegible] [illegible] verò facilè ille [illegible] melliti suaventi [illegible] [illegible] opulenta cibaret [illegible] divinam [illegible]

hic [illegible]

si centuplo amplius liceret sperare. Iam honoris etiam umbram cùm fugeret, insequuta tamen hæc Virtutem, Laurea [illegible] Mitra sibi devinxit, & [illegible] solium renuentem extulit. Hoc deinde cùm furiæ Decianæ deturbassent, Romam abiit. Mox tamen, Xisto II. Pont. Max. auctore rediit, & [illegible] ipse [illegible] munere suo cum summa laude est functus. Sub hæc in mentem venit, patriis etiam terris operam suam locare. Et forte [illegible] illic Prætor Christianam pietatem oppugnaturum ibat. Tanto [illegible] festinandum sibi ratus, illico advolavit, & suppetias laborantibus in tempore tulit. Sed dum in prima fronte acrius pugnat, inter primos gladio cadit. Post hanc tamen tam nobilem Hostiam propitia Victoria semper postea cum Christianis stetit. Diceres suum etiam Pannoniæ Decium obtigisse.

(a) *Fasti Mariani* XII. *Octobr. Bruschius.*

N O T Æ.

Ad notitiam locorum, & temporum.

§. I.
P A T R I A
S. MAXIMILIANI.

HÆC omnium consensu fuit Pannonia, nominatissima regio. Est autem duplex superior & inferior. Superior ab [illegible] Norico, a Septentrione Germania & Istro terminatur: ab Oriente habet Pannoniam inferiorem, a Meridie Illyrium. Hodie hæc Pannoniæ pars, Styria & Austria appellatur, in qua Vienna, olim Vindebona, quam clarè in Pannonia collocat Jordnandes Gothicarum rerum Scriptor. Inferior Pannonia a Septentrione Germaniam, Danubiumque, ab Occasu Pannoniam superiorem, à Meridie Dalmatiam, quam modò Sclavoniam appellant, prospicit, ab ortu Jazyges, Metanastas. Quem terrarum tractum recentiores Septem-castra *indigitant* (Siebenburgen) *Hæc Pannoniæ pars Hungariæ nomine celebratur.*

§. II.
Civitas in qua natus
S. MAXIMILIANVS.

NATUS est Celeiæ Pannoniæ oppido. Recentibus antiquisque Geographis [illegible] tur Celia, Ptolomæo, Antonino in Itinerario, Plinio, quem in hanc rem [illegible] nat Abrahamus Ortelius. Et quidem Plinius lib. IV. cap. 24. N[illegible] oppidum facit. Quomodo, inquis, si in Pannonia MAXIMILIANI *fuit patria?*

N[illegible] antiquitati [illegible] Norici [illegible] tractum veteres comp[illegible] omnem cis Danubium [illegible] Vindelicis [illegible] a Rhetia [illegible] m usque tenus, eam [illegible] nemo omnem quæ nunc Carinthiæ Styriæ, nomen [illegible] Pannoniæ quoque, si non universam, [illegible] certe planitiem. Neque tam religiose [illegible] discriminati fuit, ut Norici, Pannoniæque appellationem, in [illegible] non habuerint. Plena est similibus [illegible] cujuslibet historia. Celia itaque [illegible] Noricum, Norici dicitur oppidum, cum sit, si lineis accurate [illegible] Pannoniæ.

Ce[illegible] municip[illegible] est in Epigrammate antiquo [illegible] Onufrius [illegible] CL. Cel pro C[illegible] Ce[illegible] Is in B[illegible] MAXIMILIANI *[illegible] Romanum Mart[illegible] XII. Octobr [illegible] Canisius in Martyrologio Germanico [illegible] Celia.*

§. III.

§. III.

Sedes Archiepiscopalis
S. MAXIMILIANI.

FUIT Laureacensis Pontifex: LAVREACVM *in Norico urbs amplissima quondam, & Romanorum Colonia fuit, cognomine Aureliana Laureacensis, legionum capax, mansioq; sæpenumero Imperatorum. Laureacum dictum putat Æneas Sylvius à laureatis litteris, quæ Imperatoribus illic olim cum exercitu constitutis victoriæ, cujusdam nunciæ fortassis advenerunt. Annales Patavienses civitatem scribunt appellatam à B. Laurentio, qui in Noricum venerit eo ferè tempore, quo B. Marcus Aquileiam. Eum autem facta divini Verbi semente, totius illius tractus Apostoli nomen promeruisse. Sita fuit urbs ad Danubii ripam in ostio Anisis ex Alpibus in Danubium ibi defluentis. Nunc vero ex ejus à Gothis & Hunnis non semel deletæ ruinis, remansit exiguum oppidum, ædificiorum tamen structura elegans, quod nomen etiam mutavit, & à dicto flumine nominatur Anasus.*

Ejus civibus persuasum est, Marcum & Lucam Evangelistas, non diu post Christum passum salutiferæ religionis nostræ Laureaci & in vicinis locis prima fundamenta jecisse. Testantur hoc versus in horologii turri, quæ in medio hodieq; foro est, publicati.

Hæc de Laureaco reliqua est. His Marcus in oris,
Cum Luca CHRISTI dogma professus erat.

IN ea autem urbe antiquis temporibus Metropolitana sedes fuit. At excisa ab Hunnis Laureaco, sacra sacerdotesq; , Patavium, nunc Passavium, olim Batava, quæ urbs est Boicæ, migrarunt. Et coaluerunt primum Laureacensis & Batavensis sive Passaviensis Episcopatus. Batavensis deinde temporũ decursu, Laureacensem suppressit, Metropolitani dignitate Juvaviam, sive Salisburgum translata. Hinc quibusdam S. MAXIMILIANI *imaginibus subscribitur,* ARCHIEPISCOPVS LAVREACENSIS, *aliis vero,* EPISCOPVS PASSAVIENSIS: *&, inter Sanctos* BAVARIAE, *ceu Boicus eo titulo celebratur.*

§. IV.

Tempus quo floruit
S. MAXIMILIANVS.

HOC sumendum est ex Pontificatu Xisti II. Pont. Max. qui sedit circa annum CCLXIV. Et duobus annis in Pontificatu vixit. Ab eo consecratus MAXIMILIANVS Laureacensis Archiepiscopus, eam Ecclesiam rexit annis viginti. Si igitur anno secundo Pontificatus Xisti Roma discessit, pervenit ad annum Christi CCLXXXVI. si Pontificatus initio ad annum CCLXXXIV. quem annum Martyrij quidam ponunt.

PLVRA *de* S. MAXIMILIANO *habent,* Cuspinianus, *in Austria.* Hundius, *in Metropoli,* Marcus Velserus *lib.* 3. *&* 4. *rerum Boicarum.* Molanus *in Martyrol.* 29. *Octob. p.* 171 Vsuardus 12. *Octob. Vita S. M. in Bibliotheca Varnpachensi, in qua [illegible] [illegible]* MAXIMILIANI, *Bruschius, Vita S. Ruperti apud* Surium *Tom.* 2. *& Antiquar. lectionum* Canisij *Tom.* 2. Pighius *in Hercule Prodicio.*

§. V.

Quomodo diuinitus nomen, MAXIMILIANVS *à S.* MAXIMILIANO *Laureacensi, ad Serenissimas familias, Austriam & Bauaram peruenerit.*

EXTINCTVS sine prole fuerat Fridericus Ciliæ Comes. Hic paullò ante, quòd Vladislaus Posthumus Austriæ Princeps ex nepte ejus Barbara natus esset, Austriadesque Comitem, ejusque fratrem adversus Sclavos ac Turcas opibus & armis juvissent, litteris prolixè caverat, ut si stemma Ciliensium deficeret, Austriades, uti propinqui, possessionem hereditariam adirent, si illud ab Imperio jus obtinere possent. Mortuo itaque Comite, Fridericus III. Imperator Austrius, non solùm ut beneficij dominus, Comitatusque Ciliensis collator, verum etiam ex transactionibus vetustis heres, aliquot militum manu comparata, Celeiam, patriam D. MAXIMILIANI, & Passionis locum profectus est, eo consilio, ut incolas, diplomatum vetustorum vi in verba sua jurare faceret.

Vivebat demortui Comitis vidua, mulier virilis animi, & præferocis Croata. Hæc in Illyridem concesserat, paratura vires, quibus Comitatum in fide retineret. Audijt fortè Fridericum infirma manu Comitatum Celeiam ingressum. Mittit illicò Vitovizium Præfectum, qui intempesta nocte nil cogitantes obruat. Nec segnis Vitovizius advolat. Sed Numen pro Friderico stetit rerum securo. Suggerit, mirantibus alijs, ac dissuadentibus, ut ad vesperam, quæ funestam noctem inchoabat, relicta regia inferiore, ad arcem in edito monte sitam se conferant. Ijt properè Cæsar cum paucis. Intercipitur Celeia ab hostibus: capiuntur Friderici comites.

IPSI autem per quietem offertur, se qui indicat, MAXIMILIANI Martyris patrocinium & interpellationem ab Imperatoris capite imminentem pestem avertisse: memor itaque beneficij, nec Superis ingratus, filio, quem conjunx ea nocte concepisset, Martyris nomen imponat. Factum monitioni satis. Natus infans. Anno MDCLVIII. in Tanczberg Carinthiæ arce, MAXIMILIANVS est dictus, postea Primus ejus nominis Imperator. Sicque MAXIMILIANI nomen majoribus incognitum in Augustissimam illam familiam, non sine oraculo ac peculiari Numinis addatu, est inductum, mansitque in MAXIMILIANO II. & ejus posteris.

AB hoc principio, nomen MAXIMILIANI, obscurum eatenus, clarescere, per multas gentes spargi, & in Norico ac Pannonia primùm, tum per Europam universam celebrari cœptum. Sed imprimis pervenit, ob conjunctionem arctissimam cum Austria, ad Serenissimam Bojorum familiam. In qua, qui ad clavum sedet hodie immortalitate dignus Princeps Elector MAXIMILIANI appellatione gaudet. In utraque mutatâ etiam terminante litterâ, MAXIMILIANAM reperies. Nimirum, utrique sexui patrocinium à Magno Martyre quæritur. Fuit sane superioribus annis GREGORIA MAXIMILIANA Caroli Archiducis Austriæ filia, Philippo III. Hispaniarum Regi desponsa, sic vocata, quod pro illa ad fontem baptismalem spopondisset Gregorius XIII. Pont. Max. & MARIA MAXIMILIANA Bavariæ Ducissa. Ejusdem Caroli Archiducis filius dictus fuit MAXIMILIANVS, eadem MARIA MAXIMILIANA Bavariæ eum ad fontem lustralem suscipiente. Ex cujus stirpe, vivit, floretq; MAXIMILIANVS HENRICVS. Natus A. M. DC. XXI. Electus & Confirmatus in Coadjutorem Coloniens. An. M. DC. XLVIII. Deniq; Confirmatus, in throno collocatus, Proclamatus ARCHIEPISCOPVS, An. M. DC. L. Iubileo. Princeps ætate florens, Pietate, ac Sapientiâ maturus.

FACVL

FACVLTAS
R. P. N.
VINCENTIVS CARRAFA
SOCIETATIS IESV
Præpositus Generalis

P. Maximiliano Sandæo.

ACcepi. quæ de Opere nuper à se elucubratô, aliisq́; R. V. exposuit exeunte Ianuario. Et cùm illud Censores isthic approbent, facio nunc facultatem P. Prouinciali, vt in lucem id edi permittat. Piissimus IESVS fructum ex illo precor eliciat, quem desiderat R. V. cuius SS. Sacrificiis. atque precibus me plurimum commendo. Romæ 27. Febr. 1649.

R. V.

Seruus in Christo
Vincentius Carrafa.

FACVLTAS
R. P.
Prouincialis.

EGO Godefridvs Otterstedt, Societatis IESV, per Prouinciam Rheni inferioris Præpositus Prouincialis, potestate mihi factâ ad Adm. R. P. Vincentio Carrafa Societatis IESV Præposito Generali, facultatem concedo, vt Opus, cui titulus, Militia Christiana, à P. Maximiliano Sandæo, eiusdem Societatis Doctore Theologo compositum atque à deputatis ad id Theologis lectum, censum, approbatum, iuris publici fiat, ac typis mandetur: in cuius fidem has litteras manu propriâ, consuetoque officij sigillo munitas dedi, Coloniæ Anno Christi 1649. 21. Martij.

Godefridus Otterstedt.

BREVIARIVM

Operis de Ecclesia Militante.

DIsseritur. I. *Quomodo Ecclesiæ Christi ea conueniat denominatio.* II. *De illius Ortu, Progressu, Fine.* III. *De eius Imperatore, Archistratego, Signifero.* IV. *De Magistratu Militari subordinato.* V. *De Militiâ duplici: Bona, vel Mala.* VI. *De vita humana, quà Militia.* VII. *De Militis Christiani Indole, Dotibus, Virtutibus.* VIII. *De Commeatu Castrensi, quatenus continetur in Eucharistia.* IX. *Dantur & explicantur Documenta Militaria.*



MAXI-

R. P.
MAXIMILIANI SANDÆI
ECCLESIASTES MILITARIS.
BELLICVS. CASTRENSIS.
Siue
CONCIONES MILITARES
Tomis IV. dispertita.

R. P.

MAXIMILIANI SANDAEI

SOCIETATIS IESV DOCTORIS THEOLOGI

ECCLESIASTES

Militaris. Bellicus. Castrensis.

Siue

CONCIONES MILITARES

Tomis IV. distributæ.

Quibus explicatur


MILITIA CHRISTIANA

Spiritualis. Mystica. Moralis.

Seu

THEOLOGIA MILITARIS.

Per analogias ad Militiam, Hebraicam, Græcam, Romanam, Antiquam, & Modernam.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JODOCUM KALCOVIUM, Anno M. DC. LI.

Permissu Superiorum & Priuilegio

MILITES
CHRISTIANI



Ccipite Armaturam DEI. Vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lūbos vestros in veritate: & induti Loricam Iustitiæ: in omnibus sumentes Scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et Galeam salutis adsumite: & Gladium Spiritus, quod est Verbum DEI. *Ad Ephes. VI.*

ARMA IVSTA
RELIGIONIS FIRMAMENTA.

ILLVST.

ILLVSTRISSIMO
ET
EXCELLENTISSIMO
GODEFREDO
COMITI
DE HUYN ET GELEEN
EQVITI
Ordinis Militaris Teutonici
COMMENDATORI
Baliuiæ Iuncetanæ Prouinciali
BARONI
In Gemest, Grutrode, & S. Petro ad Furam.
SAC. CÆSAR. MAIESTAT.
A consilijs Bellicis, & Cubic.
MARESCHALLO
Campi Generali.
MILITI EMERITO
O. D. C.
MILITIAM CHRISTIANAM
ECCLESIÆ MILITANTIS
MAXIMILIANVS SANDÆVS
SOCIET. IESV.

ECCLESIA CHRISTI *in terris (Comes Ill.mᵉ) est* MILITANS. *Quod Scripturæ Diuinæ habent Oracula, & Patrum Sanctorum probatur testimonijs, ac constat experientiâ Christianorum, toto vi-*

tæ mortalis tempore militantium; non tantùm aduersus Carnem & Sanguinem, hostes domesticos, sed etiam aduersus Principes tenebrarum, nec non contra inferorum phalanges,, inimicos externos. Non militatur autem benè, sine Arte Militari: sicut non ædificatur peritè, sine Arte ædificandi. Quapropter cùm Ecclesiam esse Militantem demonstrauero, vt artificiosè in illâ pugnetur, Artem tradere oportuit. Quod facere aggressus fui, quãdo in Germania Martem spirabant vbique, qui tumultus amant à quiete publicâ & priuatâ alieni. Nec cessaui, donec numeris omnibus absolutam, ni me fallat opinio, exhiberem; post quam eam per partes, ex cathedrâ Auditoribus meis viua voce explanassem. Hinc Titulus Operis huius Litterarij:

ECCLESIASTES MILITARIS, BELLICVS, CASTRENSIS.

Artem autem Militarem dedicare vt Patrono, haud conuenit alteri, quàm Viro inter æui huius Principes Militari, qui ætatis suæ partem longè maximam exegit in Militiâ exteriori, ac corporeâ vulgari: ad cuius analogiam, de Militia interna, & Spirituali, ac Mystica, quæ est Euangelica, & Religiosa, professioni meæ consentanea, per multos libros, quos in Elencho ordine posui, dissero. Quis enim alius, ea, quæ de Militia profana adfero, ex auctoribus de re bellica accuratè scribentibus deprompta, & quæ Sacræ accommodantur, perspecta habere potest, vt approbare queat, & calculum addere? quod mihi erat in optatis.

TALEM

TALEM *autem esse* TE, *Excellentissime Domine, testatur, quàm latè patet, Romano-Germanicum Imperium. In quo, & Pedestribus, & Equestribus clarum prælijs, tam horruerunt hostes, quàm adamarunt, & suspexerunt, præter Imperatorem, Summi Principes, qui in partes suas attrahere sunt conati, & primis officijs ac dignitatibus militaribus honorarũt. Quippe, gnarum in paucis rei omnis Militaris. Quam ab adolescentia tractasti ita, vt non saltuatim ab imo ad summum, siue gradum, siue munus perueneris; sed pedetentim à minoribus ad maiora, deindeq́ ad maximũ, in quo, quot præliorũ, tot palmarũ Antesignanus, subsisteres gloriosus, cõscẽderis. Profectò, memoria recolo præcipuos huius, & superioris seculi Principes, Duces, Comites, quorũ effigies, vel elegãter sculptas, vel colore expressas dũ peruoluo, haud multi occurrũt, qui illo, quo Excel*[tia].V[tra]. *progressu, ad altissima sint prouecti: Qui verò ita ad Gloriã Virtutis Militaris via progrediẽdo Eam superẽt, quis vel paucos producat?*

SIQVIDEM *natus Anno seculi hoc antegressi, nonagesimo septimo, post litterarum studia, quæ futurum Militem ornant, suntqúe, si non omninò necessarium, certè, vtilissimum Disciplinæ Militaris præambulum, suscepisti peregrinationem in Italiam Indolis Militaris nutriculam, quam biennio nequaquam ociosè lustrasti. Tum reuersus in Germaniam, Militaria in Imperio exercere incepisti: vt decebat Nobilissimi Antiquissimi-*

que in Ecclesia Militante Ordinis Militaris Teutonici Heroëm, Anno Seculi currentis XVI. *Mox decimus nonus vidit Vexilliferum. Vigesimus primus Centurionem. Vigesimus tertius Vigilũ Præfectũ Supremũ. Vigesimus Sextus Magistri Peditũ Vicarium vt vulgo vocamus Legatũ, seu Loco-tenentem. Vigesimus nonus Magistrũ Peditum. Trigesimus tertius Generalem. Vigiliarum Præfectum, & Equitum Magistro substitutum: nec non Generalem ad Visurgim in Circulo VVestphalico Commendantem, vt appellant Gubernatorem Bellicum. Trigesimus quintus supremum Armamentarij Magistrum. Trigesimus nonus Magistrum Equitum. Quadragesimus quartus Circuli totius Generalem. Denique Bauarici ac Cæsarei Equitatus Magistrum, cum prærogatiua Excellentiæ.*

QVID *addi posset, vt à Supremo secundus, & Alter ipse habeatur in Militia? Sanè, hoc censebant esse Militem in apice collocandum, & dignum corona, tum in Militia sua Hebræi, tum in sua Græci, tum Romani in sua. Apud Hebræos, &, eorum vel exemplo vel propria designatione apud Græcos, qui ex Decarcho, Icosiarchus, ex hoc Triacontarchus, deinde Pentacontarchus, & gradatim ascendisset, vt fuisset factus tandem Myriarchus, nihil illi deesse ad supremum decus existimabant, & censebant dignum, qui Phylarchus, nos Generalissimum diceremus, salutaretur. In Romano Exercitu, qui*

ex gregario paullatim virtute suâ factus fuisset Centurio, Prefectus Peditum, deinde Magister Equitum, postea Tribunus, Quæstor, Legatus, næ ille summæ æstimationis Miles, Dictatura dignus iudicabatur. Hoc Tibi in Militia Germanica contigit, Ill[me]. *Cui haud dubiè animos addiderunt Maiorum tuorum Imagines. Inter quos cernitur* ARNOLDVS *Atauus Miles egregius: celebratur* ARNOLDVS *alter Auus tuus, Traiectensis Gubernator prudentissimus, & quattuor trans Mosam regionum: eminet* ARNOLDVS *tertius, Pater tuus in Militia Magister Peditum laudatissimus: commendatur denique, ne omnes ex illustri familia recenseam,* GVLIELMVS *Patruus tuus, Regis Hispaniarum in Gallia Generalis. Nimirum, fortes creantur fortibus. Quod* TIBI *non fortuitò, sed Prouidentia & destinatione diuina conuenit: quam fauemus, & gratulamur Patriæ: ego verò etiam mihi de Tali & Tanto rerum mearum Militarium Inspectore, Censore, Patrono, qualem inter mille Militem veteranum non reperissem vnum. Sed* TV, *Ill*[me]. DNE, *vnus mihi es instar Mille.*

ATQVE *hæc sit prima dedicati huius de* MILITIA CHRISTIANA *Voluminis caussa. Cui liceat per Te adiungere alteram. Quod cùm in eo disseratur de Militia Sacra, spirituali, & ad mores Militum vel informandos, vel reformandos accommodata, nulli magis ex eius lectione proficere potuerunt, si attenti sint, & voluntatis bonæ,*

quàm qui diutissimè versati fuerunt in Militiâ seculari: cùm per comparationem ad hanc officia Militiæ Christianæ constituantur & explicentur. Deinde verò, ostendatur, Quomodo qui vitæ florentis dies optimos transegerunt, (si non dilapidarunt, in Militia profana, possint, quod superest, in ætate senili, quamuis decrepita vtiliter locare muneribus Militiæ Spiritualis: in qua bonus est Tyro, Militiæ profanæ emeritus licet senex. Hic leget, quæ-nam sit Militia bona, vt obsequatur in posterum monito Pauli Apostoli, Hoc præceptum commendo tibi, vt milites Bonam Militiam: *nimirum, Militiam probam, piam, vtilem, nulli noxiam, qualis est Spiritualis: cui opponitur Militia Mala, impia, mortifera, exitialis. Hîc intelliget, Quid sit esse Militem Christianum: Quomodo in Ecclesia Militante satisfacere possit nomini & Officio Centurionis Euangelici: Quomodo euadere in Militem Sanctũ, Beatum, Pium. Quod cùm paradoxum videatur vulgo, texitur hîc catalogus Militum Sanctorum, & collocantur, velut in Theatro, Milites Christiani, quibus castra fuerunt Gymnasia Sanctitatis.*

POSSE *autem esse tales, docuerunt potissimùm Ordinum Militarium Equites quos recenseo nominatim: & Inter quos eminet ille, qui* S. MARIÆ TEVTONICORVM. *in Syria vocabatur, & florebat Ierosolymis, cùm Regnum inibi à* GODEFREDO BVLLIONIO *defenderetur: & defen-*

sum

sum fuit fortiter ab Ordine illo aduersus fidei Christianæ hostes instituto. Quem cum confirmaret Cælestinus III. *Pontifex Max. eius primo Magistro, æquata cũ Regibus potestate creandi Equites, facultatem dedit Sacra in armis operandi. Vt de ijs verè dicere liceret, quod Rodericus Archiepiscopus Toletanus de suis prodidit Equitibus: Qui laudabant iu Canticis accincti sunt ense: & qui gemebant orantes, ad defensionem Patriæ (addatur,* ECCLESIAE*) adsumpserunt gladios. Adeò, vt religiosa quadam Societate inter se deuincti, non minorē orationibus, quàm armis nauarent operam: &* MARIAM *Virginē, cuius sese Patrocinio deuouerant, assiduè inuocarent;* ROSARIVM *eius, cuius tesseram, & in Scuto cũ Cruce sua Mariæ-Burgi adsumpserunt, quotidie recitãdo, vnde* MARIANI *&* CRVCIGERI *hodieq; appellantur. Sed capta postea vrbe Ierosolymitana à Saladino Saracenorũ Duce. Equites Teutonici Acconem seu Ptolemaida concesserunt. Inde, vt ex tota item Syria, cum ceteris Christianis expulsi, Fridericus II. Imp. in Germania eos collocauit. Vbi, post aliquot annorum curricula, subacta Prussia, à Christi fide tunc aliena, & Christianis Polonis infesta, editisq; in Septentrione præclarissimis bellicæ virtutis facinoribus, etiam-num Ecclesiæ* Militantis *decus tuentur & augent.*

QVORVM *haud ita pridem* Magister, MAXIMILIANVS *Austrius,* MAXIMILIANI II. *Fil. Rodolphi & Matthiæ*

Cæsarum Frater, Insignia Austriaca, & Imperij, cum Cruce Ordinis coniunxit. Quæ nunc præfert GVLIELMVS LEOPOLDVS FERDINANDI II. *Imp. Filius*, FERDINANDI *III. Frater. Qui Te, Comes Illme.* GODEFRIDE, *vt Ordinis eiusdem Socio, Tuique similibus gloriari potest. Certè, es ipsi carissimus, vt Ordini, cui Tu, vt ipse Tibi multum debet, fidelissimus, erisque quod nemo dubitat, semper, donec ad Ordinem Sanctorum Militum ab Exercituum Domino,* DEO SABAOTH, *quod tardè fiat precor & voueo, transcribaris. Interim Ordinem quoque nostrum, Societatem* IESV, *quam amas & æstimas: & cui benefacere soles vt Patronus beneuolus ac munificus, commendatum habe, vt ille* EXCELLENTIAM TVAM, DEO, *eiusque Sanctissimæ* MATRI *peculiariter ex Ordinis instituto* DEVOTAM, *Orationibus & Sacrificijs quotidianis commendat.* VALE. *Coloniæ Agrippinæ. Anno post recuperatam, deuictis à* CHRISTO *summo Imperatore hostibus Tartareis, salutẽ, & stabilitâ* ECCLESIÆ *ad huc* MILITANTIS *firmitate, M. DC. LI. die mensis Aprilis IX. quo cantabat lætabunda:*

MORS & VITA Duello
Conflixêre mirando.
Dux vitæ Mortuus Regnat Viuus.

Excellentiæ Tuæ

frequenter in precibus
ad DEVM memor

M. S.

SY-

SYNOPSIS

Operis totius, & Delineatio singularum Partium.

TOMVS I.

ECCLESIA MILITANS.

De quâ differitur. I. Quomodo Ecclesiæ Christi Regis Pacifici ea conueniat denominatio. II. De illius Ortu, Progressu, Fine. III. De Ecclesiæ Militantis, & Militiæ Christianæ Imperatore, Archistratego, Signifero. IV. De Magistratu Militari Subordinato. V. De Militiâ duplici: Bona, & Mala VI. De vitâ humanâ, quà Militia. VII. De Militis Christiani Indole, Dotibus, Virtutibus. VIII De Commeatu Castrensi, quatenus continetur in Eucharistiâ. IX. Dantur & declarantur Documenta Militaria pro Milite Christiano.

Series Librorum Tomi I. eorumque Numerus. Inscriptio. Epitome.

I. De Deo & Christo Armato Militariter: eiusque Panopliâ, quatenus est Dominus Exercituum: Devs Sabaoth: Iudex viuorum ac mortuorum.

II Christvs Saluator, Ecclesiæ Militantis, & Militiæ Christianæ in primo suo Aduentu, Auctor & Imperator.

III. Magistratus Militaris in Ecclesia Militante, pro Militia Christiana.

IV. Commeatus in Ecclesia Militante pro Militibus Christianis.

V. Documenta Militiæ Christianæ, in Ecclesia Militante promulgata.

TOMVS II.

ARS MILITARIS ECCLESIÆ MILITANTIS.

In quo tractatur Theologicè, Ethicè, Politicè, de conscribendo Milite, & Exercitu constituendo in Ecclesiâ Militante Item. De Exercitio Militum Christianorum multiplici, per comparationem ad Militiam Hebraicam, Græcam Romanam: Veterem & Recentem.

Elenchvs *Librorum Tomi II. eorumque Numerus. Tituli. Summaria.*

I. Delectus Militaris in Militiâ Christianâ.

II. Auxilia Sociorum Ecclesiæ Militantis. In quo numerantur, & describuntur diuersi Exercitus Auxiliares Militiæ Christianæ Primus, *Angelorum.* Secundus, *Hominum in cælis viuentium.* Tertius *Mortalium* Deo *Sacratorum. Deinde Supplementa Militiæ Christianæ: seu, Cohortes Subsidiariæ, ex Creaturarum vniuersitate.*

III. Tyrocinium Militare in Ecclesia Militante, continens Exercitia Militaria; à Militiâ vulgari profanaque translata ad Sacram seu Christianam.

IV Armamentarium. Panoplia. Officina Armorum in Ecclesia Militante pro Militia Christiana. Quæ cùm reperiantur in Passione Saluatoris: Passio Christi *tota Militariter, idoneis Meditationibus consideratur, atque exponitur.*

V. Monomachia, seu, Duellum Christi Patientis & Pugnantis. Mors & Vita Duello conflixere mirando.

VI. Mi-

VI. Militia Christiana Duellatrix. Ars & Exercitum Duellandi Ecclesiæ Militantis. Monomachia multiplex in Ecclesiâ Militante laudabilis, & vsurpata, ac vsurpanda frequenter.

TOMVS III.

SCHOLA CASTRENSIS ECCLESIÆ MILITANTIS.

IN quo docetur Theologicè, Ethicè, Politicè varias esse species in Militiâ Christianâ. Et Quomodo in ea Militia Equestris, Pedestris, Naualis instruenda, instituendaque sit; per conuenientiam similitudinariam cum Militia Hebraicâ, Græcâ, Romanâ, Antiquâ & Nouâ.

INDICVLVS Librorum Tomi III. eorumque Numerus. Inscriptio. Compendiola.

I. Militia Christiana Equestris Christus Imperator Eques instructus Arcu, & Sagittis. Milites Christiani Equites

II. Equitat Angelicus. Eius Multitudo. Pompa. Magnificentia. Potentia.

III. Equitatus Humanus. De Hominibus in Ecclesiâ Militante Equitatum Humanum Domini Exercituum & Christi Imperatoris constituentibus.

IV. Militia Christiana Pedestris. Peditatus Militiæ Christianæ, Allegoricus, Symbolicus Mysticus. Oppositus Peditatui Militiæ Diabolicæ.

V. Militia Christiana Naualis. Eius Antiquitas. Vsus. Necessitas. Classes Christi & Luciferi oppositæ. Pugna in Mari magno cum Tempestate quomodo instituenda.

VI. Naumachia Christiana Ecclesiæ Militantis. In quâ post pugnam cum Tempestate describitur multiplex Prælium Nauale cum hostium classibus.

VII. Militia Christiana Obsidionalis. Ars obsidendi, & obsidium tollendi Ecclesiæ Militantis Quæ multa complectitur. Et est magnifacienda a Ducibus Bellicis: & Viris Militiæ, siue corporeæ, siue spirituali addictis. Explicatur per analogiam ad Obsidionem Vrbium in Militiâ profanâ.

VIII. Militia Christiana non minus est Fugæ, quàm Consistentiæ. Ars subducendi se & exercitum: ac fugiendi laudabiliter Ecclesiæ Militantis Quæ, Qualisque in Militiâ, tum profanâ, tum, Sacrâ, sit laudanda Fuga? Quæ, Qualis-ue vituperanda?

TOMVS IV.

CORONIS MILITIÆ CHRISTIANÆ.

IN quo repræsentantur Præmia, Decora, Corona Militum Christianorum Ecclesiæ Militantis.
ORDO *Librorum & Argumenta.*

I. Corona Militares Ecclesiæ Militantis. Quibus & Milites suos coronat: & ijsdem ipsa Coronata triumphabit.

II. Ordines Militares Equitum Ecclesiæ Militantis, quibus ipsa Coronata certat fortiter, & constanter, identidem inclamans Militibus suis: Fratres mei charissimi, & desideratissimi, Gaudium meum, & CORONA mea. Sic state in Domino charissimi. *Ad Philippenses cap. IV. I. Nominantur hic & celebrantur Ordines Militares Equitum Sacrorum omnes, per Orbem Christianum sparsi.*

III. Theatrum Militum Coronatorum. Siue Sanctorum, Beatorum, Piorum Ecclesiæ Militantis. Quorum exhibetur Nomenclator, in quo exprimuntur singillatim, quotquot ab orbe condito celebres fuerunt Milites, Sancti, Beati, Pij: qui longâ disquisitione in libris Sacris, profanisq́, reperti ad meam notitiam peruenerunt. Hi locum quisque suum obtinet, non absque commendatione & Elogio.

INDI-

INDICVLVS
MILITVM SANCTORVM.
Ex omni Nobilitate ad summos vsque Principatus.

Nobiles

S. Almachius. 1. *Ian.*
S. Cuanus. 1. *Ian.*
S. Gerlacus 5. *Ian*
S Reinoldus 7. *Ian.*
S. Hermes 28 *Aug.*
S. Iulianus
Alÿ innumerabiles

Barones

S. Ekearius. 27. *Sep.*
B VValterus de Birbeke. 22. *Iã.*
S. Adelhelmus 30. *Ian.*

Comites

S. Gordius. 3. *Ian*
S. Godefredus. 13. *Iun.*
S. Bertoldus Germanus.
S. Ergerus. Sub Carolo M.
S. Armogastes. 29. *Mar.*
S. Carolus Com. Flandriæ 2. *Mart.*
S Geraldus Com. Aurelian.
S Edunoldus Angl.
S. Romaricus Austrasius.

Marchiones

S. Leopoldus. 15. *Nou.*

Duces

S. VVenceslaus Bohemiæ. 28. *Sept*
S. Guillelmus Aquitaniæ. 10. *Feb.*
S. VVittekindus VVestphaliæ. 7. *Ian.*
S. Kanutus Slesuuicensis 7. *Ian.*
S Symbertus Lotharingiæ.
S. Amadeus Sabaudiæ.

Reges.

S. David Israelis 29. *Decemb.*
S. Ludouicus Galliæ 25 *Aug.*
S. Osvvaldus Angliæ. 5. *Aug*
S. Ladislaus Hungariæ. 27. *Iun.*
S. Eduardus Angliæ. 5 *Ian.*
S. Canutus Daniæ. 11. *Iul.*
S. Gumtramnus Francorum. 28. *Mart.*
S. Stephanus Hungariæ 20. *Aug.*
S. Ericus Sueciæ. 18 *Maÿ.*
S. Sigismundus Burgundiæ 1. *Maÿ.*
Ornatum autem DEI Sabaoth, ut Imperatoris ac Iudicis, perbellè exponit Isaias Propheta capite LIX. *Indutus est Iustitia, ut Lorica & Galeâ salutis in capite eius. Indutus est vestimentis ultionis, & opertus est, quasi pallio zeli.* Lorica in armis est pars illa, quæ pectus munit, ubi latet cor, quod cùm objectum sit, & hostibus obversum, maximè telis est expositum, ac obnoxium plagæ: pectus igitur, illique insitum cor Iustitia tegit, instar Loricæ. Idem habetur Sapientiæ V. Ubi Panoplia DEI Sabaoth ad judicium proficiscentis describitur: *Induet pro Thorace*: nempe ferreo, qui à Loricâ non differt, *Iustitiam.* Sanè, ut Thorax ille, seu Lorica munit, ne lædatur, quod in corpore est præcipuum, estque armatura maximè necessaria, haud secus, Iustitia virtus communis, est pectoris cordisque custodia: ea amota facillimè læditur, & cum eo vitalia. Quocirca, ut Jovem, tanquam Iudicem perfectissimum repræsentarent olim Poëtæ, Iustitiam illi adsistere fingebant ad defensionem sui, actoris, & rei. Quò faciunt fabulæ de Dicâ & Themide. At, de DEO Sabaoth sine fabula canit divinus Poëta: *Iustitia & judicium*, jus fasque, *preparatio sedis tuæ*, Psalmo LXXXVIII. 15. DEO nostro Assistricibus haud opus, cum ipse sit fas ac justitia, ipse sibi sit Regula, à quâ aberrare non potest. Rectè tamen Iustitia, à nobis divina ut humana concipientibus, tanquam Lorica DEI vindicis cogitatur, quâ pectus arctissimè ligetur. Ut enim Lorica, quæ optima, ferreis lamellis squamatim conserta, aut annulis hamisque commissa est, (*d*) ita Iustitia, legum virtutumque quasi circulis est nexa, ac penetralia divinorum decretorum cingit.

JUSTITIA, LORICA, PALUDAMENTUM.

Quamvis autem per Iustitiam, quæ sit Lorica judicis, designari possit virtus illa, quæ, cùm sit generalis, suo complexu omnes alias continet, tamen haud incommodè denotatur illa particularis Iustitia, cujus est jus suum cuique tribuere. Hac enim pectus suum muniat oportet, qui rectum judicium exercere intendit, ut neque lædat ullum ipse, neque lædi ullum ab alio patiatur, & unicuique secundum merita sua tribuat. Utrumque discere possis Imperatoris nostri: *Paludamentum.* Hoc autem, illustri interprete, est chlamys imperatoria, illius propria, qui exercitum educebat: unde

(a) *Polyc. lib.4. Stratagem.* (b) *Bayf. de re vestimentar.* (c) *Virg. lib.3. Æneid. Loricam consertam hamis, auroq́; trilicem.*

[illegible] passim apud Historicos legitur. Dicebatur autem [illegible] palam, ut inquit Varro. Talis ornatus [illegible] Imperatore est Justitia. Quæ idcirco in Divinis literis [illegible], qui Jurisdicundi potestate pollent. Ita Jobus [illegible], (a) *Justitia*, inquiebat, *indutus sum, & vestivi me*, [illegible]. Et David, (b) *Sacerdotes tui induantur justitiam.* [illegible] imperatoria ex aureâ sanctitatis [illegible] cælestium liciis contexta, ideoque polymita, ino[illegible] sacrorum gemmis, quæ ad talos usque mol[illegible], ac Imperatorem pene involvit; nam nihil in illo est, quod [illegible] aperiat. Hæc eadem illud reddit perspicuum, facitque palam, [illegible] nemini lateat: nemo de [illegible] in se lata conquera[illegible] a condemnatorem se, ac pœnas exigentem accuset.

(a) Job. [illegible] 14. (b) Psalm. 131. 9.

MEMBRUM III.

LORICA JUDICIS

Contra affectuum impugnationes munit.

AT [illegible] est caussa, cur inter arma Imperatoris judicantis [illegible] exprimatur *Lorica*? Nimirum, quia maximè necessa[illegible], ut Judicis cor ac præcordia, ubi sedes est adfectuum, [illegible] ab omni parte tela jaciuntur. Ab Oriente [illegible], ab Occidente odium, ab Aquilone timor, ab Au[illegible] perpetuo insidiarum sagittis, si vel attingatur cor [illegible] quod est rectum, nihil quod [illegible], nihil quod æqui[illegible] expectari potest. Animadvertit hoc magnus P[illegible] Gre[illegible] sunt, quæ judicis severitatem aut in judican[illegible] infringunt, timor, cupiditas, odium, amor. Q[illegible] *humanum judicium pervertitur*. Timore, *dum metu [illegible] veritatem loqui pertimescimus*: Cupiditate, *dum præmio [illegible] corrumpimus*: Odio, *dum contra quemlibet adversarium [illegible]*. Amore, *dum amico vel propinquo contendimus præsta[illegible]*. [illegible] refertur prima pars decreti caussa [illegible] l. 3 cap. *Quatuor* [illegible] Judicis est ab adf[illegible] hæc verba esse in[illegible] injuriam suam contingentia perturbationum [illegible] excipere ac repellere. Quod Judici supremo per[illegible]. Qui, quà DEUS, non [illegible] amittere, non turba[illegible] immutabilis, perturbationibus haud obnoxius, quà Deus

Sabaoth, neminem veretur: quia Omnipotens nullius cupiditate ducitur, quippe sibi sufficientissimus. Hinc exclamat David; DEUS *judex justus & absque ulla iniquitate: justus & rectus.* Iterum, *justus es Domine: & rectum judicium tuum.* Quare? quia fortis: DEUS *Iudex justus fortis.* (a) Et apud Joannem Evangelistam in Apocalypsi, qui veniebat ad Judicium vocabatur *fidelis*, & *verax, & cum justitia judicat & pugnat.* additurque, *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* (b) Quod idem est cum Domino Sabaoth: uterque enim titulus est potestatis & dominii supremi. Dicitur autem *fidelis* & *verax*: quoniam fideliter, sicut promisit, militibus suis, hoc est, fidelibus suis, stipendia meritorum persolvet, eos tuebitur, ac præmiabit: non obsequentes autem ac refractarios, infideles, ac impios puniet: quia cum justitia, hoc est, justissimè, ac æquissimo jure bellum init ac finit: tum verò *judicat*, secundum cujusque merita præmiorum distributionem facit, & vindicat. Qui autem *judicat*, is etiam *pugnat*: ac si diceret, idem est belli Imperator ac Judex, ideoq; neminem metuit.

(a) *Psalm. 7. 12.* (b) *Apocal. 18. 11.*

MEMBRUM IV.

IVSTITIA DEI SABAOTH.

VERUMENIMVERO quanta est Imperatoris simulque Iudicis nostri Iustitia, qua paludatus, tum in judicio particulari cuiuscunque statim à morte singulis, tum in universali omnibus se perspicuum reddet, ac formidandum? Hîc ego mihi optarem ab Oratorum DEO, non centum linguas, non ora centum, non pectus aheneum, non ferrea latera, & ex ære costas: sunt hæc putida profanorum vota; sed facundiam cælestem, & cum eâ zelum Pauli, Pauli Apostoli, qui fuit *Vas electionis, tuba Evangelii, rugitus Leonis nostri, tonitru Gentium*, & Doctor eximius, encomio Hieronymi. (*a*) Eo, ut narratur Actuum Apostolicorum capite XXIV. *disputante* pro tribunali, ad quod, tanquam reus protractus fuerat, *de justitia & castitate, & de judicio futuro, tremefactus est Felix* Præses Romanus, coram quo, & Drusilla ejus conjuge concionabatur.

At quis ille Felix? homo nullius religionis, impius, impurus, scelestus. Quem Tacitus (*b*) Historicus factum Judææ Præsidem scribit insolentem, cuncta maleficia impunè ratum, & intempestivis remediis delicta accendisse. Felix, quem idem auctor, per omnem sævitiam & libidinem jus regium servili ingenio exercuisse testatur. Felix, tam libidinosus, ut regium thalamum invadere ausus fuerit, & à rege Reginam ad se traduceret (c) Drusillam enim pessimus adulter, ob excellentem pulchritudinem o-

pe-

(*a*) *S. Hier. epist. 61 ad Pammach.* (b) *Tac. lib. 2. Hist.* (c) *Ioseph. l. 20. Ant.*

[illegible] Simonis Magi [illegible] ut relicto priore matrimonio Azizi Re[illegible] ejus [illegible] jungeretur. Hic tamen nefarius, Paulo concionante de justitia, & judicio extremo, est tremefactus. Adulterum, tyrannum, [illegible] Paulus, DEI in judicio Iustitiam proponens, & [illegible] exaggerans. Quid autem signatè dixit Paulus? Id ne [illegible] quidem, tanquam [illegible] possim assequi: reor tamen hunc [illegible] o [illegible], tanquam acutissimũ impuro illi, ac injustissimo [illegible], ut ad poenitentiam eum adigeret, & ad justitiam, casti[illegible] vitamque Christianam traduceret; aut saltem, ut frænum [illegible] cupiditati insatiabili injiceret, ne in tam gravia ut solebat, crimina [illegible], memor Iudicem suum fore DEUM, & Christum, qui ita [illegible]?

Cum [illegible] tempus ego justitias judicabo. (a) O Felix! cùm ante Christi tribunal, ut ego jam ante tuum, steteris, non judicabit tantùm in[illegible], idololatriam, atheismum. *Qui non credit in Filium DEI jam judicatus est* (b) sed etiam quomodo justitiam colueris, quomodo jus [illegible], quomodo cuilibet quod suum est tribueris, quomodo innocen[illegible] sublevaveris, quomodo iniquitati te opposueris, quomodo caussam pupillorum, orphanorum, calamitosorum examinaveris, quomodo pau[illegible] oppressionem impediveris? *Ego justitias judicabo.* O impure! [illegible] judicabit [illegible] Christus incestus, adulteria, fornicationes, lasciviam, mollitiem. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria: quoniam qui talia agunt regnum DEI non consequen[illegible]* (c) sed [illegible] etiam cogitatuum oblectationes. An sat citò, satis [illegible], satis constanter te opposueris? *Ego justitias judicabo.* O crudelis! non judicabit solummodò homicidia, percussiones, mutilationes, sed verbum omne ex iracundia profectum. *Qui dixerit fratri suo, [illegible] gehennæ ignis. Ego justitias judicabo.* (d) O ignave! non judicabit tantum [illegible] dierum violationes, omissionem Sacri, operum [illegible]: sed etiam operum bonorum perfectionem. Quo[illegible] tempore [illegible] te habueris: circumspectione, tabulis ritu, [illegible] templum DEI [illegible], cum qua attentione preces fuderis: an [illegible] in consodalibus scandalo fueris, qua intentione ad templum [illegible] *Ego justitias judicabo.*

O [illegible]! non judicabit tantùm ingurgitationem, ebrietatem, ingluviem [illegible] neglectum, delicias in esculentis & poculentis [illegible] [illegible], Apicii culinam, Vitellii prandia, cœnas Helioga[illegible], [illegible] Cleopatræ, pergræcationes Neronis, Epulonis Evan[illegible]: sed etiam, quo fine comestis abstinueris, quo animo [illegible], quàm perfectè sobrietatis leges servaveris? *Ego justitias*

C 2

(a) *Psalm. 74.* (b) *Ioan. 3.18.* (c) *Ad Galat. 5.19.* (d) *Matth. 5.22.*

justitias judicabo. O superbe! non judicabit solum elationem animi in DEUM, arrogantiam erga majores, fastum erga æquales, tui æstimationem nimiam, aliorum depressionem & contemptum; sed etiam, an neque te humiliaveris, an cum te aliis postponeres, interiora tua fuerint plena dolo: an prætenderis humilitatem cum aliquid obtinere voluisses: an ovi de rigido corpus ... an de humilitate laudem humilitatis ... tive ... humilitatis speciem, non virtutem habueris, an ... humilitate ... humilitatis ... non veritatem sectatus fueris. *Ego justitias judicabo.* O temerarie! non judicabit solum blasphemias in DEUM & Cælites, perjuria, execrationes, juramenta per fidem, animam, Sacramenta; imprecationes per diabolum & tartareos ... nales, quæ sunt tam frequentes, ut mirum sit, ... quosdam, qui ... bere ... nomen ... ab illo ... sed etiam nominis Divini usurpationem, quam parce, quam reverenter, quam circumspectè sit adhibita. *Ego justitias judicabo.* O mancipium vanitatis! non judicabit solum meretricium corporis ornatum, cynædicam comam, cincinnorum, antiarum in fronte ac temporibus compositionem inconsultè positam, colli dedecora, ... manuum, digitorum annulos, gemmas aurium, calceorum ... periscelides; sed etiam, an ... fluitate noxia, secundum conditionem natalium exornatus ... qualis fueris ore, vultu, & totius corporis habitu. *Ego justitias judicabo.*

O ludio intemperantissime! non judicabit tantum, an chartis pictis, alea, taxillis, qui sunt ludi omni jure vetiti; preciosissimum tempus, quod lectioni, scriptioni, studiis, familiæ administrationi, ac pietatis exercitationibus dandum esset, prodigè dilapidaveris, parentum pecuniam prodegeris, substantiam tuam diminueris: an eo in ludendi genere (ut fere semper accidit) fraude, dolo, mendaciis usus fueris, juramentis, blasphemiis, contumeliis, conviciis, DEUM sociosque lacessiveris; sed etiam, quomodo in ludo honesto te composueris, quantum illi temporis tribueris, an excesseris clamando, litigando, contendendo, rixando, an moderationis regulas verbo, ... servaveris. *Ego justitias judicabo.* O fili inobediens ac perverse! non judicabit solum, an in parentem tuum insurrexeris, an pugnos intentaveris, an pugionem extraxeris, an malum aliquod optaveris, an duris, morosisque verbis offenderis, an superbè ac contumaciter obloquutus fueris, an ... ris, an mandata illius contempseris, an torvum aspexeris, an mortem morbumve illi imprecatus fueris, an ipsi brevem vitam desideraveris, an ejus admonitiones spreveris, an senectam illius, & impotentiam, virium que defectum ludibrio habueris, sed etiam, quàm promptè, propensoque animo honoraveris, an omni obsequiorum genere tot pro te susceptos labores, & exantlatas molestias compensare curaveris, an in necessitatibus largiter subvenentis,

[illegible] [illegible]que, ac affabiliter semper cum eo egeris. *Ego justitias [illegible]*

[illegible] judicabit tantùm contra votivam castitatem peccata [illegible] urbi & orbis commissa, procacitatem lin-[illegible] quâ discurrunt omniæ, Agapita, Flora, Ca-[illegible], corporis ornatum propudiosum, [illegible] mi-[illegible] compotationes, [illegible]tationes, pergræca-[illegible] Divini [illegible]ctum, horarum cano-[illegible] [illegible]tiam; sed etiam, quâ [illegible] An ut D[illegible] servires impensius: an [illegible] & Christi patrimonium, ad profanos usus, ad delicias, [illegible] converteres. Quomodo castè [illegible] sed & san-[illegible] quomodo officii tui [illegible] persolvas: quomodo, secundum canoni-[illegible] vanitate oculos ab omni impuritate manus, ab [illegible] cupiditate appetitiones contineas. *Ego ju-[illegible]* O [illegible] impudentissime! non judicabit solum verba [illegible], susurrationum, verba contumeliæ, con-[illegible] verba obscœna, turpia, fescennina, quæ honesto-[illegible] aures ipso illapsu vulnerant: verba scurrilia, [illegible] verba mendacia, jocosa, ociosa. (a) Nam *de omni [illegible] quod loquuti fuerint homines: reddent rationem in die judicii.* [illegible] verba convenientia, pudica, necessaria, sancta, an [illegible] omnis cautelæ, honestatis, ædificationis spiritua-[illegible] prolata, quibus circumstantiis vestita. *Ego ju-[illegible]*

(a) *Matth.* 12. 36.

MEMBRUM V.

METUS JUSTORUM

A Loricâ & Paludamento Judicantis.

A[illegible] Deus Sabaoth Justitiâ, tam exactâ, tam [illegible] condemnante Loricatus, ac veluti [illegible] involutus [illegible] in summo sem-[illegible] homines, licet innocentissimi, memores Ju-[illegible] chlamydati. Audite Jobum, *semper quasi tumentes super [illegible]* DEUM, *& pondus ejus ferre non potui.* (a) DEUM Judi-

(a) *Job.* 31. 23.

cem respiciebat, cujus Iudic[illegible], ejusque timorem sentiebat super se, tan-quam tumentes, hoc est, valde formidabiles fluctus, extremæ [illegible] sententiæ pondus seu gravitatem negabat se ferre posse, quod [illegible] esset ad omnem excusationem, si DEVS Iustitiâ minima perscrutan[illegible], ut D. Gregorius (a) insinuat. At quis ille Iob? qualisque? Princeps [illegible] gentis, Hussitarum Regulus, domi militiæque clarus, & quod [illegible] est, omnium cultu virtutum exornatus. Humanitate in miseros [illegible] tanta, ut de se verissimè pronunciarit: (b) *Oculus fui caco & pes claudo: Pater eram pauperum & caussam, quam nesciebam, diligentissime investigabam: Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Si negavi*, id est, non negavi, *quod volebant, pauperibus: & oculos viduæ expectare feci.* (c) *Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, Ab infantia crevit mecum miseratio: & de utero matris meæ egressa est mecum.* Talis fuit Iob misericordiæ officiis, de quibus maximè disquisitio fiet in Iudicio extremo. Idem tanta fuit temperantiâ & castimoniâ, ut gloriari potuerit: (d) *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Si deceptum est cor meum super muliere: & si ad ostium amici mei insidiatus sum: scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii.* Tanta idem fuit fortitudine, ut nunquam in conflictu cum Cacodæmone vacillarit, nunquam cesserit, victoriam semper obtinuerit, Diabolum fatigarit, ipse rupis instar infractus, & infatigabilis.

At conscientia illum fortasse redarguebat de occulto facinore. Ne suspiceris: nam Iobi tam fuit bona semper conscientia, tam tranquilla, tam serena, ut profiteri palam non sit veritus: *Non me reprehendit cor meum: in omni vita mea justitia indutus sum.* (e) Sed quia non ignorabat alterius cujusdam Iustitiæ loricâ indutum ad Iudicium venturum Dominum exercituum, cum metu ac tremore advenientem DEUM Sabaoth, vivorum ac mortuorum Iudicem expectabat. Hanc caussam timoris sui conversus ad Iudicem insinuabat: (f) *Si lotus fuero quasi aquis nivium, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me*: id est, ostendes me sordibus maculatum esse. Nimirum *in Angelis* quoque Iustitia DEI *reperit pravitatem*. (g) Hinc illa ejusdem tremebundi: (h) *Vere scio, quod ita sit, & quod non justificetur homo compositus* DEO. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Sapiens corde, & fortis robore*, loricatus ac galeatus, armis omnis generis defensivis ac offensivis munitus. *Quis restitit ei & pacem habuit?* DEVS *cujus iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur, qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam*

(a) *Lib.2. Moral.cap.10.* (b) *Iob.29.* (c) *Iob.31.* (d) *Iob.31.1 9.* (e) *Iob.29* (f) *Iob.9.* (g) *Iob.4.* (h) *Iob.9.*

[illegible] habuero quidquam justum, non respondebo sed meum Iudicem deprecabor.

[illegible] eundem, eadem de caussa, animadverto in ISAIA Propheta [illegible] sanctissimo, qui ex metu Iudicii Divini dicebat, ut quibusdam [illegible] (a) *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ [illegible] nostræ*: nempe pollutæ sunt, instar panni menstruo fœdati. [illegible] hoc Propheta de [illegible] legis Mosaicæ propriè intelligat, sed [illegible] dari potest quas nos ab homine lapso, vitiato, ac peccato- [illegible] ciuntur. Quid dicam de PAVLO Apost. quem sine metu fuisse [illegible] retur con[illegible]ciam consulenti[illegible] At, ipsemet proclamat: (b) *[illegible] conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Mihi quidem [illegible] est, ut a vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum [illegible] qui judicat me Dominus est.* Hic [illegible] est timoris: nam ut præ- [illegible] S. Diadochus (c) eximiæ sanctitatis scriptor, longè majus & [illegible] Iudicium est conscientia nostra, quamvis exploratum sit ali- [illegible] nihil sibi se conscium esse. Unde S. GREGORIVS, sibi haud [illegible] metuens, exclamat: (d) *Væ laudabili vitæ hominum, [illegible] judicetur. Nam ante terribilis Iudicis subtile, atque incom- [illegible] examen, non solum mala, quæ commi[illegible], sed ipsa etiam si qua [illegible] grata timeamus. quia sæpe in tanto Iudicio, culpa esse de- [illegible] quod virtus ante judicium putatur: & unde expectatur pia [illegible] supplicium sequitur justæ ultionis.* Et S. BERNARDVS (e) *[illegible], cum ad hoc ventum fuerit, ne in tam subtili examine [illegible] justitiæ, ut putantur, peccata appareant.*

S. HIERONYMI vulgatissima est ista sententia, qua formidinem suam [illegible] bilem in illa vitæ quam agebat Stridonensis, austeri- [illegible] pœnitentiæ exercitatione: (f) *Sive comedam, sive bi- [illegible] [illegible] ille [illegible], sive aliquid aliud faciam, semper vox illa tude- [illegible] auribus meis* Surgite mortui & venite ad Judicium. *Quoties [illegible], totus corde & corpore contremisco. Si qua præsentis [illegible] agenda est, ut nunquam amaritudo futuri Iudicii rece- [illegible] Non est nostrum nosse tempora: id est, non expedit nobis [illegible] nosse, ut semper incerti de Adventu Iudicis, sic quotidie viva- [illegible] judicandi simus.* (g) *In die Iudicii Sol & Luna obscu- [illegible] diminutione Luminis, sed comparatione veri luminis. Alio- [illegible] habiturum septuplum Luminis, sed comparatione [illegible] tenebrosa erunt* [illegible]. *Ego in [illegible] scelerum [illegible] jacens [illegible] vinculis colligatus, [illegible] Domini [illegible]* [illegible] me venisse [illegible]. *Ego denique omnia tua timeo.*

AGA-

(a) [illegible] (b) 1 Corinth 4. (c) B. [illegible] cap. [illegible] (d) lib 29. Moral. (e) Lib. [illegible] (f) Comment. in Matth. (g) Epist. ad Cromat. & [illegible]

AGATHON Abbas, morti vicinus, triduo integro mansit [illegible] oculis apertis, instar attoniti. Rogatus a fratribus circumstantibus, *Abba, ubi es?* respondit: *ante tribunal Iudicis* DEI. Iterum sciscitantibus, & tu times? subjunxit: *Conatus quidem sum maximoperè, quantum [illegible] potui, ut mandatis Divinis obedirem: at hominem esse me [illegible] haud scio, DEO-ne opera mea placuerint, necne. Alia enim sunt [illegible] hominum Iudicia: neque [illegible] sum securus antequam ventum ad conspectum* DEI *fuerit.* Idem fuit sensus Abbatis ELIÆ, qui Tria [illegible] dum se timere ajebat: Mortem, occursum Judicis, supremæ sententiæ [illegible]ctionem. Efficacius operatus fuit timor Judicis Justitia loricati in [illegible] illo, cujus meminit B. Vincentius Concione in sexagesima. Is dum somniaret Iudicem Christum, visus est videre, & ab eodem interrogari in Iudicio, ac subito ex timore factus fuit canus. Timoris quoque [illegible] fuit in B. CEADDA, de quo V. Beda (a) lib. IV. historiæ Gentis Anglorum, quod quoties tonaret, aut fulguraret, aut vehementer aliqua procella ingrueret Iudicii extremi memor, solitus fuerit in orationem [illegible], DEIque misericordiam suppliciter exposcere.

SYLVANUS Abbas raptus, ac rediens ad se, cadebat in faciem [illegible] bat. Rogatus, quare? respondebat, ego ad Judicis tribunal [illegible] sicque lugebat senex, & nolebat deinceps exire de cella sua. [illegible] exire cogebatur, operiebat tegumento capitis faciem suam, dicens [illegible] necesse est videre lumen istud temporale? nimirum, faces extremæ [illegible] meditabundus versans (b) Admiranda fuit sententia Senis illius [illegible]bundi ad Iudicii commemorationem: si possibile esset in Adventu DEI Judicis post resurrectionem, præ timore interire animas hominum [illegible] mundus moreretur à timore atque formidine. Quale est enim videre [illegible] los scissos, & DEUM revelatum cum ira & indignatione, & totum [illegible] genus hominum intendere, ac MILITIAS innumerabiles Angelorum [illegible] dicandos cingere, ac minitari? Senex alius cùm videret quendam ridentem, dixit ei: Coram cæli & terræ Domino in Iudicio totius vitæ rationem reddituri sumus, & tu rides? Quoniam autem exemplis, [illegible] in Militia [illegible]strium, hoc anno, quæ addiscemus, stabilire [illegible] mus, subjungamus aliquot, quibus innotescat, quantoperè [illegible] Duces quibus nullus fuit metus à numerosissimo inimicorum exercitu, severum DEI Exercituum Iudicium perhorruerint. Exsurgat [illegible] primis bellicosissimus Rex DAVID, cui cum ursis & leonibus, [illegible] vero, cum Philisthæis belluarum illarum feritatem longè [illegible] fuit negotium, absque ullo timore. Is autem, ut observat S. Chrysostomus (c) cum metu ingenti & magna cordis contritione imp[illegible] animo

(a) Bed. lib. 4. cap. 3. (b) Lib. 5. vita PP. Tit. de compunctione. (c) [illegible] Chrys. lib. 2. de compunct. cap. 4.

[illegible] Iudicij Diuini aliquando certo certius futuri me-[illegible]. Eundem illum etiam in purpura, in luxu, & pompa ac licentia [illegible] semper secum reputasse & mente memori voluisse asserit. Et [illegible] habemus [illegible]mam illius ab omni hostili metu liberi testifica-[illegible]. *A* [illegible] *timui*, Psalmo CXVIII. quæ quamuis sit propo-[illegible]ta, [illegible] habet vniuersalis, ac si adiunctum esset ad-[illegible] & quemadmodum cor & caro illius exultabant in DEVM [illegible], ex consideratione bonitatis Diuinæ; ita ex contempla-[illegible] Iudicis, non tantùm secundum rationem superiorem, sed [illegible], ita vt caro contremisceret, se timuisse insinuat. Hinc [illegible]tio: *Non intres in Iudicium cum servo tuo, quia non* [illegible] *spectu tuo omnis viuens*, Psalmo CXLII. Et Psal. VI. *Do-*[illegible] *tuo arguas me* Quod precabatur, vt vult D. Chrysosto-[illegible]s exteriusque ex Iudicij apprehensione ac cogitatione [illegible]ret. Exaggerat autem diuinus ille Orator pium tanti Re-[illegible] & submissionem extremam, quod, cùm à DEO ipso appro-[illegible]que meruisset de Iustitiâ, alijsque animo inhærentibus [illegible] dotatus, ornatusque esset, de Iudicio tamen vltimo, & [illegible] perscrutatione cogitans, pauore quodam inexplicabi-[illegible]retur. Et tamen is erat de quo DEI ipsiusmet nondum [illegible] elogium: (a) *Inueni Dauid virum secundum cor meum.* [illegible] similis fuit

C[illegible]s Imperator, plurium regnorum moderator, qui cum [illegible] Imperij & fidei hostibus timeretur, timebat ta-[illegible], Diuini tribunal Iudicis, dicere solitus, vt re-[illegible], *cunctis mortales Magno Regi aliquando rationem vi-*[illegible] *b*) Iungatur his

[illegible] à potentia, ac virtute militari clarus, Regem [illegible] (*c*) Is vitam in luctu & mærore peragebat. Quod [illegible]ater, fiducia languidis verbis [illegible] [illegible], vt tacto [illegible] [illegible] ad fratris domicilium [illegible] hor-[illegible] clamores, [illegible]resque. Hoc enim æuo illo solenne erat, [illegible] capitis ferebatur. Quid facit hæc audiens [illegible] metuens Regis frater? [illegible], clamat, [illegible] [illegible] caput, [illegible] ad [illegible], [illegible] delicti, si [illegible] sit, [illegible] postulat. Cui Rex. Si tu tantùm me timeas [illegible]nquam læsisti, numquid ego meritissimò [illegible] diem

D

(a) [illegible] (b) *Lib. 4. cap 2.* (c) *Bernar de Bu*[illegible] [illegible] *in Apophth. Christian.*

diem illum, quo coram supremo Iudice, quem toties offendi, mihi erit comparendum? Si tu tantoperè horruisti tubam illam humanam, quis non horreat Diuinam, qua personante, omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij DEI?

SED quid mirum concuti cor, quamuis militare, viuâ Iudicis repræsentatione, cùm ad idem valeat pictura, minus ad mouendum potens, quippe mortua delineatio. Auctor est Curopalates scriptor Græcus, tempore Michaëlis Imperatoris, qui Theophili fuit F. Bohoris Bulgarorum Ducem ... ad terrorem Iudicis æterni, & deinde ad fidem fuisse traductum. Delectabatur impensè vir militaris venationibus, post bella ... cupiens non modò cùm venatum ibat perfrui, verùm etiam ... ædificatâ domo, Methodium quendam Monachum genere Romanum & arte pictorem iussit eam historiis exornare. Diuino autem ... factum est, vt non præscriberet Princeps, qualia ibi animalia depingi vellet, sed iuberet effigiari solùm ferocia ac terribilia ad pictoris arbitrium. Hic verò Diuinis ... contemplationibus, cùm existimaret nihil esse terribilius secundo CHRISTI Aduentu, siue extremo Iudicio, artem omnem suam consumpsit in repræsentando DEO SABAOTH Iudice, ... paludato, & armis formidabili, nec non in satellitio minas ... discurrentibus furiarum infernalium turmis, ac similibus ad illud spectaculum necessariis personis parergisque bellè efformandis. Mox sublatâ manu veloque de tabulâ, spectauit Dux in tribunali flammante Iudicem, & hinc iustorum, inde improborum cateruas, adscripta erat pro vtrisque sententia, quam explicauit pictor Monachus, & addidit ad fidem faciendam argumenta ex religionis Christianæ arcanis, quibus, DEO adiuuante, permotus Bogoris, extemplò abiurauit superstitionem, atque ab Episcopo catechizatus intempesta nocte Diuinum suscepit baptismum. Qui illi profuit quoque ad fortitudinem bellicam: cùm enim ob susceptã Christi Sacra, proceres Bulgarorum coacto exercitu, Ducem opprimere conarentur, ille paruâ suorum manu, Signo Crucis prælato perduelles fudit, reque inopinâ stupefactos ad fidem Christi perduxit. Sed boni omnis principium dedit timor *Dei Sabaoth* ob Iustitiam inflexibilem in Iudicio extremo metuendus. (*a*)

(a) *Cedrenus in Compendio hist. Ioann. Curopalates in hist. Baron. tomo 10. ad Ann. 845.*

MEMBRVM VI.

LORICA DEI SABAOTH

Zelus Diuinus.

POstremò, illam ipsam Iustitiam, quam vt Loricam, aut etiam Paludamentum Domino Exercituum adscribunt Diuina oracula, vocant quoque Zelum sapientissimus Salomon, & Propheta Isaias. Sic enim [illegible] illud Sapientiæ V. *Accipiet armaturam Zelus illius*, quod ex Græco [illegible] transfertur : *Accipiet armaturam omnem Zelum suum.* Quasi Zelus sit Panoplia DEI, illum cingens vndique. Quæ ab Isaia (a) [illegible] pallium *Indutus est vestimentis vltionis & opertus est, quasi* [illegible] pallium idem est, quod paludamentum, quo induti fuerunt Phinees & Mathathias, quando zelantes legem DEI, ferrum [illegible]antium sanguine imbuerunt, & obseruat Caspar Sanctius [illegible]tor. Non posset autem significantius exprimi DEI iudicantis [illegible], accensus irritati furor (nam & hic DEO attribuitur, [illegible] ac Zelus furorem accendit) furibundi vltionis [illegible] vindicandi certissima destinatio, denique rigor iudicii, & [illegible] sententiæ capitalis exequutio, quàm nominando Zelum. Nulla enim res magis bilem accendit, iracundiam exacuit, furo[illegible] omnes ad vltionem cogit, & irremissibilis vindictæ [illegible], firmatque, quàm Zelus. ZELVS non parcit amico, [illegible] primario, parenti, vxori, sponsæ. Zelo qui agitur, com[illegible] fugientem, ac dilanianti raptorem ablatis catu[illegible] iratæ, & irruenti in insidiatorem, pedibus ne[illegible] comparatur cum sæuissima tygride in irritatorem insi[illegible]liter sanguinolentos corpori infigente: æquiparatur [illegible] fame stimulante, in hominem ; lupo in ouile [illegible] imperium facienti. Zelotes, ac Zelotypus, si [illegible]que habeat illatæ ab insessore, aut insidiatore tho[illegible] ferro vberibus ac pectori adulteræ admoto, quamuis [illegible], sed multo magis in flagranti crimine deprehensæ, oran[illegible]em, ac suppliciter deprecantem, per innocentes [illegible] ciuientes, & vtrumque parentem miserabiliter vdis ocu[illegible], ac cum lacrymis ingemiscentes, per salutem & animam viri, per quicquid vbique sanctum & venerabile, per DIVVM & omnes Cælites, denique, [illegible] sordidatis lamentabiliter clamantem, vlulantem, [illegible], nulla spe veniæ, transverberat, obtruncat, corpus ma-

(a) Isai. 59.

inanime proijcit, & iacenti cadaueri, nondum tepefacto pedem insultans imponit.

MOSES Zelo æstuans, cùm peccasset populus idololatriâ, stans in portâ castrorum clamabat: (a) *Si quis est Domini, iungatur mihi. Ponat vir gladium super femur suum. Hæc dicit Dominus, ite & redite de porta vsq; ad portam per medium castrorum & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntq; filij Leui iuxta sermonem Moysi, ceciderunt q; in illa die, quasi triginta millia hominum. Et ait Moyses, consecrastis manus vestras hodie Domino. vnusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.* Ita imperabat Zelus. Cum vnus de Israelitis intrasset ad scortum Madianitidem, spectante populo, Phinees filius Eleazari zelo, accensus, arrepto pugione ingressus lupanar actu utrumque simul perfodit. Numeror xxv. Hoc præcipiebat Zelus.

SED incredibiliter maior ac flagrantior erit Zelus Christi Iudicis de quo est illud Prouer bio: ū vi. (b) *Zelus & furor Viri non parcet in die vindictæ. Nec acquiesset cuiusque precibus: nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Idcirco dicitur *Zelotes*, cuius comparatione est glacies maritus flamma, quamuis Zelotypiâ furiosi. Nam Christus intensius teneriusque amat quamcunque animam sibi fide, ac caritate in Sacramenti celebratione desponsatam, quàm illustrior inter homines suam coniugem. Omne autem peccatum mortale, vt alias fusè est demonstratum, non tantùm fornicationis, sed adulterij quoque rationem habet, contra fidem pacti, fœderis matrimonialis, thori coniugalis, omniaque iura, DEO CHRISTO tanquam animæ marito debita. Et non exardescat ob tantum sibi illatum dedecus? parcat adultero, vel adulteræ in die vindictæ & iudicij? acquiescat ille cujus quam precibus? suscipiat pro redemptione & condonatione tantæ injuriæ dona plurima? Non est tam sordidus, non tam vilis animi DEUS Exercituum, ut dedecus intolerabile precio sibi compensari permittat. Verissimè Beda V. *Dominus, qui nunc parcit reprobis, non parcet in die mortis* (& Judicii) *nec acquiescet precibus fere clamantium ad se: nec dona quorum non est sibi tempus vel faculis, suscipiet. Zelatur enim, si quis Sponsam suam, id est, Ecclesiam, siue animam quamque fidelem corrumpere præsumit.* Quare, ut acrimonia Zeli Divini exprimatur, ignis illi adjungitur in Sacris paginis. *In igne Zeli mei*, inquit Deus, apud Ezechielem, (c) *loquutus sum de reliquis gentibus*. Et Sophonias Propheta. (d) *In igne Zeli ejus devorabitur.* At Rex David DEUM alloquens: *vsque quo accendetur, velut ignis, zelus tuus?* (e)

VULTIS hujusce, zeli exempla aliquot? ad quæ meritò tinnirent aures utræque, nisi frequenter audita essent, ideoque insolentia sublata, ut ...

(a) Exodi 32. 26. (b) Proverb. 6. 34. (c) Ezech. 36. 5. (d) Sophon. 1. 18 (e) Psalm. 78. 5.

[illegible]ntur. Quæ tamen recogitata salubri timore mentem concu-
[illegible], & [illegible]am fore in Judicii tribunali Judicem declarant: cùm
[illegible]pore, quod est misericordiæ, tantam Zeli vehementissimi acti-
[illegible] exerat. Quid commiserant generis nostri parentes primi, Adam
& [illegible] gustare ant de fructu arboris cujusdam, quam DEUS mandato
[illegible]. [illegible]lum erat, pomum unum, per se bonum, præcepto ve-
[illegible], aspexisse, tetigisse, decerpsisse, osculo libasse, dentes
[illegible], [illegible] abstulisse, ac comedisse? At quoties tu car-
[illegible], idque mandato prohibitam, voras? quoties contra
[illegible] leges, ut gulæ obsequaris, ventrem ingluvie extendis? quo-
[illegible] farcis? quoties usque ad ebrietatem, usque ad egestio-
[illegible] vià, quâ intrant, potus cibusque, usque ad vomitum,
[illegible], exhibes? At, quam graves à Zelote Deo pœnæ idcirco,
[illegible] propter unum delictum, quàm longæ ob momentaneam
[illegible] fuerunt irrogatæ? Viro fulminatur: (a) *Maledicta terra
[illegible] in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas &
[illegible] tibi & comedes herbas terræ donec revertaris in ter-
[illegible]es.* Quid commiserat terra? & tamen punitur, quia
[illegible] peccaverat. *Mulieri,* tanquam tonitru incutitur: *Multi-
[illegible] tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios & sub viri
[illegible] & ipse dominabitur tui.* Heu! quanta calamitas ob facilem
[illegible]m. At modò in duobus consisteret sive labor, sive dolor,
[illegible] ærumnæ. Non hoc visum satis zelo Omnipotentis. Ex-
[illegible]d omnem stirpem sequuturam: ad natos natorum,
[illegible] ab iis: nec in horum capitibus stabit vindicta: nam non
[illegible] nisi Unigeniti sui sanguine. Et tu censes tempore Justi-
[illegible] fore Judicem, qui diebus Misericordiæ tam fuit inflexibilis ac
[illegible] omnes?

[illegible]s VI. *Videntes filii DEI,* qualescunque tandem illi fuerint,
*[illegible]m, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus,
[illegible]* Non lego, quod fuerint scortati, quod fornicati, quod
[illegible] contra castitatem patrarint, quod adulteria commise-
[illegible], quod sacrilegia: quæ nunc fortasse alicubi sunt in usu:
[illegible] Sodomæorum, & Gomorrhæorum; nuptias tantum
[illegible] uxorias, quæ ubi ubi non appetuntur? Et tamen zelus Dei
[illegible] universali undique concurrentium consumpsit *omnem
[illegible] movetur super terram, volucrum, animantium, bestiarum,
[illegible], quæ reptant super terram, universos homines, & cun-
[illegible]aculum erat vitæ in terra:* paucis hominibus exceptis,
[illegible] humanum auferretur de terra. [illegible]unc & immunditia, im-

D 3 pudi

(a) Genesis 3.16.17.18.

pudicitiâ, lasciviâ, luxuriâ, fœditatibus carnis te conspurca, aut propter nuptias voluptuarias DEUM desere, ac Judicem misericordem tibi fore in die ultionis persuade.

GENESIS XIX. Uxor Loth fugiens è Sodomis territa, aut curiositate ducta retrospexit. Estne hoc tam enorme crimen? & tamen Zelo DEI vindictam sumente de tanto illo, in statuam versa obriguit. Et tu post propositum decies iteratum de emendanda vita, post promissam pietatem, post castitatem votivam, post mundum desertum, post religiosum [illegible] inito, retrò vultum convertis, & Judicem in die retributionis benignissimum tibi fore spondes.

NUMERORUM XV. Cùm essent filii Israël in solitudine, *invenerunt hominem colligentem ligna in die Sabbati, & obtulerunt eum Moysi & Aaron, & universæ multitudini, qui recluserunt eum in carcerem, nescientes, quid super eo facere deberent.* Pœnam tantillæ prævaricationi [illegible] Zelus. Nam *dixit Dominus ad Mosem, morte moriatur homo iste: obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Quod mox factum est. I & nunc, & dies festos omissione Sacri, opere servili, potitatione, choreis, negociando, ludendo, DEUM blasphemando viola, & Judicem mollem ac dissolutum fore in die vindictæ cogita. JOSUE VII. Acham miles sumpserat nonnihil de rebus Hierichuntinis, contra prohibitionem DEI. Tamen ob tantillum delictum unius, cæsus fuit Israëlitarum exercitus semel, cædendus sæpius nisi prævaricator inventus capite luisset. Et tu tibi blanditiis de libertate militari. Es miles. I ergo, surripe, prædare, spolia, furta, raptus, sacrilegia accumula: non dubites Iudicem militi in die judicii indulgentissimum futurum. *Libro secundo Reg.* cap. VI & 1. Paralipom. cap. XIII. OZA Sacerdos cum Arca DEI adduceretur in plaustro, & metus esset ne concideret, extendit manum ad Arcam & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, at iratus indignatione Dominus contra Ozam, percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta Arcam DEI. Ob tantillum delictum occidi Sacerdotem: hic est rigor Zeli. Existimant Hebræi Ozam irreverentia peccasse, quod post uxoris usum nocte illa Arcam attigerit, vel nudam manibus contrectarit, vel bobus non hominum humeris deportandam dederit, ideò tam graviter zelante Domino punitum. Et tu Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini irreverenter tracta, cum peccato non uno mortali manduca, post impudicitiæ fœditatem suscipe, & mitissimum Iudicem tempore zeli imaginare. *Libro tertio Regum* cap. XIII. Propheta quidam iter faciens, contra DEI mandatum in domo alterius, qui se etiam Prophetam dicebat, deceptus manducabat. Iustissima videbatur excusatio; nihilominus in reditu, DEI judicio, trucidatus interiit. Ob tantillum-ne delictum, quod nullum hic apparebat? Sed aliud fuit Iudicium zelantis DEI. Quod tibi propo-

proponis, eum re[illegible]m ad peccatum induxiſſe, carnem a[illegible]ev[illegible]ſſe, Cacodæmonem inſtigaſſe comminiſceris, & Iudicem in die ſeveriſſimi examinis excuſatiunculas ejuſmodi frivolas acceptaturum fingis.

NUMERORUM XVI. Core conſobrinus Moſis, adjunctis ſibi Dathan Abiron & Hon Moſi ſe opponunt, cum aliis ducentis quinquaginta, & [illegible] ſuccu[illegible] c[illegible]r ficantes igne divino [illegible]. [illegible]nc murmurat populus: ſed non ceſſat Zelus Iudicis, qui ex eis quatuordecim millia & ſeptingentos igne conſ[illegible]. I nunc, obmurmura, [illegible] & obſtreperus parentibus, magiſtris, magiſtratui, ſuperioribus, & Iudicem horum ſimiliumque immemorem fore exiſtima. Quis non [illegible] audiens è ſexcentis armatorum millibus, & mille ſeptingentis [illegible] quos Deus tanquam filios dilectiſſimos ex Ægypto evocaverat, [illegible], hoſtibus potentiores reddiderat, pane cæleſti paverat, [illegible] ad terram toties promiſſam, præter Caleb & Ioſue, pervenire, [illegible] tanta multitudine ob murmuratiunculas, & ejus generis ſimilia, [illegible] contubernio accidere ſolita.

[illegible] multò horrorem incutit recordatio Moſis, hominis mitiſſimi [illegible], ac ſecretorum divinorum participis. [illegible] enim [illegible], tantum virum, petra ſemel inaniter percuſſa ad [illegible] animo hæſiſſe aliquantulum, & cum aliqua dubitatiuncula [illegible] ſpecie iteratam percuſſionem tentaſſe. Nihilominus hoc [illegible] Deo, cur judicaret non eſſe ad terram promiſſionis admittendum [illegible], quem ſuo loco omnibus eò tendentibus præfecerat. Poſt [illegible] Deo dicenti fidem non adhibe, non crede affirmanti: *Qui talia agunt regnum DEI non poſſidebunt*: (a) de promiſſis DEI ambige, [illegible] dubita, de ſeveritate hæſita: vive ut infidelis aut infideli [illegible] Iudicium tibi leviſſimum à zelote DEO adpromitte.

E[illegible] nihil ex nova lege quæ tota eſt gratiæ ac miſericordiæ, adferam. [illegible] delictum. *Convivam* invitatum ad nuptias veniſſe abſque [illegible]: tamen audivit idcirco condemnationis programma: *[illegible] manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium*. (b) Et tibi nimirum parcet, ſine caritatis cyclade ad [illegible] arrepenti, immò cum veſte fœtentis turpitudinis [illegible] accumbenti. Erat ne crimen enorme, *Ananiam, & Sapphiram* (c) conjuges, de futuro ſolicitos, quædam ex ſua ſubſtantia, ad [illegible] diſſimulanter, cùm cetera ad pedes Apoſtolorum [illegible] ſervaſſe? Aliena non rapuerant, & tamen morte puniuntur [illegible], pronunciata à Petro, tanquam judice ſententia. Et [illegible] inſidianti, res proximi ſuffuranti, famæ bonorum detra-

(a) [illegible] 1. Corinth. VI. 9. *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt*. (b) Matth. 22. 13. (c) *Actuum 5*.

detrahenti, à rapinis infami & peculatu parcet zelo plenus Judex. Profectò, *zelus & furor Viri non parcet in die vindictæ.*

MEMBRUM VII.

GALEA DEI SABAOTH

Iudicium certum.

JAM verò armatus Zelo, ut Loricâ Judex, *accipiet pro Galeâ Iudicium certum*, Sapientiæ V. E Græco dicere possis, circumponet galeâ, Judicium haud simulatum, non hypocriticum, simplex, sincerum, integrum: nonnulli legunt, rectum. Quæ omnia conveniunt Judici Deo, illiusque Judicio. Armatum erit Caput Christi judicantis sinceritate, integritate, incorruptione, veluti Galeæ integumento, ut inferenda contra reos sententia, nihil respiciat nisi actuum qualitatem, & quantitatem demeritorum, ut justè ijs pœnæ gravitas ac longitudo respondeat. Itaque Capitis illius sincerissimi Judicium non corrumpent munera, non pervertet favor, non mutabunt amicitiæ, non inflectet intercessio, nihil rapiet transversum metus, non alliciet respectus hominis. Non aberrabit in judicando Christus, Æterna Sapientia, ideoque nihil poterit illius Iudicio opponi, nullus ei contradicere, nemo refragari. *Divinatio in labiis Regis*, inquit Sapiens, (a) *& non errabit in Iudicio os ejus.* Quod de DEO & Christo, Rege regum, ac Domino dominantium exponit Beda Venerabilis. Non sedebit in tribunali suo, tanquam histrio, vel hypocrita, persona ficta decipiens, aut deceptus. *Magister, scimus quia verax es, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum*, (b) dicebant simulatores Pharisæi evidentia sinceritatis in Magistro convicti, sed id magis conveniet Iudici semper vero ac veraci, & verè judicanti.

De *vultu ejus Iudicium prodibit*, Psalmo XVI. sed Galea obvelatus, non respiciente personam cujusque, nec prece aut pretio variabilis. Quamvis alio intuitu ac intellectu, aperto vultu, & flammantibus oculis, itæque pleno aspectu, in impios vibrabit, fulminabitque feralem sententiam, ita ut statim dividantur *ab irâ vultus ejus*, quod perspicacissimus Iudicii Divini scrutator David cecinit. (c)

(a) *Proverbior. 16. 10.* (b) *Matth. 22. 16.* (c) *Psalm. 54. 22.*

MEM-

Membrum VIII.

SCVTVM DEI SABAOTH

Æquitas.

NEque Scuto aut *Clypeo* carebit Devs *Exercituum*, cùm ad judicandum procedet, *Sumet Scutum inexpugnabile, Æquitatem*, ait (a) Sapiens, de Deo Iudice, ejusque armatura differens. Est *Scutum* sive *Clypeus* veritatis. Psalmo xc. *Scuto circumdabit te veritas ejus.* [illegible] Christus in die Judicii ad se quasi defendendum contra *patrem mendacii qui in veritate non stetit* (b) accusantem mendaciter Judicem [illegible] rigore. Est *Scutum fidei* ac sermonis, ad Ephesios VI. (c) quo tela nequissimi ignea extinguuntur. Et hujus usus erit ad blasphemas impiorum voces excipiendas, & retundendas. Est *Scutum cordis*, de quo Threnorum III. (d) *Reddes eis vicem, Domine, juxta opera manuum* [illegible] *eis* Scutum cordis, *laborem tuum*: nimirum, quando Christus sceleratis exprobrabit laborem, doloremque suum, & Passionem, [illegible], sponte obitam, & illius fructum immensum ab impiis spretum, ac sanguinem conculcatum. Sed exprimit Sapiens *Scutum æquitatis*. [illegible] ὁσιότητα, quod vertere licet *sanctitatem*, seu immaculatam [illegible] & innocentiam; quæ inexpugnabile Scutum efficit, cùm sit [illegible] complexio, ut Cantacuzenus ostendit Sapientiam Salomonis [illegible]. *Scutum DEI Sabaoth*, quà Judicis, est Sanctitas, seu [illegible] quam concipe velut in sinistra illius instar Clypei [illegible], quo [illegible]um, damnatorumque omnium maledicta, Devm [illegible], tyrannide falsissimè accusantium, sed minimè [illegible], [illegible] spicula repellentur, ac in ipsos reflectentur.

[illegible] Imperatorem, vel sola hac armaturâ qua tegi [illegible] ad [illegible] adversariis timorem maximè idoneum. [illegible] consideratione impressam, & identidem [illegible] animi Pædagogum appellat D. B. [illegible], [illegible] Cacodæmonis sagittas B. Cyrillus, Frænum in[illegible] omnes autem uno ore pronunciant, esse adju[illegible] quo [illegible] sit efficacius ad vitandum effugiendumque scelus quodcunque.

[illegible] ad [illegible] instigat depravata natura, dum allicit sen[illegible] dum [illegible] cupiditas, dum blanditur Mundus, [illegible] caro, trahit voluptas, rapit consuetudo, cogit, sed sponte

 curre-

(a) Sap. 5. 20. (b) *Psalm. 90 5.* (c) *Ioan. 8. 44.* (d) *Eph. 6. 16* (e) *Thren. 3. 64.*

currentem, aut ruentem, voluntaria necessitas: Dum ab unâ parte insurrit superbia, ab alterâ sagittat Cupido, à dextris arietat ira, à sinistris jaculatur invidia, à fronte, igneum missile vibrat lascivia, a tergo impetit acedia, linguam protitat gula, si vis esse securus, Judicem cogita DEVM *Sabaoth*. paludatum zelo, loricatum Justitiâ, galeatum Judicio, clypeatum Æquitate, præ se ferentem iram, spirantem severitatem, minitantem sine intercessione vindictam, & insonet auribus tuis feralis tubæ sonitus, SVRGITE MORTVI, VENITE AD JVDICIVM.

NOTÆ

In quibus Auctores, & Miscellanea.

§. DOMINICA I. Adventus.] *Adventus Domini, more Romano. incipit Dominica prima post diem S. Catharinæ crastinum, teste Radulpho l. de Canon. observat: & habet quattuor Hebdomadas; licet non semper integras, & quattuor Dominicas. More Ambrosiano incipit Dominica prima festum S. Martini Turonensis sequente, & continet sex hebdomadas.*

Est tempus partim lætitiæ, partim luctus, & mæroris. Unde in eo non recitatur Canticum, TE DEVM laudamus, *nec* Gloria in excelsis, *nec dicitur,* Ite missa est, *ad finem sacrificii: Deponuntur gaudii ac lætitiæ vestes ab Ecclesiasticis, maxime in Ecclesia. Retinetur tamen Alleluia: Plura de hoc tempore habet Ioan. Azor Tom. 1. Instit. Moral. lib. 10. cap. 16.*

§. DVPLEX Christi D. Adventus.] *Est Adventus D. duplex: Prior præteritus, quando æterni Patris Filius carnem indutus, seu* Verbum Caro factum *è cælo in terras venit. Posterior est in expectatione, quando idem sub mundi finem venturus est, ut judicet vivos & mortuos. In utroque venit; Ut omittatur hoc anno alias personas, quas sustinuit, Redemptoris, Salvatoris, Liberatoris, Doctoris, Mercatoris, Pugilis, Medici, Sponsi, Mariti, quarum considerationibus nostros animos annis precedentibus suavitè pavimus, ac jucunde oblectavimus, & fructuosè instruximus; venit dico, tanquam* Rex Potens *omni armorum auxiliorumq; genere instructus:* Veniet ecce Rex excelsus cum potestate magna, *canit hac die Ecclesia: ad hostes suos debellandos, ac sub jugum mittendos, & his post devictos adversarios omnes, novum, quod in omnem æternitatem durabit, regnum constituendum.*

Inimici autem illius & hostes capitales sunt Peccatores & Peccatum: nam odio simul sunt Deo impius, & impietas. *Sapientia* XVI. 9 *hostes sunt vitiorum agmina, Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia*

[illegible] hostes sunt Perturbationes animi, quas Passiones dicimus, [illegible] indomitæ, Amor, Odium, Voluptas, Desperatio, Audacia, & ejus generis infinitæ aliæ pestes animata in hominibus: hostes denique sunt Spirituum immundorum acies, Luciferi Archicacodæmonis asseclæ. Ad hos debellandos venit CHRISTUS in utroq; Adventu. Unde in utroq; apparet ut BELLATOR fortis.

§. IVDICIVM extremum.] Duplex est IVDICIVM animarum finale, PARTICVLARE & UNIVERSALE, quod & EXTREMVM. De Particulari agunt Scholastici in 4. dist. 47. & S Thomas parte 3. q. 59. art. [illegible] Petrum Thyræum l. de Iudicio particulari. Illius Iudicii terror exemplis declaratur in Theatro vitæ humanæ, titulo, Index, Iudiciũ, a pag. 448 ibidem, quomodo ali[illegible] suspensum sit & dilatum per [illegible] sanctorum.

De Iudicio Universali Extremo [illegible] Scholastici in 4. dist. 43. S. Thomas in supplemento 3. p. q. 73. [illegible] ejus in 3. p. Valentia, Suarez, Tannerus, Sonnius tractatum integrum de Extremo Iudicio. [illegible] sermonibus in Dom. I. Adventus. Et qui locos communes pro Concionatoribus ediderunt, Lopez, & Labata. Meditationum & contemplationum scriptores, cum agunt de quatuor novissimis, Vincentius [illegible], Ioan. Busæus, Ludovic. de Ponte, [illegible] Alvarez Paz. Christianus Mayer, [illegible] Exercitiorum S. Ignatii hebdomada 1. Ludovicus de Palma, & alii. Multa accumulat, & exemplis confirmat de Iudicii universalis loco, tempore, signis, formâ, horrore, Auctor Theatri vitæ humanæ, titulo, Iudicium universale, a pag. 450. Eruditè de eodem disserit Philippus Bosquierus in Concionibus, de finibus Bonorum & Malorum, lib. 2. à Concione XVI. ubi notat.

§. Vallis Josaphat.] *Communis opinio quod hæc Vallis sit futurus locus Judicij, sumitur ex Joëlis* 3. Congregabo omnes gentes in valle Josaphat, & disceptabo cum eis. *Item.* Consurgant & ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. *Legendi interpretes Joëlis, & Commentatores Matthæi* XXIV. *nec non* Barradius *tomo 3. lib. 9 cap. 18.* Lorinus *Actuum 1.* Sic veniet, quemadmodum vidistis eũ euntem in cælum. Suarez *tom. 2. in 3. p.* Jacobus Salianus *de Timore DEI lib. 8.* Franciscus Quaresmius *in elucidatione Terræ sanctæ tomo 2. lib. 4. cap. 2. & 3. ubi occurrit objectionibus illorum, qui negant futurum Judicium in valle Josaphat. Joan. Baptista Vilalpandus Tom. 3. in Apparatu urbis cap. 5. docens* Vallem Josaphat *dictam* Vallem Montium. Martinus de Roa *lib. 4. singular. cap. 5.*

Huc *etiam facit vaticinium Zachariæ capite* XIV. 3. Egredietur Dominus; & præliabitur contra Gentes. 4. Et stabunt pedes ejus in die illa super Montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad Orientem; Et scindetur Mons Olivarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem prærupto grandi valle: & separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium ejus ad Meridiem. *Nimirum, in die Judicij, Christus Judex cum omnibus Angelis & Senioribus, ac Principibus suis, scilicet, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & Sanctis descendet in Montem Oliveti: unde tunc cum sua Majestate & potestate ingenti terra motu concutiet, ut ipse quasi præ horrore & veneratione Christi Judicis contremiscat; simul, ut hoc terræ motu se findat, amplietq́; Vallem Josaphat ad capiendum omnes homines judicandos à Christo in illa. Si enim DEUS daturus Legem in Sina descendens concussit Montem Exodi* XIX. *multo magis id faciet descensurus ad Judicium* Deus Sabaoth, Dominus Exercituum.

Idipsum disertè adstruit B. Clemens Romanus *lib.* VII. *Constitution. Apostolic.* Mons ipse Oliveti, *inquit*, gloriæ venientis cedet, & in quattuor partes diffractus longissimè diffugiet, ut Tribunal Judicis theatrum totius orbis assistat. Trepidatio verò hominum tanta erit, ut insani diffugiãt in mediam vallem, quæ futura est amplissima cum mõtibus remotis conjungenda sit cum omni circumposito campo. *Hæc verbis Prophetæ mirificè congruunt. Atque ita exponunt Zachariæ prædictionem* Emmanuel Sà, Iosephus à Costa *l. 4. de Tempore noviss. cap. 13 & 14.* Leonardus Lessius *lib. 13. de Attribut. Divin. cap. 21.* indicat *inquens*, Zacharias, montem Olivarum juxta quem *Vallis Josaphat*, scindendum in quattuor partes, ut fiat maxima planities, in qua excipiantur judicandi. *Scissio autem illa repræsentare potest separationem Australium, id est, ferventium &*

Electorum ab Aquilonaribus, id est, frigidis & Reprobis. Illi enim erunt Orientales, quia Orietur eis lux & gloria sempiterna: hi verò erunt Occidentales; quia ibunt in Occasum & mortem æternam.



COMMENTATIO VIII.

DIES IVDICII.

Dominica IV. Adventus.

Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet. XXIV. 21.

MEMBRVM I.
MILITARIS CONTEMPLATIO
Circumstantiarum, ad Magnum Iudicij vniuersalis Diem spectantium.

DE *Loco* fatalis pugnæ transimus ad *Diem*, cùm tam sine certo aliquo tempore, quàm sine loco, non possit esse congressus: immò, tempus locum videtur præcedere: nam prius esse videtur, advenisse diem, quàm esse in loco conflictus. Sed de hoc disputent Philosophi. Istud considerationis est nostræ, quod quemadmodum ex *Loco*, ita ex *Die* conflictus, sumatur prognosticum, ac sæpe certissima præsagitio infelicis, aut fortunati successus. *Diem Iudicij*, tanquam *Diem belli*, vel prælij contemplanti, omnia malè ominosa, & infelicissima occurrunt pro Reprobis, contraria autem ac certa victoria pro Electis ac probis. Supremum imminet exitium sceleratis hominibus, si conflictum ineant cum DEO, & illius Exercitu: profligabuntur prima statim aggressione, cadent, interibunt, præcipitabuntur in barathrum: certissima DEI milites & gloriosissima manebit victoria. Hoc *Dies belli finalis* portendit, immò loquitur. Nam omnia illius Diei epitheta sunt talia, ut DEI hostibus exitium prænuncient.

AVDIATVR futurorum, tanquam præsentium fidelissimus narrator Sephonias Propheta, cujus est ista relatio, capite primo: *Iuxta est* DIES *Domini* MAGNVS *: juxta est, & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ Dies illa, Dies tribulationis & angustiæ. Dies calamitatis & miseriæ, Dies tenebrarum & caliginis: Dies nebulæ & turbinis.*

Dies

Dies tubæ, & clangoris. In originali sermone fæcundissimo variorum sensuum, non solum illa quæ vulgatus Interpres exprimit, verum etiam multa alia continentur, quæ suggerit aliorum interpretum lectio. Nam LXX. ita vertunt: *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & necessitatis, dies miseriæ & perditionis, dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis & nebulæ, dies tubæ & clamoris.* Chaldæus autem, *Dies ille, dies afflictionis, & angustiæ, dies tumultus, & commotionis, dies tenebrarum, & caliginis, dies nubilosus & obscurus, dies buccinæ & jubilationis.* Ex recentioribus, Pagninus: *Dies iræ, dies illa, dies angustiæ & afflictionis, dies tumultus & desolationis, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & caliginis, dies tubæ, & taratantara.* Denique, versio Tigurina originalem dictionem proximè exprimens. *Dies excandescentiæ dies illa, dies angoris & coangustationis, dies desolationis & devastationis dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis.*

SED hæc omnia, & multa alia DIES Domini MAGNUS continet, si epitheton illud benè excutiatur. Indicat enim, Diem illum unicum bonis fore faustum, felicem, jucundum, ac victoriosum, improbis infelicem, ingratum, horrendum, ac infortunatum. Habet namque vox illa *Magnus* duplicem significationem. Aliquando idem est, quod faustus, felix, fortunatus. Qua ratione explicatur in illo Maronis Egloga IV.

Teq; adeò decus hoc ævi, te Consule inibit
Pollio, & incipient MAGNI *procedere Menses.*

Cùm enim totum illud carmen ex Sibyllinis Oraculis desumptum sit, ac Mundi Servatori, ex Constantini Imperatoris interpretatione, conveniat, varia aurei seculi commoda decantantur: inter cetera, *Magnos* dies processuros, & *Magnos* menses: id est, ut eruditi exponunt, felices, faustos, ac boni ominis menses. Quæ significatio apud alios quoque Latinissimos scriptores occurrit.

AT, ex opposito interdum *Magnus* in malam partem sumitur, pro gravi, duro, acerbo, molesto. Sic illud Virgilij Æneid. I. capiunt docti interpretes:

Ille ubi complexu Æneæ, colloq; pependit.
Et magnum falsi implevit genitoris amorem.

Ubi Servius: *Magnum*, inquit, id est, arduum: difficile enim est imitari veri filij adfectum; immò, & molestum ac grave, ostendere amorem, quem non habes. Sic apud Ovidium pater Phaëtonti currum Solis exposcenti,

Magna petis Phaëton, & quæ non viribus istis
Munera conveniunt.

Magna, hoc est, gravia, suo te pondere oppressura, & in exitium pertractura. Utrumque bellè convenit Judicij finalis Diei, qui sive

Magnum

Magnum, pro bono capias, & felici; sive pro gravi, molestoque, & ad interitum spectante usurpes, erit DIES ille TER MAXIMUS.

MEMBRUM II.

DIES IUDICII

Christo Iudici, Bonis Angelis, Electis Hominibus Bonus, Felix, Faustus.

MAGNUS DIES Domini, id est, bonus, felix, faustus erit, tum Judici; Domino Exercituum; tum illius Militibus contra insensatos adstantibus, & pugnaturis. Judici imprimis bonus erit, quoniam Justitiæ suæ maximum exhibebit terræ cæloque documentum: nam sibi datam omnem in cælo & terrâ potestatem ostendet: quoniam justam sui nominis hostibus vindictam retribuet, & amicos de bonis suis locupletabit: quod bonitatis maximè proprium est. Iustis autem, & Beatis bonus quoque ac felix Dies ille illucescet, quia vitæ mortalis incommodis, & morte ipsâ, quæ malorum omnium postremum & maximum est, improborum denique calumnijs, quæ magis aliquando, quàm mors ipsa cruciant, liberabuntur, & in cælorum domicilio, ævo inibi sempiterno permansuri, collocabuntur. Etiamsi hic circumveniantur falsis accusationibus, iniquis judicijs, perversis, & ab æquitate alienissimis sententijs, illucescet aliquandò *Magnus* ille *Dies*, qui *revelabit abdita tenebrarum, & manifestabit abscondita cordium*. Quamvis hic circumeant in melotis, in pellibus caprinis, mærentes, afflicti, angustiati, veniet tandem *Magnus Dies*, qui *reddet unicuiq; secundum opera sua*. Quamquam hic subjiciantur tormentis, excrucientur, excarnificentur, erit semel *Magnus* ille *Dies*, qui iniquas judicum sanctiones retexet, & pro ignominia gloriam, pro damnatione coronam, pro supplicio gaudium decernet sempiternum.

RELIGIOSUS patiatur modò in silvis, antris, cellis, obducat vix benè cohærentia corporis membra hispido pilorum sacco; atterat carnem jejunijs, flagris, peregrinationibus; defædet faciem continuis lachrymis, damnet lætitiam omnem perpetuis gemitibus, tundat pectus verberibus, vivat in luctu & squallore, dormiat humi, ambulet nudis pedibus: sedeat cum patiente in sterquilinio percutiatur ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem capitis, omnem morborum dolorumq; cruciatum, putredinem, vermes, ossium divisionem, nervorum dissolutionem, membrorum fatigationem, lepram, scabiem, elephantiasin, podagram, chiragram, arthritidem, pleuritidem, anginam, marasmum immittat Satan; blasphemias addant domestici, irrisiones ignoti, molestias amici; interim testâ saniem ex ulceribus protuberantem excipiat. Linguis, manibus, pedibus iniquorum

quorum & scurrarum sit, tanquam scopus expositus, in quem jaculentur ore cum sputis dicteriorum jacula, manibus cum luto, verbera; pedibus cum lapide, opprobriorum calces.

Consurget tandem *Magnus* ille *Dies*, faustus nobis ac fælix, in quo pro antro, vel cellâ, palatium; pro solitudine famulitium, cum Angelorum comitatu; pro sacco, purpura; pro inediâ, epulæ; pro peregrinatione, quies; pro flagris, voluptas; pro lacrymis, gaudium; pro gemitibus, cantus; pro suspirijs, jubilus; pro contemptu, laudes, pro contumelijs, epinicia; pro blasphemijs, honores; pro morbis, sanitas; pro squallore, pulchritudo; pro sputis, gemmæ; pro verberibus, torques; denique, pro modicâ afflictione, æterna retributio; pro creaturâ relictâ, DEVS, merces magna nimis, felicissimâ commutatione, Religiosis justisque omnibus adnumerabitur.

HÆC una piorum spes in perpetua corporis animique afflictatione, dum mundus gaudet, seculum exultat, profani lætantur in rebus pessimis, dum impij tripudiant, ludunt, bacchantur, cantillant; dum epulones splendidè vestiuntur, opiparè epulantur, fœdè luxuriantur, & ducunt in bonis dies suos; dum voluptatum mancipia molliter quiescunt, subant, delicijs affluunt, quicquid corpori suave consectantur. Profectò, miserabiliores essent omnibus hominibus Religiosi, pijque alij, qui spretis hujus seculi delicijs, abdicatis corporis voluptatibus, quibus non minus, quàm ullus ex vobis frui possent, rejectis molliter vivendi commodis, nisi in tunsionibus & pressuris ad *Magnum* hunc *Diem* respicerent.

ET securè eorum quilibet dicere posset, *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea:* (a) in quâ propter spem Israël, catena hac circumdor, veste hac cilicinâ induor, Crucem hanc in capite gesto, inter epulas esurio, in medio nationis pravæ DEVM meum colo, in carcere dego, in equuleo crucior, in patibulo suspendor: *In carne meâ*, quam in humo nuda colloco, quam flagellis ac scorpionibus, ut sanguis prorumpat, cedo, quam lorica ferrea contra insultus Satanæ munio: *In carne meâ*, quam laboribus affligo, vigilijs attero, peregrinationibus fatigo: *In carne mea*, quam mundo denego, Cacodæmoni subtraho, voluptatibus privo. *In carne mea*, quâ terram calco, amicis renuncio, ad cælum suspiro: *In carne mea*, in qua Stigmata Domini mei circumfero, gratiam Redemptoris mei contego, DEVM meum porto: *In carne mea videbo DEVM meum.*

QVEM *visurus sum ego ipse, & oculi mei*, quibus omnem pulchritudinem humanam despicio, omnem elegantiam terrenam contemno, omnem venustatem vanam rejicio: *Et oculi mei*, quos DEI mei auxiliante gratiâ, ab omni vanitate averto, à spectaculis contineo, ab inhonestis

(a) *Iob.* 19. 26.

quibuſcumque reduco : *Et oculi mei*, quibus omnem curioſitatem denego, delectatione interdico, impudicum jactum prohibeo : *Et oculi mei*, quibuſcum fœdus pepigi, quibus frenum injeci, quos compede ſtrinxi : *Et oculi mei*, quos columbinâ ſimplicitate ornavi, aquilino ad Solis Juſtitiæ intuitum, humore acui, cælcſtium amorum ignibus accendi : *Et oculi iſti mei conſpecturi ſunt, & non alius.*

REPOSITA *eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* O boni Religioſi ! repoſita ſit hæc ſpes in ſinu noſtro. Quod pijs omnibus ac DEVM timentibus dictum eſt ad animi ſolidum gaudium, nunquam etiam in medijs calamitatum ignibus deponendum. Eſt *Sinus*, primæva ſignificatione ſua, corporis pars anterior intra pectoris ac brachiorum complexum, quæ & gremium & complexus dicitur, eſtque continendæ rei, ac conſervandæ maximè idonea ; figuratè ad ſpiritualia refertur , in quibus ſuus eſt ſinus ad quidpiam recondendum, & ſignatè, ſi ſit arcanum. Sic Joannis I. *Vnigenitus Filius* dicitur eſſe *in ſinu Patris* : id eſt , in penetrali cordis paterni, tanquam arcanorum arcaniſſimum. Repoſita ergo ſit hæc ſpes in *Sinu* noſtro ; id eſt, arcanum hoc myſterium, ſtultis mundi amicis abſconditum, brachiorum complexu & gremio contineamus : rideant, qui non intelligunt, ſubſannent, exſibilent : nobis in *Sinu* latet myſterium.

EST etiam Sinus, & quod in eo collocatur, illud, cujus memoria, aut familiaritas nunquam deponitur, quod nunquam excidit, cujus recordatio eſt aſſidua. *Quomodo* accipi videtur Pſalmo LXXVIII. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum*, nempe, ita illos afflige, ut ſupplicium ijs ſemper adhæreat, ut nunquam illud effugiant, ut ſemper quod fecerunt, recordentur. In *Sinu* noſtro contineamus ſpem Magnæ Diei, hujus memoria nos ſuſtentemus, nunquam nos diſcingamus, ut excidat, nunquam per incogitantiam hæc ſpes elabatur, nunquam non adſit ad conſolationē, & in adverſis robur. Iterum, contineamus in *Sinu*, tanquam rem cariſſimā, quam toto corde complectimur, & intimis præcordijs conceptam, impreſſamq; cupimus. Ita Verbum eſt in *Sinu Patris*, tanquam dilectiſſimus filius : ſic quoque Diſcipulus, quem diligebat JESVS, in *Sinu* recumbebat ſupra pectus illius. Quid ſi *Sinum* referamus ad certitudinem tutiſsimæ ſpei ? Profectò, ſpem illius nobis fauſtiſsimæ Diei non vanam, neque fallacem continemus in *Sinu* atque complectimur, certi nos non fruſtrandos, nec amiſſuros ſpem priusquàm optatis potiamur.

O boni Religioſi ! confundamur licet modò, contemnamur, protrudamur pedibus, & conculcemur, omnium peripſema, eijciamur ex noſtris provincijs, domibus, monaſterijs, collegijs ; relegemur ad ultimos terræ angulos, deportemur ad deſertas & peſtiferas maris inſulas ; audiamus male, dum facimus benè ; nominemur improbi, dum ſumus probi ;

traducamur, ut arrogantes, dum ſumus humiles; inſcribamur divites, dum ſumus rerum omnium egeni; proclamemur avari, dum pecuniam ut lutum calcamus; certi ſumus de Die Domini Magno, juſtis fauſto ac felici: illius ſpem nunquam abijciamus, nunquam excidat, eſt in tuto: hæc ipſa ſpes ſit nobis interim præmij ac mercedis loco noſtrorum laborum, donec in *Sinum*, cum bonorum omnium cumulo, infundatur immortalitas. Erat ſanè olim *Sinus* excipiendi, ac continendi præmij locus: quare oportet eundem locum eſſe ſpei certæ ac firmæ ejuſdem conſequendi. *Menſuram bonam & confertam, & coagitatam dabunt in* Sinum *veſtrum*, Luc. VI. inquiebat Dominus. Hac ſpe bonis propria nos confirmemus.

Habent quidem & impij ſpem ſuam: quis enim non implet *Sinum* ſuum ſpe aliqua? ſed eſt ipſorum ſpes vana, fallax, fruſtratoria: ſpes piorum vera, ſolida, ac longè certiſsima. Quid ergo timemus? ignem, aquam, perſequutiones, ſupplicia? quid? hæc timetis? *His fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Impij, qui mandata DEI conculcaverunt, & ſanguinem Teſtamenti pollutum habuerunt, prementur & areſcent: Vos, qui præcepta dominica in oculis tuliſtis, cælum ſuſpicite, lætamini, levate capita veſtra, quoniam æterna ac perfecta redemptio appropinquat: corpora veſtra ex mortis captivitate redempta, vitâ ac gloriâ donabuntur ſempiternâ.

VIDETE *ficulneam & omnes arbores.* Prematur Palma, reſurget. (a) Rem admirandam narrat Ariſtoteles & Plutarchus. Si ſupra Palmæ arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas oneresque, ut magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum Palma cedit, nec infra flectitur, ſed adverſum pondus reſurgit & ſurſum nititur, recurvaturq́; Quam ob cauſſam in certaminibus Palmam ſignum placuit eſſe victoriæ, quoniam ingenium hujus ligni eſt ut urgentibus, opprimentibusque non cedat. Pondera accumulentur, rupes cadant, totus illabatur orbis, reſurget Palma. Specimen ejus dabit in die Magno. Reſpicite Arbores. Prematur Hedera, conculcetur, nunquam in imo manebit: ad ſuperiora ſemper conabitur, nulloque præeunte parietibus glorioſa & triumphans invehetur textili ſilva, ne humi voluntaria injuria prematur. Apponat & imponat pedem impietas, ut probum deijciat. Fruſtra. *Scio*, dicet, *quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo* Magno *die de terra ſurrecturus ſum.*

Videte ficulneam, & omnes arbores. In hieme, inimico gelu cuncta devaſtante, ſpoliatæ rigent arbores omni cultu nudæ: defoditur in humum, pampinorum ſuggeſtu, tanquam crinium luxuriante coma haud ita pridem exornata, mox devenuſtata Vitis, & alicubi ſepelitur. In ſordibus non vivere, ſed ultimum emiſiſſe ſpiritum, videtur Ficulnea, adeò cadaveroſa eſt

 ſpecie:

(a) *Ariſt.* 7. *Probl. Plut.* 7. *Symp.*

ſpecie: nullis veſtitur Malus folijs: omni privatur honore Amygdalus floribus nullis planta ulla laſcivit: omnis lignorum tribus, velut atrata in communi luctu comparet, dejectis in terram monilibus: funeſtantur arbores, lugent, ſitu obducuntur. Sed expectate.

Revolvantur optata veris æſtatisque tempora, ſuccedat Aquiloni Auſter, pellat imbricitores ventos ſuave ſpirans Zephyrus, accedat propius cum ſua luce, dote, cultu, reparator inferiorum Sol, reducantur benevolorum ſiderum abſentiæ, redornentur Lunæ ſpecula, arbores iterum ad pompam veſtientur, poſt ſpolia, tenereſcent rami, flores erumpent, ridebit Amygdalus, rubeſcet ceraſus, virebit malus; audebuntque tam fœda in hieme ligna, in vere ac æſtate de pulchritudine certare cū ſtellifero orbe. In hieme hujus mundi ſævum imperium in omnes Adæ filios exercēte peccati bruma, omni ſuo ſpoliatæ ornatu in exterioribus, plantulæ ab Hortulano cæleſti, ad decurſus aquarum conſitæ, velut mortuæ lugent, idcirco humiles pauperesque deſpiciuntur, ſubſannantur, repelluntur; ſed exſpectate & ſperate juſti, revolventur vobis veris & æſtatis tempora, curret Magnus unus dies, qui reſtituet omnia, & in quo non folia ſolùm & flores, ut in vere, ſed fructus etiam producetis viriditatis æternæ. Mortificate interim membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Hæc eſt contemplatio M. Papæ Gregorij, Homilia 1. in Evangel. qui *Benè*, inquit, *Regnum DEI æſtati comparatur, quia tunc mæroris noſtri nubila tranſeunt, & vitæ Dies claritate Solis æterni fulgeſcunt.*

MEMBRUM. III.

DIES IUDICII

Infidelibus, Impijs, Reprobis, Funeſtus, Acerbus, Infeliciſſimus.

VERUMENIMVERO, idem DIES DOMINI erit inimicis DEI, ſpiritibus, hominibusque Reprobis MAGNUS, id eſt, infauſtus, calamitoſus, terribilis, horrendus, malè ominoſus, quia cum Domino Exercituum, ut hoſtes congredientur. Erit enim *Dies Velox nimis*, qui velociter adverſarios opprimet, antequam ſint ad prælium ineundum parati, priusquam acies ſuas diſpoſuerint, citius, quàm occurrere poſſunt ſeque ad reſiſtendum expediverint. Malum ſignum, uti in nupera pugna apparuit, ubi hoſtes fuēre ſuperiores, quia prius parati & expediti. Erit *Dies iræ*, non gratiæ; dies juſtitiæ, non miſericordiæ, dies ſeveritatis, non clementiæ, dies vindictæ, non veniæ, dies condemnationis, non abſolutionis, dies rigoris, non diſſimulationis. *Dies iræ*, dies illa, quia iram, qualem

qualem nunquam hactenus ullo alio die, effundet, plenus ira in impios, Dominus. Erit Dies *tribulationis*; id est, triturationis, quæ fit, vel carpento ferrato, vel per tribulam, aut libratilem contum. Tunc Judex justus & iratus, unicam damnationis sententiam proferet, qua *triturabitur Moab sub eo, sicut triturantur palea in plaustro*, Isaiæ XXV.10. Per Moab omnes scelerati & odio digni intelliguntur, qui nimirum, haud aliter justorum caussam oppugnant, quam olim Moab populum Israëliticum à DEO ad electam uberemque possessionem vocatum: hic sub pedibus justi Judicis non aliter lacerabitur, latâ sententia, quàm palea quæ minutissimè conciditur ac teritur sub plaustro ferrato. Aut, comminuet Dominus reprobos sub pedibus suis, sicut teruntur, aut conculcantur paleæ, ut in sterquilinium conjiciantur. Tunc in perpetuum triturās triturabit hostes suos, & vexabit eos velut rota plaustri, Is.XXVIII.28.atq; ungulis jumentorū infernalium comminuet eos. Tunc omnium calamitatum ac miseriarum tribulam aget super inimicos suos, & ad mensuram justitiæ, Apoc.XVIII.7. quantum glorificavit se quilibet & ijs, ac in delicijs fuit, tantum admetietur tormentum & luctum, Tunc triturando *permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matth. III. 12. O diem tribulationis perpetuæ! Erit idem

DIES *Angustiæ*. Malum omen in bello, angustiæ; si intercipiatur exercitus hostilis in angustijs viarum, è quibus se expedire nō possit, internecione deletur, antequam in apertum evadat. Tūc dicet impius, *ex omni parte me angustiæ premunt*: incidi, eheu! *in diem pressuræ & angustiæ: angustiæ mihi sunt undiq;*: quo me vertam nescio: è superiori loco imminet Judex iratus, ac fulmine terret, cælum mihi clausum est, evolare non possum: infernè gehenna hiat, incendium erumpit, flamma propinquat: à tergo instant crimina, tanquam missilia & configunt: ante, arctat quamvis immensa æternitas: ad dexteram minatur bonus Genius, in vita, à me neglectus: à sinistra adsistit Cacodæmon, & cruciat. Videntes tantas angustias scelerati, *turbabuntur timore horribili, præ angustia Spiritus gementes.* Sap. V.3. Sed frustrà: angustias evadere non poterunt. Erit idem DIES *calamitatis*. Calamitas irruet ab Oriente, calamitas premet ab Occidente, instabit à Meridie, urgebit à Septentrione. Undique adveniet calamitas, calamitas non de longè veniens, sed de propinquo, calamitas repentina, exitialis, extrema, qua ne opprimantur, desperatione acti aliud onus Æthna gravius advocabunt & dicent montibus: *operite nos*, & collibus, *cadite super nos.* Ne autem videant, quod est funestissimum in conflictu, erit

DIES *nebulæ & turbinis*. Nam revera Dominus exercituum pugnabit tunc cum suis adversus insensatos, cogendo ac immittendo nebulas ac turbines. Hinc etiam erit V 3 DIES

(a) 1. Paral. 21. Esdræ 2. Daniel. 13. (b) Oseæ 6. Apocal. 6.

DIES *tenebrarum*. Excæcabuntur improbi : *ambulabunt ut cæci*. Pugnare volent, & Andabatarum more brachia jactabunt oculis capti. Metus, angor, horror, ſtupor, anxietas, indeque, perplexitas, velut cæcos in omnem partem agent, ut quò fugiant neſciant palabundi, & attoniti, olim glorioſi milites. An non hæc manifeſtè indicant, improborum in hoc conflictu ſtragem horrendam in qua concidentur omnes, & nullus evadet. Hic erit ille

DIES *neceſſitatis*, qua impellentur, cogentur, neceſsitabuntur impij ad pugnandum. Quid inde boni ſperari poteſt? non benè cedit exercitui, ſi neceſsitas congrediendi imponatur: erit tunc improbis neceſſaria, & inevitabilis coram DEO Exercituum comparendi, & rationem de omnibus reddendi, & ſententiam ac condemnationem ſubeundi tempeſtas, ipſis minimè tempeſtiva. Hinc tandem erit

DIES *perditionis*, qua DEI hoſtes, honorem, famam, dignitatem, corpus, animam, vitam utriusque, denique omnia perdent in æternum. Interim erit idem ille

DIES *jubilationis* DEO, ejusque Exercitui coronato, dies victoriæ, dies gaudij, dies triumphi. Tunc jubilabunt Sancti, Sap. v. 1. & inſultabunt improbis, *qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum*. Tunc de inſenſatis, tanquam de hoſtibus ſuis profligatis triumphum agent. Tunc applaudent Domino Exercituum, DEO Sabaoth, cantabuntque *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS Omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt, & dabunt gloriam & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viventi in ſecula ſeculorum.* (a)

(a) Apocal. IV.

NOTÆ.

In quibus Auctores, & Miſcellanea.

§. MAGNVS DIES.] *Legendus* Alciatus *lib. VI. parerg. cap. 8.* Tacitus *in vita Iulij Agricolæ*, Tranſigite cum expeditionib⁹, imponite quinquaginta annis magnum diem, *id eſt, bonum aliquem diem*, qui vos non ſolum calamitate ac ſervitute liberet, ſed etiam metu calamitatis & ſervitutis. *Plura ex omni eruditione de hoc ipſo habet* Martinus de Roa *lib. 1. ſingularium cap. 6.*

Oſeæ 1. ubi agitur de adventu priori Filij DEI dicitur Magnus dies Iezrael, *id eſt*, Dies brachij Domini, *Chriſti aſſertoris, qui primus magnos nobis dies aperuit, magnosque menſes & annos in orbem induxit: felices nimirum, fauſtos, benè fortunatos, boni ominis: ſiquidem in ijs nos non à ſervitute modò in libertatem, ſed etiam à morte revocavit ad vitam.* Maximus *ſanè* Chriſtus

ſtus Optimusque *cùm ſit, non* Magnos *ſolùm* Dies, *&* Annos, *ſed etiam* Optimos Maximosque *mortalibus dedit, & à teterrima Dæmonum ſervitute atque tyrannide liberum genus humanum præſtavit.*

Dies nebulæ, & turbinis.] *Significat nebula, tempeſtas, turbo in abduta ſcientia fore prælium atrox, & horrendum, in quo ſtrages & vindicta DEO detonante, ac depluente in inimicos, eosq; grandinante. Ita* Homerus *Iliade 4. Græcorum agmina quaſi procellas irruentes in Trojanos depingit*

——Qualem ſuper æquora nubem
Sæpe videt celſo ſcopuli de vertice paſtor,
Contractam Zephyri flatu & caligine nimbos,
Denſante picea & ſævam minitante procellam.

Similis eſt Virgilij deſcriptio Æ. 12.

Qualis ubi ad terras abrupto ſidere nimbus
It mare per medium, miſeris, heu præſcia longè
Horreſcunt corda agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus, ſtragemque ſatis, ruet omnia latè.
Ante volant, ſonitumque ferunt ad littora venti
Talis in adverſos ductor Rhæteius hoſtes
Agmen agit.

Ab eodem, Æneas in medio conflictus, quaſi turbinis ita depingitur:

Ac velut effuſa ſi quando grāndine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator.
Sic obrutus undiq; telis
Æneas nubem belli dum detonet.

Legendi. S. Auguſtinus *lib. 20 de civit. cap. 5.* Damaſcenus *lib. 1. Paral. cap. 15.* Chryſoſtomus *hom. 46. 47. 49. 50. ad Popul. Gregorius Nyſſen. in S. Matthæum, ubi hæc habet*: In illo Die, nihil eſt quod reſpondeamus, ubi Cælum & Terra, Aër, & Aqua, & totus Mundus ſtabit adverſus nos in teſtimonium peccatorum noſtrorum. *Origenes lib. 1. in Epiſt. ad Roman.* Anſelmus *libro ſimilitudinum.* S. Vincentius *Concione in Sexageſima.* Bredembachius *lib. 8. Collatio. cap. 27.* Theatrum vitæ humanæ V. Judicium Univerſale, Finale, Extremum.



CON-

COMMENTATIO IX.

CONCILIUM MILITARE

In quo consultatur, quomodo sit occurrendum DEO Exercituum, & Christo Iudici, ad bellum contra Peccatores, ut hostes declaratos, procedenti.

Dominica IV. Adventus.

Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à venturâ ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.
Lucæ III. 8. 9.

Scio quod non justificetur homo compositus DEO. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore. Job. IX. 23.

MEMBRUM I.
ARS MILITARIS.

Quid præscribat hosti imparato, quando post indictum solenni ritu & more bellum, occurrendum esset Regi potentissimo.



QUI instruit animosam juventutem in Arte militari, quam hoc anno in vestri gratiam, ACADEMICI CHRISTIANI, profiteor, non satisfacit officio, si solummodò hostis potentiam, industriâ, calliditatem, bellandi artificium, armaturam, exercitum, illumque educendi ac constituendi varias formas describat: si Imperatorem adversæ partis penè oculis subijciat panopliâ sua formidandum: si ejusdem severitatem depingat, fortitudinem exaggeret, prudentiam in re bellicâ enarret, vultus acrimoniam, iræ vehementiam, in susceptâ semel expeditione constantiam deprædicet. Hæc enim ad terrorem ingenerandum potius spectant, quàm ad tutelam ac securitatem, si in eũdum sit præliũ. Quocirca requiritur præterea, ac potissimum, ut Instructor disciplinæ militaris discentes suos doceat, quomodo tam potenti, pollenti, tamq; benè armato exercituum Duci sit occurrendũ, quomodo ars arti opponenda, quomodo acies instruenda, illius impetus excipiendus, stratagemata eludenda: quomodo

quomodo oppugnationibus illius sit præueniendum, quomodo campus præoccupandus: quomodo, si obsidionem tentet, ciuitas, aut castrum defendenda: si sagittis vtatur, quomodo remittendæ; si lanceâ incurrat, quomodo ea auertenda; si gladium vibret, quomodo ictus declinandus. Denique, ad munus spectat, ita sibi commissos animare, vt interriti, securi absque imbelli formidine aduentantem expectent.

PRIUS illud, quantum quidem Militiam nostram, id est, Christianam, seu Euangelicam concernit exequuti sumus superioribus Aduentus dominicalibus ferijs; Imperatoris supremi, tanquam improborum hostis, in Iudicio potestatem, artem, dexteritatem, exercitus, armaturam, pugnandi modos indicando, repræsentando, & tantùm non oculis subijciendo. Posterius, quod maximè necessarium ac vtile, modò explicare aggredimur. Quicquid autem illud est, quod in hoc genere ex omnibus rei militaris scriptoribus colligi potest, aut dici, continetur ex hortatiunculâ Ioannis Baptistæ, qui in Euangelio, tanquam Castrensis Orator inducitur, id vnum agens, vt à venturâ irâ, & sæuissimâ belli omnibus imminentis tempestate Auditores suos, veram cum DEO Exercituum bellandi artem tractando, subducat: aut docens, quomodo, quibusque viribus, tam bellicoso tam potenti, tamque formidabili Principi occurrere debeant. Idem ego vos docebo hodie, quantum quidem temporis permittet breuitas, quæ bonam penè semper partem crudeliter à dictione amputat. Vtar autem genere dicendi plano, non cothurnato, nisi fortè exsurgere aliquando impetus aliunde immissus, aut indignatio jubeat.

MEMBRUM. II.

INDICTVM BELLVM.

An & quomodo Deus peccatoribus bellum indixerit. Qui fuerint Feciales. Quid in mandatis habuerint. Quid interminati fuerint.

QVANDO alicui vel Reipublicæ, vel Populo, vel Regi bellum indicitur, siue id fiat litteris minacibus offensæ caussas continentibus, siue per fecialem repetundarum rerum causâ missum, siue teli jactu in alienum solum, siue exercitû clam, aut palam conscripto, siue ditâ in vulgus famâ, bellum in aliquem vel locum, vel populum apparari. (Tot enim modi denunciandi belli in profanâ sacraque historia reperiuntur: quod exemplis hic confirmare velle esset superuacaneum ac ociosum.) Sat sit dixisse, denunciato bello, solere cogi *Concilium militare* optimatum, &, vt vocari solent, Consiliariorum militiæ. Tum verò, *Primum*, quod quæritur, est. An collatis aduersarij cum proprijs

 viribus,

viribus, æqua sit vtriusque potestas, vt magnoperè non sit metuendum, & resisti illi possit. *Secundum*, An potius hostilis potentia, copiæ, vires sint tales, vt ex collatione, multis partibus præualeant, ideoque temerarium sit, velle aleam belli periculosi tentare, ad certissimam perniciem. *Tertium*, hoc si exploratum habeatur, agitur de modo subducendi se discrimini. Hic reuocate in mentem istud Christi D. consilium militare, Lucæ XII. *Quis Rex iturus committere bellum aduersus alium Regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se: alioquin illo adhuc longè agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt.*

BELLUM indictum est peccatoribus omnibus, quos inter, haud dubiè, nos sumus, qui quà criminosi, declarati sumus hostes cælestis Reipublicæ. Ejus Princeps DEUS *Sabaoth*, æquior multo & consideratior, quàm Senatus Populusque Romanus, cui mos non erat bellum inferre, nisi & justâ caussa susceptum declarauissent, & ad indicendum ijs, à quibus injurias factas sciebant, feciales legatos res repetitum misissent, qui antiquissimis temporibus non erant pauciores quattuor. DEUS *Sabaoth*, inquam, declarauit jam dudum justissimam caussam belli à se contra impios suscepti Nimirum, grauissimè læsum supremi Principis honorem, contemptum Numen: spreta pacta inter ipsum ac genus humanum inita: direpta bona Regalia per furtum & rapinam, quæ in quolibet peccato mortali interueniunt: vastationem agrorum principalium, quales sunt omnes animæ Christi sanguine redemptæ, quibus vastitas extrema per lethale crimen infertur: intentatam Principis jugulo sicam, quod fit linguâ pejerante, execrante, blasphemante: immò, illatam Regis Filio necem, ejusque conculcatum, per summum nefas, sanguinem; quod contingit in quolibet lethali delicto. Denique, quod omnes læsæ Majestatis culpas superat, DEICIDIUM. Est enim quælibet noxa mortalis, vt suo loco probatum est, ex principijs Theologicis, secundum adfectū peccantis improbi, quædam DEI occisio.

MISIT idem non quattuor tantùm, sed pro Majestatis suæ, quæ infinita, dignitate, innumeros penè Feciales, quorum ductor fuit Ioannes, quem sequuti bis seni Imperatorijs Aquilis visendi: idcirco dicti Apostoli, quod nunciandi causâ emissi essent. His adjuncti ejusdem instituti, ac professionis *Viri* Apostolici, voluntatis diuinæ interpretes, Præcones Euangelij, Buccinatores Verbi æterni, Oratores sacri, Ecclesiastæ, Cōcionatores Qui quid aliud faciunt, quàm quod Fecialis ille à Romanis ad Carthaginiēses missus, vt è sinu suo ignē & aquam, ferrū & flores, rosas & vrticas, id est, bellum aut pacem excutiant, & dent optionem eligendi alterutrum. Hi Feciales Aduentum Imperatoris summi ad bellandum, id est, judicandum viuos & mortuos, cum potestate & majestate, & illius

exer-

exercitum, qui erit numerosior, quàm mille millium, exposuerunt, illius vires, robur, potentiam non exaggerando amplificarunt, sed simpliciter enunciando diminuerunt potius: nam nullis ore humano prolatis verbis satis explicari potest. Iam nobis consultandum est, quid incipere velimus dum res sunt integræ. Suggeram ego vobis ex disciplinâ militari, per modum consilij bellici, quid fieri possit, quid expediat. Est autem hæc res talis, vt major nulla in consultationem vobis vnquam venerit, aut venire possit. In hac enim cardo vertitur, vel bonæ, vel malæ æternitatis.

MEMBRUM III.

CONSVLTATIO BELLICA.

Capita precipua consultationis. Nullæ vires Christo Iudici pares. Deo nemo potest resistere.

HÆC autem in consultationem veniunt. *Primò*. An contra Regem venturum cum tam potenti exercitu, velimus inuocare alium æquè potentem, & cum illo fœdus defensiui & offensiui belli inire, per pacta reciproca, &, vt nunc loquuntur, reuersalia? seu vulgi vocabulo, per *alianzam*, vnde *Alianzatorum*, exercitus, seu *Confœderatorum*. *Secundò*. Si hoc non succedat, An Principum aliorum intercessione sit agendum cum irato Rege bellum apparante? *Tertiò*. Si istud minus placet, An per artes & stratagemata tentare conueniat victoriam? *Quartò*. An potiùs de fugâ, maturè deliberandum, eaque capessanda? *Quintò*. An verò tandem depositâ spe resistendi, aut euadendi, cum Imperatore inuicto sit paciscendum. Sed hic quattuor occurrunt, de quibus itidem consultari posset. I. An pacisci expediat de Suspensione armorum? II. An de Neutralitate? III. An de Inducijs? IV. An potius de stabilienda pace stabili perpetuaque agendum? Nam stultum esset deliberare, An consultum sit, illi nos potentissimo Regi opponere? Illi cum copiolis nostris occurrere? Illius vim vi nostra velle reprimere aut repellere? Clarius. deliri est, expectare Iudicem CHRISTUM cum exercitu contra nos accusationum, probationum, testium, & velle cum illo congredi, acie nostrâ manca & claudicante excusationum, exceptionum, negationum. Insanientis planè est hoc propositum.

CUM ad similem consultationem vocatus esset Iobus, Regulus Hussitarum, potens, & sapiens, illeque sententiam iussus dicere, expertè pronunciauit: Capite IX. *Scio quod non justificetur homo compositus DEO*. Frustra cum DEO quisquam pugnam inire tentat *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respond. re vnum pro mille*. Cur ita? *Quia Sapiens corde est, & fortis robore*. Aliam caussam addit: Quoniam impossibile est, DEO resi-

resistere, & pacem, quæ finis belli est, obtinere: *Quis restitit ei & pacem habuit?* Vis documentum aliquod insuperabilis illius potentiæ? *Transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo. Commouet terram de loco suo, & columnæ ejus concutiuntur. Præcipit Soli & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo. Extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris. Facit Arcturum & Orionа, & Hyadas, & interiora Austri. Denique, facit magna & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* Pergebat optimus belli consiliarius Iobus: *Si repentè interroget quis respondebit ei? DEUS, cujus iræ nemo resistere potest, sub quo curuantur, qui portant orbem. Quantus ego sum, vt respondeam ei? & loquar verbis meis cum eo? Qui etiamsi habuero quidpiam justum, non respondebo ei.* Iam excipite conuenientissimam conclusionem. *Sed meum IUDICEM deprecabor.* Sic, qui propugnandi sui, & se tuendi est impotens, *rogat ea quæ pacis sunt*, ex consilio peritissimi rei bellicæ Parabolizatoris Euangelici.

AT, generosi est, inquis, hosti licet potentissimo, cum exercitu, quamuis numeroso appropinquanti, se offerre, paratum ad præliandum. Immò, temerarij, inquam ego, id est, ac sponte sibi exitium accersentis, nisi vel suis viribus, vel alienis nitatur præsidijs, numero ac robore æquè validis. Quare, qui proprijs diffidit, potentiorem aliquem sibi adsciscit, eum sibi deuincit prece, obsequijs, muneribus, pollicitatione refusionis omnium sumptuum, inita etiam confœderatione, aut contractâ per prolis vtriusque matrimonium affinitate. Quorum exempla in bellis Europæis vnius seculi superioris, & his quoque Germanicis, Bohemicis, Gothicis, quæ nondum sopita, occurrunt quàm plurima.

MEMBRUM IV.

CONFOEDERATIO.

Contra Deum, Christum-ue Iudicem supremum, frustrà aduocantur Dii fictitij. Aut vna in Trinitate Augustissimâ Persona Diuina contra alteram, per Confœderationem.

AN Igitur, qui cum DEO in Iudicio certare proposuit, nec illi cedere, alterius poterit, vel potentioris, vel æquè potentis aduocare auxiliares copias? Ita censebat Marcion, in concilium hoc bellicum non vocatus, irrumpens, & se quoque audiri postulans. Suadebat hic Ponticus hæresiarcha. (a)*Scytha tetrior, Hamaxobio instabilior, Massageta inhumanior, Amazonia audacior, nubilo obscurior, gelu fragilior, hyeme frigidior, Istro fallacior, Caucaso abruptior*, implorandum esse alterius DEI auxilium, cujus exercitus malorum habet phalanges, bonorum cohortibus oppo-

(a) *Tertullian. libro I. contra Marcion.*

opponendas. Nam duos Ponticus DEOS adserebat, tanquam duas Symphlegadas naufragij sui. Vnum, quem negare non potuit, Creatorē cœli & terræ: id est, nostrum, DEUM SABAOTH: alterum quem probare non potuit, id est, suum: Illum Bonum, ac bonorum auctorem: hunc Malum ac procreatorem malorum. Verùm, hic homo, si tamen homo, cum pessimo isto suo consilio omnium Christianorum sibilis exceptus, & cum execrationibus, loco concilij egredi jussus est, cùmque reluctaretur aliquantulum, fortissimi cujusdam Afri, cui nomen, *Quinctius Septimius Florens Tertullianus*, in illum irruentis impetu fuit expulsus. Sanè, veritas Christiana districtè præcipit credere, VNUM solum DEUM: & pronunciat, DEUM, si Vnus non sit, non esse. Quia dignius credit, non esse, quodcumque non ita fuerit, vt esse debebit. DEUS summus MAGNUS est, ideoque nihil ei adæquari potest. Non possunt duo *Summa Magna* esse, cum hoc sit *Summum Magnum*, par non habere. Par autem non habere vni tantùm competit: in duobus esse nullo modo potest. Hoc itaque monstro hominis cum fictitio suo DEO ablegato.

ERAT Quidam, qui suggerebat, se legisse in historijs, contra patrem offensum, & exercitum in hostem suum ducentem, aduocatum alicubi esse filium, à quo impetratum fuerit ad defensionem subsidium: & è conuerso, contra filium à patre, contra generum à socero, contra agnatum ab agnato, contra fratrem à fratre. An igitur, quia DEUM Patrem offendimus, & ille tam est potens, vt ei resistere haud possimus, à DEO Filio, vel DEO Spiritu Sancto opem flagitare poterimus, vt nobis succurrant, &c. contra Patrem nobiscum pugnent? aut DEUS Pater contra Filium, ac Spiritum Sanctum, quo toties peccatum in vtrumque commissis grauissimè offendimus, nobiscum conspirabit?

HOC Poëtaster nescio quis profanus in medium adferebat, qui antequam benè in rudimentis fidei Christianæ institutus esset, & doctrina religionis nostræ fundamentali, quæ in catechisticis prælectionibus traditur, Poëtarum Gentilium lectioni se totum tradiderat: quod non fit sine præsentaneo animæ periculo. Nimirum, legerat is in Homero, Virgilio, Ouidio, Deos illos Poëticos, Iouem, Herculem, Saturnum, Venerem, Iunonem, Palladem inter se sententijs discrepantes congredi, non linguâ solùm, sed arcu & gladijs, ac clientum suorum contra Deos alios caussas defendendas suscipere, & patrocinium polliceri. Sic:

Iupiter in Trojam, pro Troja stabat Apollo:
Æqua Venus Teucris: Pallas iniqua fuit.

Plena istiusmodi prælijs est Ilias Homerica. Concipiebat igitur pueriliter ille Musæ profanæ addictus, hoc fore in die belli judicialis, aut esse posse, inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum dissidium.

O ignarissime juvenum! hic fructus est neglectæ in pueritiâ institutionis catecheticæ, spretæ in adolescentiâ lectionis sacræ, contemptæ in juuentute explicationis doctrinæ Christianæ, quæ non frustra in gymnasijs *Eruditionis Christianæ*, quam nos profitemur, habetur quot septimanis die conuenienti: & magis est, quàm omnes flosculi Rhetorices, spinæ Dialectices, pampini Physices, frutices Metaphysices, Aphorismi Medicinæ, paratitla Iurisprudentiæ ad veram solidamque doctrinam necessaria. Et tu illam floccifacis? quotiescumque potes, te subducis, emansurus semper, nisi cogereris, docentem oscitanter audis, dictantem fabulis, risu, furtiuâ petulantiâ pueriliter interturbas, vel quæ dictantur, calamo non excipis, nec memoriæ mandas. Vtinam! reuocaretur antiquis rigor Ecclesiasticus, secundum quem recordor rejectos fuisse in examine Ordinandorum ob *Ordinibus* etiam *Minoribus*, ad quos admittuntur alioquin inferiorum scholarum discipuli, rejectos, dico, fuisse Magistros artium ac Philosophiæ promotos, quod in Catechismo essent rudes, neque ex dictatis peritè responderent. Sed hæc Παρεργῶς, in gratiam stolidissimi Consultoris, quem lectio Gentilium Poëtarum, nondum benè institutum in Catecheticis, transuersum agebat.

AN existimas tu, DEUM Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse tres Deos voluntate discrepantes? DEUS *noster vnus est*, *Deuteron.* VI. Non est autem DEUS noster, quamuis Personis Trinus, vt Dij Gentium inter se certantes, inuicem luctantes, inuicem aduersantes, in se mutuo inuolantes, sibi mutuo bellum indicentes, diuersorum clientum caussas contra sese defendentes. *Ego & Pater vnum sumus*, inquiebat CHRISTVS Dominus. *Ioannis* X. Vnum intellectu, sapientiâ, scientiâ, judicio: Vnum, voluntate, affectu, amore: Vnum, patrocinio, auxilio, tutelâ. Trium in Trinitate Personarum Diuinarum vnum est velle, vnum operari. Non diuiditur DEI regnum diuersitate opinionum, sententiarum, volitionum. Quomodo enim alioqui staret? Nam *omne regnum diuisum contra se desolabitur.* Apud Romanos Triumuiratus discordiæ fuit fomes: non ita in cœlis Personarum Trias.

SED tu fortasse alios quoque DEOS, quamuis non profitearis esse verbo, mente tamen, moribus, ac vitâ colis, omni infideli deterior. Tibi fortasse DEUS est venter, & quæ sub ventre colluuies. Vt Deos habes, Bacchum, Venerem, Priapum, Cupidinem, dum gulæ, ebrietati, lasciuiæ, luxuriæ operaris. Tanquam Deos adoras, quæ in profanissimæ mentis lalario forma venustæ, velut simulachra & idola locatæ sunt. Quibus mane thus primarum cogitationum, dum expergisceris, adoles;

(a) *Matthæi* 12. *Lucæ* 12. (b) *Deuter*. 32.

adoles; meridie, ebrietatis ructibus, & ingluuiei nidore litas; sub noctem sacrificio vespertino scurrilium colloquiorum, latriam exhibes. Tot Deos tibi fingis, quot sunt creaturæ, ob quas DEUM verum lethaliter offendis. In his spem colloca & persuadeas tibi, quod aderunt in die angustiæ, quod opitulabuntur in die belli, quod auxilio venient in die Iudicij. *Scilicet!* proclamabitur ad sonum tubæ, antequam ineatur conflictus: *Vbi sunt Dij, in quibus habetis fiduciam? Surgant & opitulentur vobis, & in necessitatibus vos protegant.* Itaque dejecti sunt ab hac spe improbi.

MEMBRUM V.

INTERCESSIO.

An in Iudicio extremo Intercessio Sanctorum sit peccatoribus subsidij aliquid allatura.

QVID si veniat alicui in mentem, tunc opem implorari posse DEO gratorum Cælitum? Quod esset quodammodo, *Ligam*, vt nunc loquuntur militiæ dediti, facere: quemadmodum initio horum tumultuum accidit in Germaniâ: & superiori seculo celebrabatur *Liga sancta* contra Turcas, à Pio V. Philippo II. Rege Catholico, Venetis, & Italiæ Principibus inita: ac *Fœdus* dictum *Sacrum* in Galliâ. Et fuit quidam illius simplicitatis, qui assuetus in necessitatibus & periculis refugere ad Sanctos tutelares, ad Angelos, Apostolos, *Martyres*, DEIPARAM, ausus fuit proponere, horum viribus plurimum etiam in die Iudicij esse fidendum. Magni ego facio, vt debeo, Inuocationem Sanctorum, defero plurimum patrocinio Virginis DEI Matris, æstimo multum intercessionem Cælicolarum: scio quàm sit potens apud homines & DEUM quorundam familiarium deprecatio. Ob vitulum adoratum Moses DEUM precatur, vitulum comburit, idolatras occidi jubet, sic reliquis veniam impetrat, *Exodi* XXXII. Aaron stans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit, post quattuordecim millium hominum & septingentorum, plurumque cum Core interitum, *Numerorum* XVI. Dauid pestilentiâ in populum sæuiente, & interemptis jam septuaginta millibus virorum, postquam interposuit se, ædificauitque altare Domino, & obtulit holocausta & pacifica, propitiatus est Dominus terræ, dixitque Angelo percutienti, Sufficit, nunc contine manum tuam, & cohibita est plaga ab Israël, *Libro Secundo Regum capite* XXIV. Intercessit populus pro Ionatha, destinato ad necem, pepercitque illi Saul etiam post juramentum de interficiendo, *Lib.* I. *Reg.* XIV. Esther Regina gentem suam, jam imminente omnium ceruicibus gladio, intercessione suâ apud Regem Assuerum saluauit, *Estheris* VII. Et, vt vnum de profanis adjungam,

gam, Zaleucus judex seuerissimus, populo rogante, filio adultero, oculos, vt decreuerat, ambos non expunxit, sed ne justitiæ rigorem infringere videretur, suo prius, deinde filij oculo eruto. vsum videndi vtrique reliquit, vti Valerius Maximus memorat, *Libro* VI. *cap.* 5.

SED nolite vobis inaniter blandiri, nolite vobis & alijs imponere, nolite decipi, Dilecti. Quam diu in viâ ad æternitatem sumus, quam diu, in hac vitâ mortales agimus, quam diu tempus est misericordiæ, & miserationum, aliquid omnia ista enumerata prosunt, modò vita promissis votisque respondeat: sed in die iræ ac furoris, cùm exercitum suum producet irritatus Imperator, neque Noë, neque Dauid, neque Daniel auxiliabuntur filijs, neque vllus Sanctorum pro sibi addictis orabit, aut impetrabit quicquam, neque ipsa DEIPARA vllius ampli' tutelam patrociniumque suscipiet. Immò, Illa Illa erit, quæ hactenus Mater benigna, tunc magis acerba, quàm nouerca, in te insurget, ingrate. Illa studiosi nomen, & scurræ vitam; Sodalis titulum, ardelionis mores; Mariani, & Parthenici elogium, mundani verò gançonis propudium tibi exprobrabit. Illa maternam erga te curam; cumulata beneficia, quotidiana subsidia: Illa impetratam toties à Filio delictorum veniam, pœnarum remissionem; Illa vitæ mille periculis expositæ conseruationem, morborum depulsionem, sanitatis firmitudinem, prolongationem ætatis, fortunarum incrementa improperabit. Illa tibi objiciet infidelitatem inconstantiamque in DEI, ac sui cultum, testudineum gradum ad templum, ad confessionem sacram, ad Sodalitatem, denique ad omne bonum: veloces pedes ad ganeam, symposia, impudicitiæ gurgustia, tabernas, choreas, fortè etiam ad lupanar, denique ad omne malum.

ILLA tibi tunc erit exprobratrix puerilis illius verecundiæ in faciendo, quod ad suam spectabat venerationem tot respectuum humanorum à bono retrahentium: quid dicet Iste, si hoc faciam? ridebit ille, si sic me demittam: exsibilabit socius, si hoc officio humilitatis fungar; cùm tamen frontem ferream habeas, immò, vt loquitur Propheta, meretricis nescias erubescere, quando agendum est malum. Nec dicis, quid cogitabit vicinus, si me Parthenium audiat impura loqui; quid judicabit contubernalis, si me videat fœda patrare, ingredi cauponam, egredi ebrium, lasciuum, furentem; quid sentient spectatores, si me cernant omnibus sceleratæ vitæ probris contaminatum?

NON magis autem te juuabit in extremo illo conflictu Angelorũ Exercitus. Immò, hæc est Militia illa cœlestis contra te, & improbos quoscumque centuriata, vt opprimaris. Non habebis tunc hostes magis acerbos, magis infestos, magis in te incitatos, quàm Angelos, optimos illos Genios, tibi, cùm in hac vitâ ageres, tam fauētes, tãque obsequiosos. Et impri-

imprimis illum, qui ad custodiam tibi datus, vix egressum ex utero matris suscepit, adhæsit ut Pædagogus, defendit, ut hyperaspistes instruxit ut Magister, protexit ut patronus, intercessit ut advocatus: immò, omnium egit partes auxiliantium. Ille contra te stabit, ille contra te insurget, ille pervicaciam tuam, quâ monenti, instruenti, instiganti retrahenti restitisti. Ille fœda & abominanda, quæ illo præsente, cum nullum adesse putares, in angulo, in tenebris, post cortinam impius commisisti; ille fluxam tuam fidem, pudendam proterviam, extremam ingratitudinem accusabit.

UNUSQUISQUE *Angelorum*, inquit Origenes, *in extremo Iudicio aderit producens illos, quibus præfuit, quos adjuvit, quos instruxit, pro quibus semper faciem Patris vidit.* Nullus autem erit testis certior, nullus fidei majoris accusator, nullus severior vindex, quàm Tutelaris Angelus, cui abditissima nostra sunt cognita, & se spretum meritò indignatur. Ceteri sancti laudabunt in condemnatione impiorum justitiam DEI, Quidni? *Iudicia* enim *Domini vera, justificata in semetipsis.* (a) Tunc *lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*, quia suam cum DEI voluntate perfectè accommodat. Itaque ut videtis, non est nobis spes ulla in auxiliatibus copijs contra DEUM Judicem: nihil subsidij in fuga, nihil in fœdere. An igitur ad artes confugiendum est?

(a) *Psal. 18. 10. Psal. 57. 11.*

MEMBRUM VI.

STRATAGEMATA. FUGA. LATEBRÆ.

Contra Deum, Christum-ve Iudicem nihil valent Artes, Doli, Stratagemata, Fuga, Latebræ.

QUI exercitum hosti opponere non potest, conatur astu, stratagemate, dolo militari, adversario imponere. Ita disputabat in conventu illo celebri non nemo qui longo ordine recensebat ex recentioribus, & antiquis bellorum historiis, quomodo non singuli tantùm homines, sed urbes provinciæ, regna, ita sint ab hostili impetu, ac imminente exitio subducta. Quot nostris temporibus civitates a Batavis astu sunt interceptæ? quot arces Iberis ereptæ? quot vicissim Hispani, Galli, Germani ab hostibus suis urbes simili modo extorserunt? Quoties Turcis illorum Christianis? & vicissim? Sed hæc frustra adducuntur, cum agitur, quomodo DEO Exercituum sit resistendum: contra quem non valet ars, non dolus, non consilium. *Non est sapientia, non est prudentia, contra Altissimum*, clamat Sapiens Proverbiorum xxi. Astus non est aptus DEI intuitu, nullæ coram DEO sunt technæ: calliditas omnis humana in DEI conspectu est mera stoliditas: stratagemata sunt stupiditatis

nostræ documenta, si cum DEO agatur, cujus *iræ nemo resistere potest*, Job. IX. *Domine, non est, qui de manu tua possit eruere*, Job. X. *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati*, Esthens XV. *Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet, dicit Dominus Omnipotens*. Isaiæ XLVI.

ERGO est circumspiciendum, dicis, quomodo *Fugâ* elabamur. Nam hoc, si cetera non prosunt, superest remedium. In hunc modum ratiocinabatur quidam, qui haud ita pridem fugâ se subduxerat, ne in hostiles incideret exercitum. Et multi sanè fugâ evaserunt hostium suorum manus. Legimus, viros uxorum, patres filiarum, dominos dominasque servorum ancillarumque indumentis tectos feliciter effugisse. Theseus, ut cantant Poëtæ, è Labyrintho inextricabili, Ariadnes suæ filo evasit. Dædalus unà cum Icaro filio, ut est in fabulis, fretus alarum fiduciâ ex Minois ergastulo evolavit.

Terras licet, inquit, *& undas*
Obstruat: at cælum certè patet ibimus illac.
Omnia possideat, non possidet aëra Minos (a)

Quidam custodes fallendo, alij claustra carcerum perfringendo, nonnulli nummis vigilias corrumpendo, effugij viam invenerunt David quoq; simulatione insaniæ apud Achis Regem Geth, detentoris spem elusit. (*b*) Attila Hunnorum Rege (*c*) vastante Italiam, & direptis, Aquileja, Ticino, ac Mediolano, cùm finitimis debellatis, ulterius tenderet, plurimi ad insulas & æstuaria inaccessa Barbaris, ut eorum manus evaderent, profugerunt, ibique Urbem nobilissimam perfugium futuram advenientibus, Venetias condiderunt. Itaque multis *Fuga* saluti fuit. Fuga, inquiebat ille consultor, servatur vita, conservantur opes, transfertur thesaurus, in tutum deportantur bona omnia, hosti eripitur corpus, animi libertati consulitur. Quam gloriosa aliquando sit *Fuga*; &, an omnibus civibus, militi, duci dedecorosa, suo tempore disceptabitur opportunè.

AT, ô te stolidum! si existimas te fugâ manum DEI Iudicis ac vindicis, si tam diu expectas, donec adveniat iratus, effugere posse. Audi vocem optimi senis Eleazari planè auream. (*d*) *Si in præsenti tempore supplicia hominum eripiar, manum tamen Omnipotentis, neque vivens, neque defunctus effugiam*. *Tuam, Domine manum effugere impossibile est*, inquit Sapiens. (*e*) Audi fugæ militaris, cum id res exigebat, peritum. *Quo ibo a Spiritu tuo atq; à facie tua fugiam? Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero maris etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*; nimirum ut aviculam in manu captam. *Tenebræ non obscurabuntur a te & nox sicut dies illuminabitur*. Audi ineluctabile decretum. *Non salvabi-*

(a) *Ovid lib 8. meta.* (b) *Reg 21-22.* (c) *Anno 452 Baronius Annal.* (d) *Lib.2. Machabæ. 6.* (e) *Sap.16. Ps. 138.*

[illegible] ex eis, qui fugerit. Si descenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos, & si ascenderint usque in cælum inde detraham eos. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos. Et si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. Et si abierint in captivitatem coram inimicis suis ibi mandabo gladio, & occidet eos, & ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum. Amos IX. Quamvis, ut Hebræa insinuant, scrobem aut foveam foderint in inferno, ut in ea se abscondant à conspectu DEI, inde extrahet eos ad supplicium: si fieri etiam posset, ut in cælum sese illatebrarent, inde detrahentur. Audi Jobum hujus caussam pandentem. *Excelsior calo est & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? Longior terra mensura ejus & latior mari. Cum exaltaveris, quasi aquila nidum tuum, inde detraham te*, dicit Dominus apud Jeremiam & Abdiam Prophetas.(a) Hoc vel profanissimis olim persuasum. (b) Notum illud Nasonis:

Quo fugit Encelades? sub Iove semper erit.
——— Iovis omnia plena
Iupiter est quodcunq; vides, quocumq; moveris.
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem. ———

Quemadmodum te fugiens, te ubique invenis, quia te circumfers, nec à te ullibi recedis. haud secus se res habet cum DEO, qui tibi est magis, quàm tu tibi interior: ubique substantia quoque suâ in qualibet substantia præsentissimus. Tu ne fugias DEUM? Hac fugiens, illac in eum, qui ubique, incurrabis. Jonas fugiens navigio in Tharsis à facie Domini, in eodem à Domino inventus est. Quod si non esset ubique DEUS, sanè non negares, illi tam longas, quàm Regibus esse manus, ut te posset consistentem alicubi comprehendere. Itaque neque in *Fuga*, neque in latebris ullum erit subsidium impiis, quibus nunc dici potest, quod Belisarius clarissimus in Militia Imperator, ajebat olim Gothorum legatis, qui insolenter sese efferebant: ut nuper quoque retulimus, veniet aliquando tempus, cum nusquam capita vestra, & nequidem inter vepres occultare poteritis, neque ullus erit evadendi locus; ut narrat Procopius de bello Gothico scribens. (c) Quamobrem, non videtur superesse aliud, quàm ut ex consilio Parabolizatoris Evangelici, si desit contra adversarium justus ad propulsandum bellum apparatus, cum hoste quilibet suo paciscatur.

(a) *Iob. 11.8. Ierem. 49.16. Abdia 1.4.* (b) *Virgil Eclog 3. 6. Æneid. Lucan.* (c) *Procopius lib. 3. belli Gothici.*

MEMBRUM VI.
PACTIO BELLICA.
Paciscendi cum hoste bellum indicente, est quadruplex modus.
I. De suspensione armorum. II. De Neutralitate.
III. De Inducijs. IV. De Pace.

QUI imparem se viribus agnoscit paciscitur cum adversario potentiore, vel de *Suspensione armorum*, id est, de intermissione ... congressus, seu machinationis; vel de *Neutralitate*; vel de *Inducijs*; vel de *Pace*. Suspensio armorum fit aliquando ex pacto, quando exercitus sunt in procinctu ut congrediantur, aut quando civitas ... ita premitur, ut jam penè de deditione aut planè de illâ agatur. ... factum audivimus in obsidione Bredanâ, Sylvaducensi, Trajectinâ: & spargebatur æstate superiore, fuisse aliquamdiu inter exercitus, Cæsareum ac Gothicum ad Norimbergam.

MEMBRUM VII.
SUSPENSIO ARMORUM.
An unquam: & quando-nam impetretur à Deo Imperatore, Christoq; Iudice Suspensio armorum.

APUD DEUM *Suspensio armorum* locum habet, & ab illo impetratur, quàm diu gladium in vagina continet: quam diu adversus illum procedimus armati lacrymis, tanquam lapidibus, quibus fundas oculorum implemus: quamdiu adversus eum dirigimus exercitum orationum, supplicationum, operum meritoriorum, qui ad oppugnandum DEUM est potentissimus: denique, auxiliatricibus Cælitum copijs, quam diu adjuvamur. Quod fit in hac vita mortali. Hic recensenda essent exempla, quæ in hoc genere sunt plurima, quibus constat, DEUM jam stringere volentem gladium, & in procinctu, ut hostes suos invaderet, subitò intermisisse omnem impetum hostilem, vel precum efficaciâ, vel virtutis alicujus heroicæ officio à supplicibus præstito, vel intercessione alicujus Sancti, sed potissimùm Matris Sanctissimæ permotum. Omnium penè ore & calamo celebratur, quod est in vita S. Dominici, qui ante Ordinis sui confirmationem vidit DEIPARAM procidentem ante pedes Filij irati, tres lanceas in Mundum vibrantis; in superbos, in avaros in luxuriosos; iramque Divinam mitigantem, ac suspensionem armorum obtinentem, offerendo illi tanquam obsides, Dominicum & Franciscum, qui Mundum à peccatis revocarent. Annuit benignè Filius, & aliquantisper intermissionem armorum indulsit.

AT

AT, in [illegible] illa calamitate, fulmineo Judicis ense evaginato, cum neque operum merita valere possint amplius, quia nox erit, quando nemo amplius ita operari poterit, neque orationes exaudientur, neque intercessiones valorem habebunt, frustra cogitabitur de paciscenda intermissione molitionis hostilis. In momento, in ictu oculi, omnes, qui adversus DEVM steterunt, concidentur in ore gladij illius hostilis, de quo nuper, procedentis de ore DEI. Cujus planitie nunc percutit, quando morbum immittit una acie, dum interficit corpus: utraque tunc percutiet, quando perdet & corpus & animam in gehennam. (*a*) Est enim rhomphæa ab utraque parte acuta: sicque *duplici contritione*, ut loquitur Propheta Jeremias, (*b*) conterentur DEI inimici. Quibus tunc non proderit ullius intercessio, patrocinatio, supplicatio.

AVDIVISTIS frequenter terribilem illam, & decretoriam sententiam, quæ huc spectat, & legitur apud Prophetam (*c*) Ezechielem cap. XIV. *Et si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel & Iob: ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus Exercituum. Deinde, tres viri isti si fuerint in ea, vivo ego dicit Dominus DEVS quia nec filios, nec filias liberabunt sed ipsi soli liberabuntur.* Iterum paullò post: *Et Noë & Daniel & Iob fuerint in medio ejus: vivo ego dicit Dominus DEVS, quia filium, & filiam non liberabunt, sed ipsi justitia suâ liberabunt animas suas.* Quæ perpendens S. Hieronymus sic scribit: *Si Noë Iob, & Daniel congregati, eos, qui in terra peccatrice habitant, non possunt iræ DEI subtrahere, quid dicendum est de his, qui putant, merito parentum posse filios peccatores de gehennæ ignibus liberari? unde nec peccatorem filium justus pater poterit liberare* (certè, in die Judicij) *nec sanctæ conversationis mater impudicæ filiæ dabit præmia pudicitiæ. E contrario, parentum vitia filijs non nocebunt; sed anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Loth in Sodomis habitans, sed & Spiritu & carne peregrinus uxorem, quia post tergum respexerat, non liberavit; sed tantum filias, quæ forsitan non peccaverant.*

(a) *Matth.* 10.28. (b) *Ierem.* 17.18. (c) *Ezechielis cap.* XIV. *14. 18. 20.*

MEMBRVM VIII.

NEVTRALITAS.

Vtrum Deus & Christus iudex admittat pactum de Neutralitate.

PACISCIMVR igitur, ajebat quidam, de *Neutralitate*: observavi enim bene esse hoc tempore ijs, qui exercitibus adversariorum omnia devastantibus: voluerunt esse, ac dici NEVTRALES, vel, ut loquuntur alij, NEVTRALISTÆ. Nam appensa ad villæ fores, vel oppidi portas fiduciario programmate, seu *Salva-guardia*, emptoque semel aliquot aureis

Passa-porto, ut vocant, tanquam *Salvo-conductu*, intacta relinquantur omnia: liberè commeare licet per hostile territorium, nullus amplius est metus de invasione. Excepit hunc sermonem alius, dicens, scilicet! experiuntur nostri vicini, quod tu prædicas: & utinam nos non aliquando simplicitatis aut nimiæ confidentiæ demus pœnas. Addebat. Indignor equidem, aut dum amænior mihi stella adlucet, & Neutralibus nostris tam exactè fidem servari animadverto, rideo, quotiescumque barbarum istud vocabulum *Neutralitas* auribus meis insonat, quod apud nullum benè loquendi peritum auctorem invenio. Scio à Grammaticis usurpari vulgò vocem, *Neutralis*, & *Neutrale*, ut nomina sua commodè dispescant, sed dolendum est à Grammaticalibus minutijs ad Reipublicæ maxima negocia migrasse *Neutralis* denominationem. Quid est autem esse *Neutralem*, prout modò passim accipitur? Est inter partes dissidentes & contrarias medium consistere: neutrò, id est, neque ad unam partem, neque ad aliam, sed potius ad utramque deflectere: neque hanc, neque illam velle offendere: neutrobi habere stabilem locum: utrique esse amicum saltem fictum, quod qui conatur, utrique fit inimicus verus. Sed de *Neutralitate* politicâ mihi nec est sermo, nec cura. Viderint, qui hoc titulò gloriantur, quomodo illum defendant, ne Dagon coram DEO Sabaoth mutiletur.

PORRO, velle *Neutralitatem* cum DEO celebrare, est ex professo se DEI hostem profiteri. Nulla potest esse cum DEO, illiusque inimicis, ab eo declaratis *Neutralitas*. Sicut apud Dialecticos inter contradictoria nullum est medium: inter album, non album, hominem non hominem, rationale non rationale: ita nullus reperiri potest *Neuter* inter DEUM, eique adversantem, cum magis, certè, non minus, quàm contradictoria opponantur. Christi Judicis pronunciata sunt: *Qui non est mecum, contra me est. Qui non colligit mecum, dispergit.* (a) *Nemo potest duobus Dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis DEO servire, & Mammonæ.* Quibus condemnatur imprimis Neutralitas inter DEUM & Diabolum, qui nomine illo significatur, uti apud Græcos, πλοῦτος dicitur; & consequenter omnis alia inter virtutes & vitia, ac cupiditates nostras, quæ sunt exercitus Cacodæmonis. Non potest dimidiari cor humanum: nam si vel cuspide lædatur, interit: nullam patitur cor divisionem. Qui Dæmonem, Carnem, Mundum, Vitium inimicum non habet, DEUM habere amicum non potest. Inter DEUM & Diabolum, inter Virtutem & Vitium partiri non possumus. Vel adhærendum est DEO, vel exertè illi renunciandum. Aut pro illo, aut contra illum bellandum. Aut ad sinistram, aut ad dexteram declinandum.

NEUTRALIBUS acclamabat olim Elias, aut comminabatur, aut in scitiam

(a) *Matthæi* VI.24. *Lucæ* XI.34.

ipsum subsequentibus: (a) *Usque quo claudicatis in duas partes? Si Dominus est DEUS, sequimini eum. Si autem Baal,* Dæmon, Caro, Mundus, *sequimini eum.* Hebraicè est. *Usque quo transitis per duas cogitationes?* LXX. Interpretes reddunt: *Usque quo claudicabitis vos in duobus poplitibus:* Chaldæus, *Usque quo divisi estis in duas partes?* Omnes eundem sensum exprimunt. Et eo fine prolatum scribit Procopius: *Quia decem tribus DEUM adorabant, & simul Idola colebant: DEUM autem nolle coli Idolis: & ex adverso. Idola DEI veri cultum vetare: Israëlitas igitur utrumque facientes nec DEO, nec Idolis fidos esse vel obtemperantes.* Istiusmodi *Neutrales* fuisse posteà *Cuthæos* Samaritidis incolas narrat historia Regum lib. IV. cap. 17. Et olim in Mesopotamia ejusdem notæ fuisse posteros Nachor constat ex Genesi. Hi dicuntur Græcis, unica voce ἀμφοτερίζειν, modò in unam, modò in alteram partem lapsare. Sic Homerus de quodam

Non huic firma satis mens est in pectore, verùm
Claudicat, inq; pedem residet proclivis utrumq;.

Hos claudicantes detestabatur Psalmista, & filios à sorte sanctorum alienos nominat, (b) *Filij alieni mentiti sunt mihi: filij alieni inveterati sunt, claudicaverunt à semitis suis.* Monet autem Paulus Apostolus, (c) *ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum in astutia ad circumventionem erroris.* Docet idem sanctitatis Magister Christianos omnes orthodoxos ὀρθοποδεῖν, rectè ambulare, quod opponitur illi claudicationi.

SED cheu! quam multi sunt, qui *non rectè ambulant*, ut idem Doctor loquitur *ad veritatem Evangelij.* Nimirum illi signatè, qui ratione STATUS, quem, ut Idolum colunt, cuivis religioni, si tamen religio nominanda est quælibet secta, sese accommodant; qui factioni cuilibet in rebus ad fidem spectantibus æquos se præbere contendunt; qui fas & nefas nullo habent discrimine; qui inter DEUM & Diabolum volunt esse medij, & ignibus aquas jungere, luci tenebras maritare, CHRISTUM cum Belial fœdere sociare nituntur. Qui, ut polypi, quemvis induunt colorem: nunquam agunt bona fide: aliud loquuntur, aliud sentiunt; &, ut olim dicebatur, duabus sellis sedent: animalia amphibia, ancipites bestiolæ, de quibus dubites, sint ne terrestres, an aquatiles, cùm in utraque regione æquè commorentur: certè, non sunt cælestes, cùm nec corpore nec mente commorentur unquam in cælis. Hi neque sunt calidi, neque frigidi, sed tepidi: quoniam ut exponunt, Cassianus, Haymo, Anselmus, Lyranus interpretes Apocalypsis, tepidi sunt, qui inter virtutem & vitium fluctuant, & cum utroque pactum inire vellent, quia certamen ac laborem detrectant. Ideò DEO ingrati, sicut aqua tepida evomit illos ex ore Dominus, ut ha-

(a) *Lib. 3. Regum, capite* XVIII. 21. (b) *Psal.* XVII. 46. (c) *Ad Ep.* IV. 14.

ut habetur Apocalyp. tertio cap. Ex quibus sanè constat, quando de fide & religione sacro-sanctâ agitur, vel vitiorum virtutumque certamen est, standum esse, aut à parte DEI, aut Cacodæmonis; & hic semper habere locum, non tam Solonis, quàm æternæ Sapientiæ legem damnantem NEUTRALES.

ALIO sensu, vocantur *Neutrales* quidam sectarij nostri temporis inter Sacramentarios professi, Christi & Ecclesiæ ejus invisi. Qui sibi persuadent non esse necesse communicare sub unâ vel utraque specie, sed sat esse, habere fidem. Quinimmò, si decerneret Concilium sub utraque specie Eucharistica esse communicandum, tunc debere laicos sub altera communicare, aut utramque reijcere. Unde factum, ut eorum multi per decennium à *Communione* abstineant: alij per totam vitam, neutram speciem appetentes.

MEMBRUM IX.

INDUCIÆ.

An cum Deo & Christo Iudice agi possit de Inducijs.

CUM igitur *Neutralitate* nihil apud DEUM possit effici, quia odio ei sunt, & persequitur, ceu hostes, *Neutralistas*; in mentem venit alicui ex illis Consultoribus, quos superius diximus convenisse ad deliberandum de summa rei, opportunum fore, si pactis Inducijs differatur Judicij severitas. Est enim hoc in Militia valdè usitatum, ut *Induciæ* intercedant aliquo tempore inter illos, qui fuerunt hostes. Sunt autem INDUCIÆ, cessatio à bello in certum tempus inter hostes pacta: ita dictæ, quod in certum diem à pugnando otium præbeant. Aurelius Opilius, Inducias dici existimabat ab *initu*, hoc est, *introitu*; quoniam tempore induciarum hostes inter se utrimque, ultro citroque, alteri ad alteros impunè inire soleant, aut introire. Gellius putat dictas *Induceas*, à tribus dictionibus, *Inde, uti, jam*, quod elapso tempore Induciarum deinceps, uti antea, omnia belli jure agantur. Græci ἐκεχειρίαν ab abstinendis manibus appellarunt: nam per cessationem istam pugnæ pactitiam non pugnatur, & manus cohibentur.

SUNT autem INDUCIÆ in bellis antiquitus etiam usurpatæ. Earum auctor apud profanos Lycaon perhibetur, sicut fœderum Theseus. Multis sunt expositæ fraudibus ob dolosas interpretationes. Cicero 1. Officior. quosdam refert, cùm centum triginta dierum essent cum hoste pactæ induciæ, nocte fuisse populatos agros, quod dierum, non noctium essent expressæ induciæ. Sic nugator quidam, vetitum esse ajebat, ne in quadragesima comedantur ova, non autem, ut non exsorbeantur. Cum Turca frequen-

frequenter inducias paciscuntur Christiani, quando belli pænitet, sed plerumque decipimur. Voluerunt etiam superiori seculo *Inducias* inducere in rebus fidei quidam, propterea *Interemistæ* dicti, quod Augustanum *Interim* cum Lutheranismo capularent. His similes fuerunt *Adiaphoristæ*, qui *Interim* Lipsiense cum Lutheranismo conjungebant, in animum inducentes, rem esse indifferentem, observare ceremonias, & Constitutiones Ecclesiæ ac Conciliorum. His oppositi *Antidiaphoristæ*, rigidi Lutherani, qui nullam veterum ceremoniarum mentionem fieri volebant, nec ullam Episcopis tribui jurisdictionem.

VERUM, ut ad rem nostram veniamus, *Induciæ* cum DEO iniri non possunt. Nam non paciscuntur Inducias, nisi qui sunt pares opibus, aut viribus: vel saltem, qui sunt sui juris: non autem subditi cum suis Principibus, non rei cum Judice. Quare cùm ante annos aliquot sanciendæ essent Induciæ duodecennales inter Regem Philippum Hispaniarum, simulque Archiduces Albertum (a) & Isabellam, ex unâ parte, ac Ordines Confæderatos unitarum Provinciarum Belgij, ex alterâ, procuratoribus, Marchione Spinola, & Principe Mauritio Arausianensi; quæsiverunt imprimis Hollandi, an Delegati Regij plenam cum Provincijs unitis, tanquam cum liberis haberent agendi potestatem, & utrum pro talibus eas agnoscerent: nec voluêre progredi, nisi postquam tulerunt responsum à Delegatis: Cùm Rex & Archidux eas, tanquam liberas habeant, se quoque pro talibus eas habere.

JAM verò, nimis quàm certum est, non esse sui juris peccatorem; sed tot habere dominos, quot sunt, qui illi imperant. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* Joannis VIII. quamvis liberum se putet, aut venditet, ut illi de quibus S. Petrus in Epistola sua: secunda *Libertatem sibi, ipsi, promittentes, cùm ipsi servi sint corruptionis* id est, libidinis, ac voluptatis, quæ animum ac corpus corrumpunt. Hinc benè Cicero scripsit: *Quod solus Sapiens sit liber*, ut asserebant Stoici; & Philo; *Quod solus probus sit liber: improbum enim licet neget, servum esse tot dominorum, quot vitiorum.* Eodem sensu ajebat Diogenes: inter servos & dominos malos nihil interesse, præter nomen, nisi quod servi serviant dominis suis, hi cupiditatibus, ijsque brutis. *A quo quis superatus est hujus & servus est*, inquit Petrus Apostolus Epistola secunda: superatur autem peccator à vitijs, passionibus, & concupiscentijs suis: quare ijs servit, ac subjacet: *Unusquisque enim ei subjacet passioni à qua vincitur*, ut ait D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum. Cùm igitur tot dominorum sit servus peccator, quot vitiorum, certè Mancipium istud Mundi, Carnis, Cacodæmonis ad Inducias admitti nequit. Quamvis sanè Induciarum satis illi indultum sit in hac vitâ, punitione meritissimâ tot annis dilatâ. *Inducias usque manè, inducias*

(a) *Hareus Tom. 3. hist. Belg. Ann. 1608.*

ducias usque manè, clamabat ille criminosus, , cum à Diabolo ad Orcum violentus raperetur, nec impetravit. Tibi aliquot lustrorum induciæ sunt datæ, nec emendaris.

ANTE annos haud ita multos, Moguntiæ, cùm vir magnus subitò vita functus esset, aderat alius illo non minor, dignitaris præcellentis, & multorum sacerdotiorum, seu beneficiorum Ecclesiasticorum, quamvis non sacerdos, possessor, & provectæ ætatis, qui metuens similem mortem, ajebat, orare se quotidie, ne à DEO repentè per mortem abriperetur, aut obrueretur. Cui, qui tunc aderat, vir Religiosus, DEUS neminem obruit tibi similem, neminem abripit non præmonitum. Jam Te quoque per annos sexaginta monet quotidie, dans Inducias, & monere pergit, ut in omnem horam sis paratus. Ille quàm paratus ad tribunal raptus sit, nescio. Certè, anno M. DC. XXIX. in sella sua considens expiravit. (*a*) *A subitanea & improvisa morte libera nos Domine.*

(a) *Adamus Conzen in Daniel. cap. 71.*

MEMBRUM X.

TRANSACTIO PACIFICATORIA.


A Deo & Christo Iudice rogare oportet , quæ Pacis sunt.

ITAQUE cùm nullus alius modus supersit, ut securitati nostræ consulamus, quàm ut firma & perpetua PAX inter nos ac DEUM & Judicem Christum constituatur , eò tandem confugiendum est. Sed non est DEUS, ut minuti aliqui Domini, qui pacem concedat inimicis , cum exceptione aliqua, ut secundum devictorum voluntatem sanciatur. Promittit ille quidem præteritorum oblivionem , condonationem delictorum omnium, gratiam cujuslibet criminis, quamvis læsæ Majestatis, perfectam amnistiam : veruntamen ad suum vult cuncta constitui arbitrium ac beneplacitum. Quod nam autem est illud ? ut quilber quàm exactissimè in omnem vitam suam & conscientiæ latebras inquirat : quicquid contra DEI mandatum à se commissum invenerit, seriò detestetur : nunquam illud amplius committendi propositum concipiat. DEO satisfacere ob injurias illatas proponat. Dæmoni, Mundo, Carni, Concupiscentiæ oculorum, & Superbiæ vitæ renunciet : priores dominos, peccata, vitia, cupiditates deserat, detestetur, abjuret. Non exhibeat amplius membra sua arma iniquitatis peccato ; sed exhibeat se DEO, tanquam ex mortuo viventem, & membra sua arma justitiæ. Ad hujus signa transeat : DEO se militaturum spondeat : illi novum sacramentum dicat, vetus renovet : illius castra nunquam se deserturum promittat. *Sicut exhibuit membra sua servire*

servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita exhibeat membra sua servire justitiæ in sanctificationem. (a)

Hoc est quod monebat Præcursor Adventus Dominici, quando venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum, dicens, (b) *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* Illius nimirum, cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Itaque ejusdem monito. *Pænitentiam agite. appropinquavit enim regnum cælorum.* Ventura ira, inquit Papa Gregorius, (c) *est animadversio ultionis extrema, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta pænitentiæ non recurrit. Facite fructus dignos pænitentiæ*: flete, jejunate, confitemini, occasiones mali deserite, vitam emendate, ad antiquam silvam non redite. Jam enim *securis ad radicem arboris posita est. Omnis* autem *arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Nolite vobis blandiri, nolite vosmet in perniciem vestram decipere, nolite sponte in præcipitium ruere. Vox est æternæ Veritatis, decretum adamantinum, sententia immutabilis, nullis deprecatoribus intervenientibus expungendum edictum Judicis supremi: (d) *Si pænitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.*

(a) *Ad Romanos* VI. (b) *Lucæ 3.* (c) *Homil. 20.* (d) *Luc.* XIII. 5.



NOTÆ

In quibus Auctores, & Miscellanea.

§. FVGA.] *Psalmo* CXXXIII. Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? *Quæ, & sequentia ita exponit* Joannes Lorinus: *Scientia Divina, quæ vincit omnem intellectum creatum tantam perfectionē docet esse, quia ipsemet DEVS ubiq; est, ac penetrat omnia, non tantum sciendo, sed substantiali quoque, seu essentiali præsentia in cunctis planè rebus existendo. Quare per modum interrogantis DEVM ipsum (quæ dicendi ratio valet ad exaggerandum) negat, posse se uspiam latere, aut se subducere a Dei mente, sive intelligentia, aut, à facie, seu conspectu illius oculis ve. DEVM prætereà ait, & supra in cælo etiā supremo, & infrà in remotissimâ inde profundiore inferni abysso. Nihil, inquit prodest, quamvis pennis præditus essem, & quidem Auroræ, quæ, ut diluxit, irradiat ad Occasum usque, & uti, ac ijs valens volare, si summo mane quàm ocyssimè fugerem ab Oriente, usq; ad extrema maris, id est, ad ultimam Occidentis partem nihil proficerem. Nam, non possum commoveri,*

neri, vel quicquam prorsus agere si-ne auxilio, aut ductu tuo. In te ipso vivo, moveor, sum, Actuum XVII. 28.

S. Hieronymus in cap. 27. Isaiæ hinc effici observat à nullo effugi posse Iudicium divinum, ne quidem à Leviathan: & pulchrè quendam Poëtam in Gigantomachia de Encelade lusisse:

Quò fugis Encelade? quascumq; accesseris oras,
Sub Jove semper eris. ———

Philo lib. 2. Allegor. & de Confus. linguar. hinc probat, nullum locum occupari à quoquam posse, in quo non sit Deus: neminem latere, aut fugere posse in terra, aqua, cœlo, mundo universo. Deus ubique est præsentia, essentia, potentia, scientia. Quod Gentiles Animâ mundi per totum mundum diffusa designabant: Orpheus in Carmine ad Musæum filium, ac reliquos germanos verosq; auditores de Deo canit hoc modo, ut habet S. Justinus in Paræn. ad Gent.

Unicus est per se existens, qui cūcta creavit;
Inque his ipsis extat: nulli è mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.

Significabant hoc idem, qui DEVM asserebant Orbem esse, seu Circulum, & Circumferentiam, ac circumgyratione corporis à nobis venerandum. Cicero sic de Deo sensisse Peripateticos & Platonicos scribit in 1. de Academ. Aristoteles lib. 1. de anima tex. 45. & libro de Mundo Thaletem tradit docuisse, omnia Deorum plena esse; & lib. 1. de part. cap. ult. dixisse Heraclitum, Ne à casa quidem furnaria abesse. Clemens Alexandrinus lib. V. Stromatum, & Hesiod. in Melpom. Ferunt Idanthuram Scytharum Regem, ut narrabat Pherecides Syrus, Dario, qui Isthmum trajecerat, bellum minanti, symbola misisse pro literis, Murem, Ranam, Avem, Jaculum, Aratrum: de quibus cum exorta esset disceptatio in Concilio militari; Orontophagus quidam militum tribunus, dixit, hostes, contra quos ducebatur exercitus, tradituros regnum, & imperium, conjectans, ex Mure, habitationes; ex Rana, aquam; ex Ave, aërem; ex Jaculo, arma; ex Aratro, agros, & regionem omnem. Xiphradas autem contra interpretatus sic exponebat: significant adversarij, nisi tanquam Aves evolaverimus, aut tanquam Mures terram, aut tanquam Ranæ aquam subjerimus, illorum tela non effugiemus. Adapta hæc inimicis, Christi DEVM Exercituum fugientibus. Non evadent, quamvis, ut aves volaverint; ut mures terræ viscera penetrarint, ut ranæ in paludibus se absconderint. Nullibi non DEVM suo cum jaculo reperient.

Parum sapiebat, qui se abscondebat à DEO, Adam, Genesis 3. Et stolidi erunt, qui optabunt montibus & collibus operiri ab ira Iudicis Lucæ 23. Filius prodigus peregrè abijt à patre suo, & in regionem longinquam fugit, Lucæ 15. Sed accusatores suos, sed testes suos, divini

vini Patris oculos non refugit, *ut monet D.* Chrysologus *Sermone 2.*

Legendi, præter Enarratores Psalmorum. Psalmo 138. vers. 7. 8. 9. 10. Scholastici, *de Immensitate Dei.* Magister *in l. d. 37. S. Thomas 1. par. q. 8. ibidemq;* Cajetanus, Molina, Vasquez, Granadus, Ruyz. Montoya, Gi lius, Arrubal, Tannerus, Meratius, Ariaga, Amicus, *& alij Doctores Scholæ. Item Suarez 1. P. & in Metaphys.* Petrus Fonseca *lib. 5. Metaphy cap. 2. q. 9. Sect. 2. explicans illa*, Si ascendero in cælum tu illic es. Manus tua deducet me: *id est Virtus immediata concurret ad meum motum, & quasi volatum.* Et tenebit me dextra tua, *id est, meum esse conservabit. Significat autem Propheta, DEVM non minus concurrere immediatione virtutis suæ ad nostras operationes, quàm ad nostrum esse. & conservationem. Denique,* Maximilianus Sandæus, *Opusculo, quod inscribitur,* de Omnipræsentia essentiali Di litigiosa inter Calvinistas Hollandiæ : *& in Theologiâ Scholasticâ, Decade 1. lib. 7. qui est de Attributo Immensitatis DEI.*

§. FECIALES.] *Sic* Festo *dicti à faciendo, quod belli pacisq; faciendæ penes illos jus esset. Vide Barnab. Brissonium lib. 1. Formular. & Polydorum Virgilium lib. 4. de rerum inventione. Erant apud Romanos* Feciales, *qui in populo fidei publicæ præerant: nam per hos fiebat, ut conciperetur justum bellum, & inde factum, ut fædere fides pacis conservaretur. Mittebantur autem antequam bellum susciperetur qui res ab ijs qui intulissent injurias, repeterent, & per eos etiam fiebant fœdera. Varro.*

§. NEVTRALES.] *Legendi,* Prateolus, *Ver.* Neutrales, Gualterus *in Tabula seculo* XVI. *cap. 101.*

§. INDVCIÆ Belgicæ.] *De his* Franciscus Haræus *Tomo 3. histor. Belg. anno 1608.*

§. INTEREMISTÆ.] Prateolus. *V. Interemistæ, Adiaphoristæ.* Florimundus Remondus *l. 2. de Orig. hæres. cap. 14. lib. 3. cap. 17.* Gualterus *in Tabula seculo* XVI. *cap. 55. & 56.*

Cælum & Terram Ego impleo. *Ieremiæ* XXIII. 24.
Spiritus Domini replevit Orbem terrarum. *Sapient.* I. 7.





LIBER II.

CHRISTVS SALVATOR MILITIÆ CHRISTIANÆ In primo suo Adventu AVCTOR & IMPERATOR.

Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit DOMINATOR IN ISRAEL. Micheæ V. 2.

Pro ferijs Natalitijs.

DOMINICA I.

COMMENTATIO I.

De genere Militiæ, quod Christus veniens in mundum professus est, & suos docuit. *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet* DVX, *qui regat populum meum Israel.* Matt. II. 6.

MEMBRVM I.

MILITIA CHRISTI MESSIÆ ignota Principibus Sacerdotum, Scribis populi, Rabbinis Iudaicis: indeq; error Synagogæ vulgaris, & detestabilis.



QVANTI sit momenti cognitam habere penitusque perspectam MILITIÆ CHRISTIANÆ rationem, inde facile est colligere, quod capitalis Iudæorum error, ideoque perniciosissimus, qui toti genti exitium attulit, originem habuerit ex inscitia distinguendi inter Militiam Christi, & vel Cæsaris tunc imperantis, vel Herodis tunc apud Hebræos regnantis, vel Principis cujuslibet alibi potestatem suam exercentis. Sciebant illi ex Prophetarum oraculis, & Majorum suorum traditione, MESSIAM, quem tanto deside-

tio expectabant, tot votis solicitè expetebant, & advocabant, fore potentissimum Ducem, habiturum invictissimum exercitum, suscepturum expeditiones varias, iturum contra hostes, per se, per suos, invasurum castra exterorum, expugnaturum urbes inimicorum, recuperaturum amissa, congressurum cum adversariorum Imperatore singulari certamine, superaturum caput illud perfidum, denique restauraturum regnum Israël, & fundaturum gentis electæ Imperium sempiternum.

RVMOR erat Ierosolymis, & per totam Iudæam, cùm CHRISTVS post annorum triginta solitudinem, prodiret in publicum, & paullatim magis magisque innotesceret, advenisse tandem illum, secundum Vatum prædictiones, Assertorem libertatis Iudaicæ, vindicem gentis Hebrææ, malorum averruncatorem, bonorum omnium apportatorem MESSIAM; & hunc ipsum esse IESVM CHRISTVM MARIÆ filium Nazarenum. Verùm, quoniam nullum circa illum videbant apparatum Regi convenientem, non cohortem prætorianorum; non stipatores hastatos, non gladijs aut bipennibus instructos satellites, non elegantes à pedibus ephebos, non comitatum nobilium, non vestitum auro rigentem, oculatum gemmis, splendentem purpura. Sed vilem & incultum, depexam plebeiamque tunicam, vulgares soccos, tegmen capitis, quando illius erat usus, egenorum: nullam illi in urbe regia domum, multo minus palatium, nullas arces, nullos hortos: nullibi armamentarium, nullibi ærarium, nullibi amplos fundos, sine quibus, nec milites conscribi, nec auctoritas conservari, nec dignitas Imperatoria cum splendore eminere potest.

HINC dubitabant vehementer præcipui Iudæorum, immò non posse asserebant, ut in Christi persona convenirent, quæ à sanctissimis Prophetis de Messia fuerant prolata vaticinia. Adeunt itaque Ioannem Zachariæ filium, quem tanquam virum divinitus afflatum venerabantur, ut hanc ambiguitatem ipsis tolleret ex animis. Animadvertit illicò Ioannes infidelitatis originem, quod non agnoscerent discrimen inter Militiam internam, & externam; spiritualem, & carnalem; litteralem, & mysticam; propriam, & figuratam; apertam, ac symbolicam; temporaneam, & æternam: terrenam, & cælestem; denique, Cæsaream mundi, & Christianam cæli. Face igitur indigebant distinctionis. Quam ut ipse Christus ijs accenderet, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, ablegantur ad luminis auctorem: à quo quærunt sanè confidenter: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*? Tu ne ille fortissimus Bellator, exercitus Israëlitici ductor, adversariorum terror, expugnator urbium, amicorum liberator, Reipublicæ, regnique nostri defensor & restaurator?

CHRISTVS inscitiam hanc Iudaicam miseratus, ut velamen tolleret de oculis cæcutientium, jussit spectari, quam circa se habebat, per manipulos distributum Exercitum, ex cæcis, claudis, surdis, leprosis, pauperibus, im-

mò sepulchro conditis, & mortuis, mandatque renunciari Ioanni, sed ut discerent quoque ipsi, qui mittebantur: *caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Ac si diceret. Erratis, non intelligentes Scripturas de Messia. Arma militiæ illius non carnalia sunt, sed spiritualia. Venit ut Mundum subigat sibi, idque exercitu pauperum, cæcorum, claudorum, surdorum; immò, æstimatione vestra mortuorum: tales enim sunt ejus Discipuli. Venit, ut debellet paupertatem animæ, eamque ditet bonis virtutum cælestibus: ut tollat infidelitatis cæcitatem, auferat claudicationem inconstantiæ, expellat surditatem obstinationis, sanet lepram maculantem criminum: cum Morte duellum ineat, eamque profliget, ac trucidet: Cacodæmonem, cujus illæ sunt copiæ, capiat post acerrimum conflictum ac in triumphum ducat. Venit munitus galea, accinctus ense, indutus lorica, instructus hasta, opulentus sagittis. Quæ arma, quoniam ut vulgaria concipiebant Iudæi, ex ligno, ferro, ære, chalybe, Messiam suum non agnoscebant; immò, abjurabant. Quod ne vobis contingat, producamus Armatum Militiæ nostræ Imperatorem, qualis in primo suo Adventu comparuit, nam qualis in secundo Iudex vivorum ac mortuorum videbitur, satis superque toto libro primo est explicatum.

MEMBRUM II.
CHRISTUS MESSIAS EMMANUEL
An & quomodo in infantia, ac pueritia fuerit BELLATOR.

CUM Iudæi legissent Apud Evangelicum Prophetam Isaiam de Messia: (a) *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum & mel comedet, antequam sciat reprobare malum & eligere bonum. Antequam sciat Puer vocare Patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum*: negabant, quoniam erant Theologiæ Symbolicæ ignari, hæc Christo convenire, tum ob alia, quæ ad nostrum institutum non faciunt, tum quia Messias, etiam in infantia bellaturus dicitur, contra Damascum pugnaturus, subacturus post Damascum, Samariam, indeque opima spolia relaturus, adversus Regem Assyriorum exercitum producturus: denique, semper in armis, tamquam bellicosissimus Imperator, futurus. Quorum nihil de Christo legatur, quem constat non esse functum re bellicâ. Ita Proselytus quidam Iudæus cum Christiano disputans objiciebat.

CUI occurrit doctissimus Afer Tertullianus, (b) monens imprimis, ut in Scripturis non tam sonum vocabulorum, quàm sensum attendant, & distin-

(a) *Isaia* VII. 14. (b) *Ter. adver. Iudæ c.* 9.

distinguant sagaciter inter *Militiam* & *Militiam*, arma & arma. Sono nominis decipi, cùm *virtutem Damasci*, & *Spolia Samariæ* adversus Regem Assyriorum, sic accipiunt Rabbini, quasi Bellatorem corporalem indicent Christum fore, cùm non animadvertant, quid Scriptura præmittat. *Antequam sciat Puer*, inquit Propheta, *vocare patrem & matrem suam*, prælhabitur, vincet, & auferet spolia. Itaque prius inspicias ætatis demonstrationem, ait rectè Tertullianus, ut intelligas, an virum jam CHRISTUM exhibere ista ætas possit, nedum Imperatorem. Scilicet *vagitu ad arma esset convocaturus infans, & signum belli non tubâ, sed crepitacillo daturus: nec ex equo vel de muro, sed de nutricis & gerulæ suæ dorso, sive collo hostem designaturus: atque ita Damascum & Samariam pro mammis subacturus. Aliud est, si penes vos, infantes in prælium erumpunt, credo ad solem uncti prius, de hinc pannis armati, & butyro stipendiati, qui ante norint lanceare, quàm lancinare. Enimverò, si nusquam hoc natura concedit, ante militare quàm virum facere, ante virtutem Damasci sumere, quàm patrem nosse, sequitur ut figuratè prænunciatum videatur.*

QUOMODO ergo CHRISTUS infans fuit Bellator? *Servate modum ætatis, & quærite sensum prædicationis. Immò, reddite veritati, O Iudæi! quæ credere non vultis, & tam intelligitur Prophetia, quàm renunciatur expuncta.* Accepit Christus infans virtutem Damasci, & spolia Samariæ. *Maneant enim Orientales illi Magi infantiam Christi, ut Regem auro, thure, & myrrha remunerantes: & accepit infans virtutem Damasci sine prælio & armis.* Nam præter quod omnibus notum est, Orientis virtutem „ id est, vires, auro & odoribus pollere solitam, certè est Creatoris, & ex di- „ vinis scripturis virtutem quoque ceterarum Gentium aurum constituere. „ Sicut per Zachariam dicit: *Et Iudas portendet Ierusalem, & aggregabit* „ *omnem valentiam populorum per circuitum, aurum & argentum* Nam & „ de hoc auri munere etiam David dixit: *Et dabitur illi de auro Arabiæ.* Et „ iterum: *Reges Arabum & Saba munera adferent illi.* Nam & Magos „ Reges ferè habuit Oriens & Damascus Arabiæ retrò reputabatur, ante- „ quam transcripta esset in Syrophænicen ex distinctione Syriarum, cujus „ tunc virtutem Christus accepit, accipiendo insignia ejus, aurum scilicet & „ odores. „

SPOLIA autem *Samariæ* ipsos *Magos*, qui cùm illum cognovissent, & „ muneribus honorassent, & genu posito adorassent, quasi DEUM & Regem, „ sub testimonio indicis & ducis Stellæ, *Spolia* sunt facti *Samariæ*, id est, ido- „ lolatriæ, credentes videlicet in Christo. Idololatriam enim Samariæ no- „ mine notavit, ut ignominiosæ ob idololatriam, qua descuierat tunc à „ DEO sub Rege Ieroboam. Nec hoc enim novum Scripturis divinis fi- „ guratè uti translatione nominum ex comparatione criminum. Nam & „ Ἄρχοντας Sodomorum appellat Archontas Iudæorum, & populum eun- „

 dem,

" dem, populum Gomorrhæ vocat, cùm jam olim essent civitates illæ ex-
" tinctæ. Et alibi per Prophetam ad populum Israël dicit: *Pater tuus A-*
" *morrhæus, & mater tua Cethæa.* Quorum ex genere procreati non sunt,
" sed ob consimilem impietatem. Quos aliquando etiam filios suos dixe-
" rat per Isaiam Prophetam: (a) *Filios generavi & exaltavi.* Sic & Ægy-
" ptus nonnunquam totus Orbis intelligitur apud illum superstitionis & ma-
" ledictionis elogio. (b) Sic & *Babylon* apud Ioannem (c) nostrum Ro-
" manæ urbis figuram portat, proinde & magnæ & regno superbæ, & San-
" ctorum debellatricis. Hoc itaque modo, Magos etiam Samaritanorum
" appellatione titulavit, & despoliatos quod habuerant cum Samaritis, ut
" diximus, idololatriam. Adversus Regem autem Assyriorum, adversus
" Diabolum, qui adhoc se regnare putat, si Sanctos, à DEI religione de-
" turbat.]

PERGIT porrò Tertullianus. Adjuvabitur hæc nostra interpretatio dum & alibi Bellatorem Christum Scripturæ designant, ob armorum quorundam vocabula, & ejusmodi verba. Sed & reliquorum sensuum comparatione convincuntur Iudæi. Accingere, inquit David ensem supra femur. Sed quid supra legis de Christo, ὡραῖος τῷ κάλλει: *Tempestivus decore super filios hominum*: diffusa est gratia in labijs tuis. Valdè autem absurdum est, si quem ense bellum cingebat, ei de tempestivitate decor's & labiorum gratia blandiebatur: de qua subjungens dicebat: (d) *Extende, prosperare, & regna.* Et adjecit: *Propter lenitatem & Iustitiam tuam.* Quis ensem accingitur, & non contraria lenitati, & justitiæ exercet? id est, dolum & asperitatem & injustitiam, propria scilicet negocia præliorum. Videamus igitur, an alius sit Ensis ille, cujus est alius actus, id est, DEI sermo divinus, bis acutus duobus Testamentis, legis antiquæ & legis novæ, acutus sapientiæ suæ æquitate, reddens unicuique secundum actum suum. Licuit ergo & Christo DEI in Psalmis sine bellicis rebus, *Ensem sermonis* DEI præcingi figuratum, cui prædicta tempestivitas congruat cum gratiâ labiorum, quem tunc cingebatur apud David super femur, quando venturus in terras ex DEI Patris decreto nunciabatur. *Et deducet*, inquit, *te magnitudo dexteræ tuæ*: Virtus scilicet gratiæ spiritualis, de quâ Christi agnitio deducitur.]

SAGITTÆ *tuæ*, inquit, *acutæ*, pervolantia ubique DEI præcepta, minantes traductionem uniusque cordis, compungentes & transfigentes conscientiam quamque. Populi sub te cadent, ubique adorantes. Sic *Bellipotens* & *Armiger Christus* accipiet spolia, non solius Samariæ, verùm & omnium gentium. Agnosce & *spolia figurata*, cujus & *Arma allegorica* didicisti. Atque ita in tantum CHRISTUS qui venit, non fuit BELLATOR, quia non talis ab Isaia prædicabatur: id est non talis, qualem fore Messiam

(a) *Isaiæ 1.* (b) *Isa. 19.* (c) *Apocal. 17.* (d) *Psal* XLIV. 3. 4. 5. 6.

Messiam Judæi vanè opinabantur.] Hoc itaque constitutum sit, *Militiam Christianam* esse alterius generis, quàm sit Regis, aut Imperatoris terreni: nempe *Spiritualem*: BELLATOREM esse CHRISTVM, sed Mysticum: uti armis, sed figuratis.

NOTÆ.

In quibus Auctores, & Lectiones variæ.

ISAIAE VIII. 4. Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ.] *Hæc de Christo figuratè dici, docent*, S. Cyrillus *hunc locum exponens, Irenæus lib. 3. cap.* 18. S. Athanasius *lib. de Incarnat. verbi cap.* 1. *&* Tertullianus, *tum loco cit. contra Iudæos cap.9. tum lib.3. contra Marcion. c.*8. *intelligens, per fortitudinem Damasci aurum, thus, & myrrham, quæ Magi Christo recèns nato obtulerunt: per Samariam verò Idololatriam, quam Christus in Magis destruxit: per Regem Assyriorum, Diabolum, vel Herodem infanticidam. In eundem sensum* S. Iustinus *contra Tryphonem*, S. Epiphanius *contra Iudæos in Ancorano*, S. Hieronym. *Isa.* VIII. S. Ambr. *lib.3. in Luc.* S. Chrysost. *homil. 2. in cap. 2. Matth.* Procopius *in Isaiam, per Regem Assyriorum Herodem aut Diabolum accipiunt; pauci, Augustum Cæsarem: per Samariam & Damascum, ac virtutem eorum intelligunt Magos Christum adorantes; quippe, qui relicta idololatria, totos se infanti Christo DEOq; devoverunt.*

S. Augustinus Sermone IV. *de Epiphania*: Puer accepit virtutem Damasci, illius scilicet, unde Damascus præsumebat. In divitijs siquidem civitas illa secundum seculum florens aliquādo præsumpserat. In divitijs autem auro principatus defertur, quod Christo Magi suppliciter obtulerunt. Spolia vero Samariæ ijdem ipsi erant, qui eam incolebant. Samaria namque pro idololatria posita est. *Accommodatè autem Regnum Damasci & Samaria repræsentat & significat* Regnum *peccati &* Diaboli. *I. Quia regna hæc erant impia ac infidelia, plenaq; sceleribus. II. Quia eadem erant hostilia regno Iudæ & Davidis, sive populo & templo* DEI. *III. Quia colebant idola, ac consequenter Diabolum. IV. Quia Damascus ex originatione Hebraica est idē, quod Saccus sanguinis: tale est autem regnum Diaboli, qui est sanguinolentus, & homicida ab initio, atque, ut Leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Cornelius *Isaia* VIII. 4. Cujus etiam est quæ sequitur commentatio tropologica.

CHRISTVS *infans in ipso suo ortu cœpit debellare Damascum, & Samariam, id est, Mundi fortitudinem, sapientiam, & gloriam, domuitq; in Præsepio æquè ac in* CRVCE *orbem, non ferro, sed ligno; non feriendo, sed patiendo. Quid enim aliud fuit novi Regis nostri Nativitas, & in mundum Adventus, sine armis carnalibus, sine copijs militaribus, sine famulis, omniq; bellico, & regali apparatu, quàm inanis Mundi fortitudinis, & ostentationis, qua in hisce gloriatur, eversio? vicit ergo tunc hæc Mundi hujus robora, eorum contemptu, do-*

cuitq; verum & Christianum robur ac victoriam non in ijs consistere, sed in pura DEI religione & obedientiâ, in forti patientiâ, in animi humana cuncta transcendentis celsitudine, & constantia: hæc enim insuperabilis est, omniaq; subjugat.

QUID *aliud fuit Christum nasci inter paleas ac fœnum, ac reclinari à B. Virgine in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio, quàm humanæ pompæ, vanitatis, ac sapientiæ mundanæ clarissima damnatio? Quid aliud fuit nasci peregrè in itinere & in stabulo, nisi docere, vitam hanc viam esse & diversorium, non permanens domicilium? Quid aliud fuit illa profunda humiliatio Filij DEI, quàm Mundi superbiæ & jactantiæ evidens confutatio? Quid aliud fuit illa summa ejus paupertas, quàm auri & argenti, quæ mundus ita admiratur, & ambit, quàm opum fluxarum inconstantium, & in casu sitarum risus: & animi celsi in cælo commorantis ludibrium. In illa abjectione & inopia voluit delitescere summus ille rerum Opifex, cælorum Moderator, & totius universi invictissimus Imperator, qui naturam universam immensa virtute coërcet, continet, regit, & gubernat, ut re ipsa ostenderet, fundamentum Christianæ Philosophiæ veræq; Religionis, æquè ac invictæ fortitudinis situm esse in rerum humanarum despicientia? Vt cælestis patriæ desiderio ab hisce vanis & caducis bonis ad solida & semper mansura transeamus: ut quasi conscripti in cælo cives & æternitatis candidati temporalia omnia, tam læta, quàm tristia, velut exilia & momentanea superemus, & pedibus premamus, vivamusq; non tempori huic modico & exili, sed æternitati.*

HOC *est, quod ait Paulus 1. ad Corinth. 1. & 2.* Stultam fecit DEUS Sapientiam hujus mundi. *Et,* quæ stulta sunt Mundi, elegit DEUS, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit DEUS, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret. *Tunc ergo Christus sua paupertate prostravit mundi opes & pompas, sua humilitate mundi fastum, sua austeritate mundi mollitiem & delicias, suis latebris & tenebris inanem mundi gloriam, sua infantia mundi jactantiã, sua patientia omnem mundi potentiam evertit ac destruxit: effecitq; ut hoc DUCIS sui exemplo tot millia Martyrum, Virginum, Religiosorum & Sanctorum ijsdem armis, easdem mundi pompas, opes & vires fortissimè superarent & supplantarent. Quinimmò omnes mundi Reges & Principes per Apostolos & eorum successores ad hasce suas cunas, ad hanc suam infantiam & paupertatem venerandam, & adorandam induxit, & compulit. Sicut ergo regnavit in ligno DEVS, sic & regnavit à cunis parvulus* EMMANVEL.

QUI, *ut fortis Armatus, abstulit fortitudinem Damasci & spolia Samariæ. I. Cùm tres Magos antea infideles duce stellâ, ex Damasco, id est, Oriẽte, cum suis opibus & gazis, de spolijs Samariæ, id est, idololatriæ, cui imprimis dedita erat Samaria, ad suas cunas & præsepe vocavit, ut illi, quasi Regi ac Domino suo offerant Aurum, Thus, & Myrrham, quæ prius idolis ac Diabolo offerebant. II. Cùm Damasco & Samariæ, id est, regno Diaboli ademit parvulos innocentes, ab Herode in odium parvuli Regis nati occidẽdos: quos ipse parvulus Rex in cunis martyrij corona laureavit. Ita Irenæus l. 3. c. 18. III. Cùm Parvulus adhuc in ulnis Matris existens, Herodem fugiẽs, & AEgyptum ingressus, ibi idola cõfregit, sicq; ex tũc idololatriam ex ea & ex orbe fugare & dispellere incepit. IV. Cùm Infantulus fidei lumẽ attulit pastoribus, quos per Angelum ad præsepe vocavit. Item Simeoni, Annæ, alijsq; Electis.*

COM.

COMMENTATIO II.

IESV
CHRISTO INFANTI
BELLATORI

Potenti. Pollenti. Invicto.

Parvulus filius hodie natus est nobis, & vocabitur
DEVS FORTIS.
De Armis Messiæ Salvatoris Mundi.

DOMINICA II.

MEMBRVM I.
CHRISTVS RECENS NATVS
Varijs titulis est colendus, prout varijs formis Devoto meditanti, contemplantive occurrit.

IUVAT me credere, non esse ex toto hoc Auditorum meorum numero, quem ego ut selectum, & *Pietati Eruditæ* addictissimum intueor, ac amo, ullum tam supinæ negligentiæ, aut salutis tam immemorem suæ, qui hisce Natalitijs Christi ferijs salutis humanæ restauratorem, ex ipso nomine Salutiferum ac Salvatorem JESVM, non sit peculiari pietatis sensu, post perpurgatam à peccatorum sordibus, & sacra synaxi adornatam, saginatamque cælestibus delicijs animam, veneratus. Reor etiam fuisse aliquos, potissimùm ex Sodalium Marianorum albo; quorum officium est, ita orationi vocali operam dare, ut nonnihil temporis mentali, sive rerum divinarum meditationi tribuant; qui ad Præsepe nati Salvatoris genibus nixi, post data affectus oscula spondæ, stramini, fasciolis, Parvulo, varias in illo formas, varias munerum personas, varios titulos contemplati fuerint, pro cujusque affectu, genio, necessitate.

FVIT, ut arbitror, quispiam, qui considerans se, velut ægrum & saucium, cui à plantâ pedis usque ad verticem non sit sanitas; cui vulnus &

livor, & plaga tumens superbiæ, lasciviæ, iræ, non sit circumligata, nec curata medicamine cælesti, nec fota oleo misericordiæ; cui caput languidum acediâ, manus dissolutæ vanitate, venter distentus hydrope cupiditatis, pedes ligati nodosa pigritiæ podagrâ, totum, non tam corpus, quàm anima, unum vulnus peccati, arrepserit, ad pedunculos JESULI, eosque mille basijs, sed udis, & lacrymarum gemmulis intercurrentibus, ac thalamum madefacientibus pressos, coluerit, PARVULUM respiciens, ut MEDICUM, divinitus missum ad sanandam spiritualem infirmitatem, & curanda animæ vulnera, illumque deprecans, ut post tot morborum miserè se excruciantium depulsionem, perfecta mentis in corpore sano incolumitas consequatur.

JESUS est MEDICUS, cujus vel solum nomen corde ruminatum, prolatum ore, Medicinæ omnis vim obtinet. Nihil sanè, *ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem.* Sic suavissimus Bernardus (*a*) hoc tempore meditabatur, qui provectus ulterius in Medici consideratione, à contemplatione suâ surgens, animadvertit se mutatum in medicum, simulque chirurgum & pharmacopæum, ad conficienda pro malevalentibus medicamenta præsentanea peritum. Audite pharmacopæi compositorem divinum. Cùm nomino JESUM, *hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate, ac sanctitate conspicuum, eundemq; ipsum DEUM Omnipotentem, qui suomet & exemplo sanet, & roboret adjutorio.*

HÆC *omnia mihi sonant, cùm insonuerit IESUS. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium de potente. Illa, tanquam pigmentarias species; hoc, tanquam unde acuam eas, & facio confectionem, cui similem Medicorum nemo facere posset. Hoc tibi electuarium habes, ô Anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est IESUS, salutiferum certè, quodq; nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in IESUM & sensus dirigantur & actus. Ad hoc invitaris*: Pone me, *inquit*, ut signaculum in corde tuo: signaculum in brachio tuo. *Habes unde & brachio medearis, & cordi. Habes, inquam, in nomine IESU, unde actus tuos, vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas: itemq;, unde tuos sensus, aut serves, ne corrumpantur, aut si corrumpantur, sanes.* Plura hujus generis effundit ubertim mellifluus ille tubus in aureo sermone de JESU MEDICO. (*b*)

AT, alius fortassè è vobis, memor se litterarum & *Eruditionis pia* studiosum, CHRISTUM JESULUM, ut Sapientiæ Præsidem, & Disciplinarum

(a) *S. Bernardus sermone 15. in Cantica.* (b) *S. Bernard. sermone* VI. *in Vigil. Nativit. D.*

rum omnium Doctorem eminentissimum, in *Præsepio*, ut in *Cathedrâ* Academicâ profitentem est contemplatus, & ab eo efflictim postulavit doctrinam salutarem. Qualis est imprimis *Poëtica casta*, Musarum Virginum cultricis, quæ ad pangenda DEO carmina, non ad concinendas Veneris fæditates, est intenta. Deinde, *Dialectica Divina*, quam degustarat, qui absolutis elenchorum Aristotelicorum libris, valedicens contubernalibus, fugiebat ad claustrum, cantillando:

Linquo coax ranis, cras corvis, vanaq; vanis
Ad Logicam pergo, quæ Mortis non timet ergò.

quo carmine ingentem secum fortasse traxit sociorum turbam. Præterea, *Rhetorica cælestis*, quæ instruit quomodo apud DEUM sit perorandum. Adhæc, *Physicæ spiritualis* principia, caussas, affectionesque pietatis solidæ tradentis. Item, *Metaphysicæ Christianæ*, supra res hujus mundi omnes vanitati obnoxias mentem erigentis. Item, *Medicinæ internæ* animorum morbos curantis. Item, *Iuris prudentiæ moratæ* legum divinarum humanarumque exactam cum notitiâ observationem præscribentis. Denique *Theologiæ affectuosæ*, non speculationibus spinosis intellectum pungentis, & animum sauciantis, sed sapidis pietatis affectibus, mentem Divinorum avidam lautissimè pascentis. O fructuosa meditatio!

QUIDAM fortè, divitiarum spiritualium avidus, consideravit JESUM, ut *Mercatorem*, ex auriferis cælorum regionibus ad nos Nazarethum, tanquam in Universitatis portum invectum & in Præsepio, velut in officinâ propriâ, merces suas exponentem; ipse verò, vel mendicatò, tanquam pauperculus, vel nummulis actionum meritoriarum, divina adjutus gratiâ, sibi comparare est conatus. Fuit fortasse, qui JESUM, ut *Regem*, animo efformavit, rogavitque, ut in corde suo, veluti in solio sedere dignetur, & tyrannum Cacodæmonem pellere. Fortasse aliquis imaginibus bellè pictis oblectari solitus, finxit *Parvulum*, ut *Pictorem* artificiosum, quem oravit, ut in mentis suæ tabulâ venustas aulæ cælestis iconas penicillo potentiæ suæ delineet. Fortasse nonnemo cum Magdalenâ ut *Hortulanum* est conspicatus, petens obnixè, ut hortum suum interiorem virtutum flosculis conserat. Fortasse quispiam harmonico concentu recreari assuetus, ut *Musices* peritissimum inspexit, invitans ut in choro cordis sui, pulsantibus instrumenta musica cælestibus Genijs, JESUS, voculâ supra omnem lusciniæ suavitatem dulci, admoduletur, aut ipse, cantantibus Angelis citharam pulset. Fortasse alius, ut *Sagittarium* expeditissimum concepit, optans, ut amoris jaculo pectus suum transverberet. Fortasse, non defuit, qui *Sponsi* formâ sit delectatus, ambiens cum tam formosulo nuptias in cordis devoti cænaculo celebrandas.

HÆC deberent esse, Adolescentes cari, argumentum non solùm meditationum hoc tempore, verùm etiam colloquutionum, confabulationum, collatio-

collationumque, maximè, post Communionem Eucharisticam. Quâ vix perceptâ, statim se è templo proripere, indecorum est, & signum animi ad Divina minus quàm deceat, affecti. Eum autem, qui divinis pastus est epulis, domum mox regressum, eo die effundi illicò in vana, nugalia, scurrilia, ne fœdiora nominem, est hominis irreligiosi, dissoluti, profani, ne quid dicam gravius. Deesse ne potest cuiquam materia, post istiusmodi orationes, sive vocales, sive mentales conferendi cum socijs & contubernalibus, jucundè, suaviter, fructuosè de rebus ad pietatem spectantibus?

AT, at, mi Pater, pudet narrare ea, quæ meditanti, vel oranti acciderunt, aut venerunt in mentem. Puerilis est iste pudor, Auditores, rustica verecundia. Non me pudet è cathedrâ hac narrare vobis amicis meis, quibus omnia mea quadantenus nota esse vellem, quid circa IESVLVM ego meditatus sim proximè, & quomodo ego mihi illum animo efformarim. Ut autem subagrestis ille pudor vester, & puerilis erubescentia evanescat, eja meditationem meam natalitiam excipite. Spero hoc exemplo motos ex vobis aliquos, ad me quoque hodie venturos, & de eodem argumento contemplationes quas habuerunt communicaturos: quod mihi perquam gratum erit; oblector enim impensè istiusmodi colloquijs.

MEMBRVM II.

CHRISTVS INFANS

Bellatoris specie optimè concipitur.

CUM mihi gravidum esset caput notionibus, formulisque militaribus, quas Philosophi species vocant, indeque velut prægnans cerebrum conceptibus bellicis, quibus toto Adventus Dominici tempore liberaliter locum dederam, quicquid meditando orandoque pariebam, militare erat: ita contingere solet etiam in somno post vigiliam in castris peractam. Quare jucundissima mihi fuit mentis exercitatio, contemplari Christum recèns natum in cunis: si tamen cunæ dicendæ sunt jumentorum præsepe, aut in ulnis sanctissimæ Matris, parvulum quidem corpore, juxta ætatis modum, sed maximum jam tunc Bellatorem, & à capite ad calcem cataphractum, id est, undique armis munitum. Prodijt enim Imperator nostræ Militiæ ex alvo materna nō imbellis, nudus, discinctus, sed accinctus, vestitus, armatus mysticè tamen. Habuit jam tunc galeam in capite, fuit circumdatus lorica ferrea, tenuit in manu gladium, portavit secum, & humeris appensum habuit arcum & sagittas; denique, nulla non parte armorum munimento fuit illustris. Quàm invidendum nobis, quàm optandum genti cuilibet nacti sumus belli Ducem! Quantopere desiderarent Reges ita venire in lucem ad Regni defensionem paterni,

terni, & justitiæ administrationem suos filios, ut dicere possent, se regno heredem relinquere, ab utero matris armatam prolem.

CUM hujus seculi anno primo, XXVII. Septembris Regina Galliæ Maria Medicæa Delphinum ejusdem regni Ludouicum XIII.(a) qui hoc tempore apud Gallos rerum potitur, enixa esset, subitò infantis dexteræ Henricus IV. Rex Christianissimus, ejus parens, animi vir militaris, si quis alius illo ævo, gladij capulum inseruit. An, quod præsagiret, filium illum suum fore ætate confirmatâ, in militia exercitatissimum Ducem, fortunatissimum Bellatorem, invictissimum Regem? An, quod precatus tunc esse dicitur Rex Henricus, ut eo filius Regni heres, cùm ad maturitatem perveniret ad DEI gloriam uteretur? quod fuit sanè optimum votum. An etiam, ut desiderium suum proderet, videndi sobolem nondum aut vix perfectè natam, & jam armatam hostibus suis terribilem? Quod alijs in optatis esse potuit, Virgini Matri divinitus obvenit, quæ Primogenitum, Unigenitumque suum edidit cataphractum. Certè, quicquid in Parvulo, qui natus est nobis contemplor, est Militare.

(a) *Ludouicus* XIII. *natus Ann. 1601.*

MEMBRUM III.

Nomen JESUS Militare.

A Nomine ordiamur, quod optimè personam indicat. Quis est natus? Imperator MILITIÆ CHRISTIANÆ. Per Militiam Christianam, quam sæpius nominavi hactenus, ac in posterum nominabo frequenter, & vos docebo, intelligite illam, in quâ pugnatur cum vitijs, & concupiscentijs; cum perturbationibus & affectibus animi, cum ira, odio, rancore, cum superbia, invidia, desidia, tum amore, luxuria, lascivia, alijsque istiusmodi pestibus; denique cum Dæmonum exercitu multiplici. Quomodo vocatur? quod illi proprium ac maximè familiare nomen? JESUS. JESUM dum audio obversatur animo Infantulus ad bella Domini bellanda doctissimus, Dux populi, Dominator Israëlis, Ductor Militiæ cælestis, subjugator Gentium, expugnator regnorum, dissipator castrorum hostilium, galeatus, loricatus, ocreatus, gladiatus. Ita ferè quotiescumque Prophetæ de *Nato Christo* vaticinantur; depingitur.

ISAIÆ XI. *Egredietur* VIRGA (quod ipsum nomen est, & Sceptrum Bellatoris designat) *de radice Jesse* (Jesseus JESULUS) *& flos de radice ejus ascendet. Et percutiet terram* Virga *oris sui: & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* Micheæ V. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus*

es in millibus Iuda *Ex te mihi egredietur, qui sit* DOMINATOR *in Israël.* Quod Matthæi secundo legitur: *Ex te exiet* DUX, *qui regat populum meũ Israël.* Hinc illa aspiratio Ecclesiæ: *O Adonai! O* DUX *domus Israël, qui Mosi in igne flammæ rubi apparuisti, veni ad redimendum nos in brachio extento!* Hinc ille applausus poëticus:

O sola magnarum urbium
Major Bethlehem, cui contigit
DUCEM *salutis cælitus*
Incorporatum gignere.

Isaiæ VII. *Antequam sciat Puer vocare patrem suum & matrem suam auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum. A quo? ab illo, cujus Nomen, Accelera spolia detrahere, citò prædare, Festina prædari.* Isaiæ IX. *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus*: nempe, quem armavit sceptro bellico potentiæ suæ. Nam hic *Parvulus* natus est Princeps, Rex, Imperator Orbis, cæli & terræ Dominus, qui non tantùm in capite diadema, & in manu Sceptrum, sed etiam in humero CRUCEM, Principatus sui insigne gestabit.

MEMBRUM IV.

Nomen JESUS præstat

Armorum offensivorum munus.

PORRO, ipsum *Nomen IESUS* est armatura quædam omnigena, ac panoplia universalis, & officium præstat imprimis armorum, quibus hostes invaduntur, abiguntur, expugnantur, occiduntur, sagittæ, gladij, lanceæ, cæstus, fundæ, lapidum, & quorumcumque generis istius aliorum. Experiuntur id phalanges tartareæ, quibus nihil magis terribile, quàm sacratissimum illud vocabulum. Ad illius cum fide ac pio affectu prolationem fugiunt Dæmones, tanquam ense impetiti, tanquam sagitta vulnerati, tanquam lancea mortaliter læsi. Cùm fortissimum quendam Bellatorem depingere vellet auctor Metamorphoseon, id ei dedit elogij, quod nomine suo hostes terruerit:

——— ———*dum fuit integer ævi:*
Terruerat magnas ipse quoque Nomine *gentes.*

JESULUS noster à prima ætate hostium suorum terror, semper robustus, semper invictus,

Semper & infernas perterret Nomine *gentes:*

S. Antonio fuit sacro-sanctum IESU nomen, velut Sagitta, quâ Dæmonem, tanquam volucrem, deijciebat. Nam, ut scribit D. Athanasius, in quadam cum Diabolo pugna dicebat Antonius, certans cum adversario animo

animosè: Verè IESUS tandem tuas funditus subruit vires: & honore nudatus Angelico, volutaris in sordibus. Quid inde effectum? Subdit ipse: Vix dum verba compleveram, & ille sublimis (en upupam circumvolitantem) *Nomine Salvatoris* dejectus est. Certè, hoc Nomine cælesti, ut acutissimo telo, instructus Hilarion veteranus Christi miles, Dæmonum ferocissimas legiones sæpe in fœdam fugam, ac si nubem sagittarum in eas densissimam mitteret, egit, & laceravit; ut S. Hieronymus (*a*) in ejus vitâ commemorat. Ioannes Climacus autem monet, ut *Nomine* eodem contra inimicum in duello, tanquam cæstu utamur. Inter arma autem offensiva, *Cæstus* est genus clavæ, pilas plumbeas loris bubulis appensas habens, à cædendo dictum, quo Daretem & Entellum horribilem in modum depugnantes describit eleganter Virgilius. IESU Nomine *cæde inimicos spirituales*, inquit Climacus. (*b*) *Nec enim in cælo aut in terra potentiora sunt arma.*

Ego etiam dixerim, *Nomen* JESUS, cùm quinque constet litteris, esse debere, velut totidem lapides, qui in ore Christiani, tanquam in fundâ locati, indeque vibrati conterunt caput gigantis Goliath. Ut enim suo loco probabitur: inter *Christianæ Militiæ* asseclas sunt Funditores, seu fundibularij, qui fundâ dimicant, similes bellicosissimo adolescenti Davidi. Qui progressurus contra incircumcisum Philisthæum, DEI contemptorem, & exprobatorem exercitus Domini, elegit quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, & fundam manu tulit: sicque adversario se stitit, eique dixit: 1. Reg. cap. XVI. *Tu venis ad me cum gladio, & hasta & clypeo: ego autem venio ad te, in Nomine Domini exercituum* (qui est DEUS SABAOTH, JESUS CHRISTUS) *DEI exercituum Israël, quibus exprobasti hodie: & dabit te Dominus in manu meâ, & percutiam te, & auferâm caput tuum à te: & dabo cadavera castrorum Philisthijm hodie volatilibus cæli, & bestijs terræ, & sciat omnis terra, quia est DEUS in Israel. & noverit universa Ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras.* Ita factum. Nam immisit David manum suam in peram, tulitque unum lapidem, & fundâ jecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte ejus, & cecidit in faciem suam super terram: prævaluitque David adversus Philisthæum in fundâ & lapide, percussumque Philisthæum interfecit.

Noto, uno lapide interfectum: quinque autem habet secratissimum *Nomen* JESUS illi multo superiores. Nimirum, si juvat contemplationibus mysticis, allegoricis, & anagogicis indulgere, tanta vis est & energia *Nominis IESU*, ut quamvis quinque elementis litterarijs quinque lapides repræsentet, nihilominus, si contingat, vel virium defectu, vel repen-

(a) *S. Hieron. vita Hilar.* (b) *Climac. grad. 21.*

tinâ perturbatione, vel casu minimè prævisо, unam solummodò syllabam, immò litterulam, tanquam unicum lapidem, linguæ fundâ, in hostem pronunciando devotè jacere: (Quod frequenter accidere potest, dum extremus redditur, aut in fatali lecto, aut sub ferali ferro, spiritus, & invida mors ceterarum prolationem, gulam intorquendo, impedit,) dicaturq; tantùm, corde contrito, & amantis, opemque Domini exercituum implorantis affectu, IE, quæ est una nominis potentissimi syllaba, hosti frontem ferit, cerebrum comminuit, ac deijcit, planeque exanimat, aut in fugam compellit. Profectò, non expectat Diabolus, donec totum nomen pronuncietur, jam prima syllaba, ut unico lapillo lethaliter saucius, modò omnes quinque fundibularius in peram piæ voluntatis affectusque miserit.

Hic vos ego invito, ut mecum pensitetis, incredibilem quandam energiam hujus armaturæ: quam licet colligere ex diverso modo operandi virtutis Sacramentalis, quæ tamen summa est, & Nominis IESU. Scitis, hostes infernales, Dæmonem ac peccata, pelli ex munitissimis animarum, quas occuparunt, arcibus, immò, trucidari, ut spiritualia possunt, prolatione verborum Sacramentalium, quibus à criminibus absolvuntur rei, ut in Sacramento Confessionis, seu Pænitentiæ: tamen, ut Theologi Scholastici subtiliter disputant, vim suam non exerunt, nec effectum consequuntur, nisi post prolationem, aut in prolationis momento illo, quo ultima syllaba profertur. Tūc enim primò caussatur in anima gratia per Sacramentum. Ut primum non esse prolationis, aut ultimum instās, quod etiam ultimum esse dicitur, sit primum quod sic, seu primum esse gratiæ: utrumq; enim dici posse opinor. Quod maximè verum est in eorū sententiā, qui admittunt caussalitatem physicam in Sacramentali operatione, & non tantum moralem ad præsentiam signorum Sacramentaliūm. Non juvat autem, etiamsi Sacerdos totam formam pronunciare voluerit, si illam perfectè, seu integrè essentialiter non proferat. At, etiamsi *Nomen* efficacissimum IESUS, totum non proferatur, defectu temporis, tanquam unicus lapillus, unica ejus syllaba hostem in fronte ferit, sternit, interimit. O divinum armaturæ genus *Nomen*, IESUS! O quinque limpidissimos lapides in fundibulariorum *Christianæ Militiæ* peris Diabolo nocentiores, quàm Goliatho fuerint Davidici.

VIRTUTEM hanc experientia doctus S. Gregorius Nazianzenus scribit ad Nemesium: *Ipse qui Christo nomen dedi augustum illud* NOMEN *vix plerumq; pronunciavi, cùm statim Dæmon non sine stridore, longissimè se proripuit, DEI immortalis vim ac potentiam clamans.* Idem experiuntur à Dæmonibus infessi: nam ex corporibus, quæ miserum in modum torquēt, per *Nomen* IESU eijciuntur. Quod ab antiquissimis Patribus commendatur. D. Iustinus disputans cum Tryphone: *Per* NOMEN *inquit, Filij DEI, & Primogeniti omnis creaturæ, Dæmoniū omne adjuratum vincitur,*

& in

& in ditionem redigitur. *Ejus* Nominis *potentiam Dæmones tremunt ac formidant.* Multa idem exaggerat Origenes agens contra Celsum Grammaticum, quorum aliqua paullò post adducemus. Arnobius quoque contra Gentes scribens, libro 1. ait: JESU *Nomen* auditum fugare noxios Spiritus, imponere silentium vatibus, haruspices inconsultos reddere, arrogantium Magorum impedire machinamenta, & eorundem molitiones frustraneas reddere.

HVIVS præclari Doctoris haud minor eloquentia discipulus Lactantius, (a) *Sicut*, inquit, *Christus, cùm inter homines ageret, universos Dæmones verbo fugabat, hominum mentes emotas, & malis incursibus furiatas in sensus pristinos reponebat; ita nunc sectatores illius, eosdem Spiritus inquinatos, de hominibus, & Nomine Magistri sui, IESV, & signo Passionis*, id est, CRVCE, veluti clavâ, *excludunt.* Theodoretus (*b*) quoque in epist. ad Philemonem de Pauli nomine: *Sufficit nominis mentio ad efficiendum, ut revereatur vel maximè adversarius.* Quantò igitur magis mentio *Nominis* JESU. Sunt enim multa in Christo Domino majora & infinitis partibus excellentiora ijs quæ menti occurrunt, cùm nominatur Paulus, quamvis, ut idem subjungit: *Qui Pauli nomen audit, audiat Prædicatorem totius orbis, terræ marisq; cultorem, Vas electionis, & alia, ad quæ narranda vel decies mille linguis opus esset.* Qui NOMEN JESVS audit, audit conditorem orbis, terræ marisque Dominum, generis humani Redemptorem, Restauratorem Angelorum, bonorum renumeratorem, malorum exterminatorem, Dæmonum terrorem. An non itaque est instar clavæ, cæstûs, sagittæ, gladij, fundæ, ac teli cujuslibet hostem lædentis & abigentis?

VERVM, in bello plusquàm arma omnia alia offensiva hosti obsunt *Incantationes*, & *Sagittæ*, quæ vocantur *incantatæ*, quibus frequenter integri exercitus intereunt, atque ex loco remotissimo telis configuntur adversarij. Unde celebrantur in Jure Canonico *Sagittarij* seu *Ballistarij*, de quibus est Canon Innocentij Papæ III libro v. Decretalium. Horum tanta est, arcu, ballistâ, bombardâ-ve jaculandi peritia, ut denariolum capiti alicujus impositum absque capitis læsione, valeant deijcere. Ijdem arte incantatoria quemcumque longissimè dissitum infallibili ictu trajiciunt. Infames sunt ab istiusmodi & similibus incantationibus Lappones & Finni, quorum magnus numerus fuit annis superioribus in castris Gothicis, & etiamnum supersunt non pauci. Hi de plumbo conficiunt jacula digiti longitudine, & incantamentis acuunt: ex eorum autem attactu oborto carcinomate in crure aut brachio, intra triduum vehementia doloris hominem quamvis valentissimum necant. Eosdem, ventos pestilentes inducere, nebulam quoque, caliginem, & tenebras, sunt qui asserunt, & primo bello Suecico in Germania his præstigijs fuisse superiores ante annos aliquot erat persuasio.

(a) *Lib. 4. cap. 27.* (b) *Epist. ad Phil.*

JAM prodam vobis secretum unum CHRISTIANÆ MILITIÆ, non vetitum illud, sed omnibus commendandum, & ad usum facile. Cùm viderent olim Gentiles, Orci turbam furiosam à Christianis nullo penè negocio abigi celerrimè, &, ut existimabant nonnulli, penitus deleri, arbitrabantur Christi illos milites incantamentis uti, aut spicula, quæ mittebantur, obmurmurationibus magicis imbuta in Spiritus etiam ferri, & esse lethalia. Quibus candidè respondebant mysteriorum nostrorum gnari; verè nos *Incantationibus* munitos in campum contra hostem procedere, & posse sagittis nostris aciem spiritualium nequitiarum confici, & obrui. Totum autem Incantationis artificium quinque litterulis in unius vocabuli angustias coactis contineri. Hinc Christianos esse Sagittarios, & ballistarios tam peritos.

ITA clarissimè D. Chrysostomus monens, ut hisce incantationibus uti assuescamus. *Si*, inquit, (*a*) *in Diabolum* INCANTATIONES *intorquere noveris, statim vulnerabitur. Sunt enim nobis, sunt sanè* Incantationes spirituales, *ipsum* NOMEN *Domini nostri* IESU CHRISTI, *tum ipsius* CRUCIS *potentia. Hujusmodi* Incantatio *non solùm Draconem è speluncis educit, atque in ignem conijcit, sed etiam vulneribus medetur.* NOMEN IESU *& Dæmonibus terribile est, & perturbationibus ac ægritudinibus salutare. Hoc igitur armemur.* Idem alio loco. (b) *Hoc* IESU NOMEN, inquit, *tum inferis tum morbis, tum vitijs terrori est.* Qua persuasione imbuti, ut refert Cæsarius, (*c*) qui præerant ingredientibus horribilem illam specum, quæ S. Patritij Purgatorium est dicta, plenam omni serpentum atque aspidum genere, quod non nisi *Incantationibus* educitur, aut sopitur, solebant monere seriò intrantem: *Videbis hac nocte insultus Dæmonum, & pœnas terribiles, sed non poterunt te lædere, si* NOMEN IESU, *semper habueris in ore. Quod si Dæmonibus blandientibus, sive terrentibus consenseris, & IESUM invocare neglexeris, peribis.* Negat autem disertè (*d*) Origenes, alias apud Christianos vigere Incantationes. *Non* Incantationibus, nempe magicis, *pollent Christiani sed* Nomine IESU, *cum commemoratione factorum ejus. Nam his verbis sæpe profligata sunt Dæmonia ex hominibus, præcipuè, quoties qui ea enunciant, sano affectu & integra fide proferunt. Tanta certè vis* Nominis IESU *inest contra Dæmones, ut non nunquam etiam à malis nominatum sit efficax.* Nomen IESUS *lymphatos sanat: Dæmones fugat: morbis præsentaneum adfert remedium.*

(a) *Hom. 8. in cap. 4. ad Romanos.* (b) *Hom. de laude Dei.* (c) *Lib. 12. cap. 38.* (d) *Orig. lib. 1. contra Celsum.*

MEMBRUM V.

Nomen JESUS continet

Armorum defensivorum facultatem.

IN genere armorum defensivorum habet sanctissimum NOMEN, se instar SCUTI. Ita eo utebatur B. Abramius, ideoque cum à Satana in lucis Angelum transformato periculosissimè oppugnaretur, alta ei voce animosè respondebat: *Tenebræ tuæ tecum sint in perditionem, O plene dolo atque fallacia! Homo quidem peccator sum ego, quia tamen caritatem DEI mei habeo, & spem in ipsum atque auxilium, in nullo ego te, tuasq; insidias pertimesco, neque tua phantasmata, ac spectra terrorem mihi incutiunt.* Quia tanquam parvulorum sagittas, omnia inimici terriculamenta hoc SCUTO excipiebat.

EST etiam MURUS, defensionis instrumentum: is enim quam diu hosti est obversus ab ictu protegit. Et hoc præstat idem sacertimum *Nomen.* Unde subbjungebat Abramius, ut refert S. Ephrem: (*a*) *Pro* MURO *munitissimo atque tutissimo est mihi* Nomen *Domini mei, & Salvatoris* IESU CHRISTI, *quem dilexi ac diligo. In quo Nomine te increpo immundissime canis & miserabilissime.* Utitur eodem loquendi modo (*b*) S. Chrysostomus loco superius indicato, ubi connectens offensivis armis defensiva, tandem hortatur: *Hoc igitur nomine armemur: hoc tanquam* MURO *nos muniamus.* Nec concipias hic Murum sine Turri: nam idem

NOMEN *Domini est* TURRIS *fortissima: ad ipsum currit justus, & exaltabitur.* (*c*) Olim in urbibus & pagis erigebantur turres, ad quas quasi arces, ingruente hoste, confugiebant defensionis caussa cives. Ut Romæ ad *Capitolium*; quod Romam Romanosque à Gallis servavit urbem invadentibus, eaque jam capta: ut in Babylone Turris *Babel* unde urbi nomen; de qua S. Hieronymus, *Arx & Capitolium urbis est* Turris *ædificata post diluvium*: ut per Germaniam *Burga*; quæ aliud non fuerunt, quàm Turres munitæ; Unde dicti fortasse Burgundi, quod in Burgis habitarent ad sui defensionem erectis, ob frequentes Wandalorum, Gothorum, Alanorum irruptiones. At omnibus istis arcibus, castellis burgis, turribus ad defendendum ab hoste validius propugnaculum est NOMEN Domini, IESUS. Huc se conferat justus belli tempore tanquam ad arcem Tarpeiam insuperabilem, tanquam ad Asylum inviolabile, tanquam ad *Turrim fortissimam*; ex qua, ipse loci præsidio defensus satis, jactis in hostem telis, eum offendat, & conterat. Unus enim in altissima Turri plurimos hostes ascensum angusto

(*a*) *Tom. 3. fol. 255.* (*b*) *Hom. 4. in c. 4. Rom.* (*c*) *Proverb.* VIII. 10.

angusto tramite molientes moratur, ac deturbat facillimè: exaltatus autem est satis, qui in hujus Turris fastigio consistit.

VERUM, quomodo intrare quis hanc *Turrim* poterit? quomodo ad summitatem ejus est perveniendum? Audiatur S. Augustinus: (*a*) TURRIS fortitudinis *à facie inimici* CHRISTUS *nobis factus est: cave ne feriaris à Diabolo: fuge ad* Turrim. *Nunquam te ad illam* Turrim *diabolica jacula sequuta sunt: ibi stabis munitus, & fixus. Ante te est* Turris: *recordare* CHRISTUM, *& intra* Turrim. *Quicquid pateris, cogita, quia prior passus est & cogita quo fine passus est, ut moreretur & resurgeret. Talem & tu finem spera, qualis in illo praecessit: & intrasti* Turrim. *Sicut autem Civitas, qua turribus ac muris cincta non est*, inquit S. Chrysostomus, (*b*) *facile venit in potestatem hostium*: sic & animam, quæ sacratissimo *Nomine IESV*, tanquam *Turri* altissima & muro validissimo non defenditur, Diabolus facile in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni scelerum genere replet. Ceterùm, ad animam sic munitam non audet proprius accedere, metuens robur ac fortitudinem in *Muro* & ex *Turri* pugnantis. Nomen IESUS, est *Turris fortitudinis à facie inimici*. Est *Turris Eburnea, Turris Libani, Turris David* cum propugnaculis. (*c*)

(a) *In Psal 60.4.* (b) *Lib. 2. de Orat.* (c) *Psal. 60. Canticor. 4.*

MEMBRUM VI.

Nomine JESU utendum
pro Armis defensivis. & offensivis.

DEMONSTRATUM est satis, PARVULI Nostri *Nomen* esse *Militare*: adhiberi posse vice armorum, tum ad tutandum pugnantem, tum ad repellendum & offendendum impugnantem: *Gladium* simul esse & *Scutum*. Quæ conceptio ne sit evanida, ac sine fructu, monent viri *Spiritualis Militiæ* gnari, ut eo in conflictu contra spirituales nequitias utamur; & non dubitemus illi armorum generi haud minorem inesse vim ad eijciendum adversarias potestates ex animis, quàm è corporibus. Itaque, si Asmodæus luxuriæ Spiritus, & Exercitus tartarei Campimarscalcus, ut nunc loquuntur, Luciferi locum-tenens, ignitis lasciviæ telis te impetat, si figere conetur acutissimis cogitationum fœdissimarum spiculis, si jaciat sagittas venereo illitas toxico, permalè custoditas in plateis, templo, foro oculorum vanitatem consectantium fenestras, hac pelta eas excipe: invoca pro affectu dulcissimum *Nomen IESV*, aspira cum gemitu, ô IESU! usurpa cum suspirio, quid hæres IESU? ubi es IESU? & sensies actutùm ignem illum vicina depopulantem, & jam in lumbis penè ardentem extingui, flammulamq; sagittatam in glaciem verti.

ET

ET quoniam constat infandum illum hostem non tantùm claro die, sed etiam & quidem frequentissimè, magnoque cum periculo, nocturno tempore (est enim inter Principes tenebrarum primipilus) lasciviæ cuspidem infigere conari malè custoditis: immò, astutissimè insidiari, ac multis pessimisque modis illudere expertissimis, ac benè armatis, suggerit Diodochus (a) in *Christianâ Militiâ* vir imprimis benè versatus, & cælesti quadam sapientia instructus per opportunum firmissimumque hoc præsidium ut usurpetur frequensissimè *Nomen IESVS*. *Si tunc*, inquit, hoc est, noctu, dum in lecto, tanquam in gramineo campo adversariorum telis expositus jaces, dum somnum carpis, aut eo es obrutus, vel fugientem insequeris, aut dum

Levi somna mens soporinas imagines

Affatur, dumq; umbrantur somno pupulæ:

si tunc *mens tua parata inveniatur, ut* Nomen Domini JESU *ferventi memoria retineat & hoc sancto & glorioso* Nomine, *tanquam* ARMIS *adversus ejus dolos usa fuerit, recedet fallax & astutus Dæmon.* Certè, de hoc *Nomine*, ejusque vi, cùm multa suavissimus Bernardus (b) memoret, tum illud ad hanc rem signatè enunciat, experientia, ut reor, doctus: *Nihil ita restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammas, ac totius indecoris fugat pruriginem.*

QVARE ego omnibus vehementer auctor sim: & utinam persuadeam: certè, uberiorem hujus quidem commentationis fructum non exposcerem; ut quilibet, dum in lecto ad somnum capiendum se disponit, nominando, tanquam bonus MILES CHRISTI, Imperatorem suum, in JESU nomine, cui MARIÆ adjungendum, obdormiscat. Et dum expergiscitur, subitò, in hoc dulce & beatum nomen erumpat, JESUS-MARIA. Dici non potest, quantum hinc subsidij habeatur, tum ad noctem quietè, honestè, ac more Christiano, traducendam, tum ad diem feliciter inchoandum. Nocturnæ omnes furiæ, quas Principes tenebrarum effingunt, vel adducunt, Lemures, hydræ, sphinges, Fauni, Satyri, hisque tetriores, unica *Nominis IESV* peltâ ijs objecta profugient. Præcludetur omnis aditus in id cubile, illumque lectum quem Scutum illud munierit. Ostenso nominis JESUS clypeo, quod cum Jeremia Propheta (c) rectè *Scutum cordis* nominare poteris, tartari vis omnis evanescet: furentis libidinis ardor, sagittæ cupidinis, Asmodæi tela ignea nullum habebunt effectum: molitiones omnes cadent in irritum.

PORRO, ut immunditiæ Principi, ac lasciviæ instigatori Asmodæo, sic superbiæ, avaritiæ, gulæ, invidiæ, iræ, acediæ Regulis, Astharoto, Beelzebubo, Apollioni, alijsque virtutum exterminatoribus, & vitiorum ante- signanis.

(a) *Lib. de perfect. spir. cap. 31.* (b) *Serm. 15. in Cant.* (c) *Ierem. Threnorum 3 cap. ver. 65.*

signanis, *Nomen IESV*, & terrorem infert, fugat, vulnerat, interimit, nostro loquendi modo, instar Sagittæ, lanceæ, rhomphææ, & ipsorum impetus excipit, retundit, repellit, tanquam clypeus, & securitatem præstat, sicut densissimum vallum, murusque inexpugnabilis. Ob hanc caussam monet solicitè heros nostræ militiæ generosus Bernardus, (*a*) ut oppugnati ab hostilibus copijs, huc nos referamus, indeque inimicam aciem propulsemus, & repetita sæpius *Nominis sanctissimi* memoria, ac pronunciatione, veluti densissima non solùm sagittarum, verum etiam grandinis globorumque ignitorum nube eas obruamus. Si instent adversariarum partium legiones, ne metue: *Veniat in cor IESVS, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis illius lumen nubilum omne diffugit, redit serenum.. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando, nonne si invocet* Nomen *vitæ confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris* Nominis *duritia cordis. ut assolet, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ? Cui fons fortè siccatus lacrymarum, invocato IESV. non continuò erupit uberior, fluxit suavior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti invocatum* Virtutis Nomen *non statim fiduciam præstitit? depulit metum? quæro, in dubijs æstuanti, & fluctuanti, nos subitò ad invocationem* Clari Nominis *emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti, jamjamq; deficienti, si* Nomen Adjutorij *sonuit, defuit fortitudo? Nimirum, morbi, & languores animi isti sunt, illud est* Medicina. *Deniq; & probare licet: Invoca me,* inquit, *in die tribulationis, eruam me, & honorificabis me:* (*b*) Hæc autem omnia NOMEN istud *sacratissimum* præstat, quia dum exprimitur, DEUM repræsentat, & Hominem, non diversum ab Omnipotente & Domino exercituum, cujus æquè voluntati, quàm potestati subjecta sunt omnia, is enim reconditur in vasculo vocabuli illius, quod est JESUS.

(a) *S. Bernard. serm. 15. in Cantica.* (b) *Psal. 49. versu 15.*

MEMBRVM VII.
IESVS INFANS
Quia est Salvator, prodit ex utero Matris BELLATOR ARMATUS.

DUM autem diligentius illius perscrutor significationem, aliud videor in eo animadvertere armorum genus, cum quo ex utero Infans noster prodijt. Est enim JESUS, Hebraicè *Iehoschuah*, à salute dictus, idem quod *Salvator*. Quod non obscurè indicet Angelus Matth 1. *vocabis nomen ejus IESVM: ipse enim salvum faciet populum suum*: quod quid est, aliud, quàm, quoniam à salute *Nomen* habet, *Nomini* suo congruenter, salutem populo adferet: JESVS vera salus, & essentialiter salus,

etiam efficienter salvabit. Sic vulgo asserimus: Doctor vocabitur: ipse enim alios docebit: Rex dicetur, quia reget: Judex nominabitur, nam judicabit. Idem sumitur ex Ecclesiastico cap. XLVI. ubi dicitur *Iosue*, qui est JESVS, *magnus, secundum nomen suum in salutem.* Quod Græcè ibi legitur hac sententia: JESVS *fuit secundum nomen suum Magnus, propter salutem electorum ipsius.* In Claudiano etiam Poëta, quamvis Gentili, ut à D. Augustino libro V. de Civitate Dei, est observatum, leguntur in hunc sensum isti versus:

Regnantem Dominum jam lingua fatetur IESVM
NOMINE *quo fundata salus stat nostra, fidesq;*
Nititur, æterna tendens in secula vita.

JAM verò, Evangelicus Propheta Isaias, c. LIX. inducit eum, qui salutem adferet hominibus, sive *Salvatorem Mundi* liberantem suos à Diaboli tyrannide, tanquam strenuum belli DVCEM, qui indutus fuerit *Justitia*, ut *Lorica*, munitus caput *Galea salutis.* Quamvis autem nuper cùm DEUM SABAOTH malorum vindicem armaremus in improbos, diximus, *Justitiam* accipi posse pro vindicativa, & pœnas infligente; tamen nunc considerantes *Messiam Parvulum* & amabilem, misertum afflictionis nostræ, asserimus, per *Justitiam* intelligi posse *Misericordiam* ut præclari aliquot interpretes exponunt. Sanè, *Misericordia* proprium est munimentum, simulque ornamentum Divini pectoris, sicut est in milite *Lorica* illius partis. Nam pectus divinum Misericordiæ, veluti thorace ferreo involui haud malè à nobis concipitur. Ut enim nulla beneficiorum largitas, aut inopum indigentia divitias misericordiæ exhaurire, ita nulla potestas, nullaque violentia, cum nullam pati queat, pectus illud expugnare unquam poterit. Misericordia erga genus humanum duxit, aut potius traxit DEI VERBVM è sinu Patris, Misericordia illud carni copulavit, Misericordia in in utero continuit, Misericordia pepetit, Misericordia, ut obstetrix pannis involuit, in præsepio posuit, Puerulo pro Lorica fuit. Est opus Misericordiæ Filij DEI, Incarnatio Nativitas Passio. Est etiam Justitiæ, quia ex rigore illius satisfecit abundè: Misericordia & Veritas, seu Justitia & Pax obviaverunt sibi. Nisi misertus nostri fuisset Dominus misericors & miserator, consumpti omnes essemus. Benè igitur concipitur Parvulus Noster. in cunis etiam, loricatus *Misericordia.*

Quod si minus placeat subtilioribus speculationibus haud assueto, in Justitia Misericordiam intelligi; certè, Justitia, quæ Verbi Incarnati, ac in præsepio vagientis pectus armavit, illa dici potest, qua in se peccatorum caussam ac miseriam adsumpsit. Quod facere est munus Fidejussoris, ac pars quædam Justitiæ, quæ in fide præstanda ac liberanda consistit ac cernitur. Hæc autem ita munivit Salvatorem IESVM, ut ab infantia nihil non tentarit, quod ad salutem generis humani judicari potuit necessarium aut

conveniens, eo animo ac constantia, ut contra injurias atque ludibria posuerit, sicut adamantem faciem suam, nec averterit vultum à conspuentibus, neque genas suas à vellentibus. Huic autem Loricæ aptè copulatur.

GALEA SALUTIS. Scimus pusiones quosdam galeatos è matrum uteris prorepsisse. Sed nulli talis contigit Galea, qualis ornat IESUM: qui cùm ex ipso *Nomine* salutem spiret, meritò illum ornat *Galea*, quæ est ipsa *Salus*. Dicam id clarius. IESUS salutifer sibi ipsi est *Galea*: Nomen personæ: IESUS MESSIÆ. Salus autem illa, quæ Salvatori in Galeam conformata est, bifariam accipi potest: nempe. vel *Passivè*, hoc sensu, ut capitis sui saluti provideat armatus belli sacri Dux, & imprimis caput ipse suum, ne quid adversi patiatur, ab hostili tueatur plagâ: vel *Activè*, ut alijs sit saluti. Si priori modo interpretemur, in Galeâ, quæ caput tegit, & per metonomyam pro capite sumi potest, Divinitatem licebit accipere: Christi autem caput ex pronunciato Apostoli. *(a)* est DEUS Hac igitur Galeâ tectus in mundum veniens Servator & vindex Christus, salutem incolumitatemque suam ab hoste tuebitur, sensu Prophetæ. Nec aliter evenit. Quamvis enim adversa multa, ac mortem denique pertulerit; ita tamen istiusmodi omnia Humanitati incommoda, deinde ipse propriâ virtute, hoc est, Divinitate sua suscitatus ad proprium decus convertit, ut nihil adversi pertulisse videri potuerit, post talem redintegrationem. Posterior sensus est ad Bellatoris nostri commendationem æquè idoneus. Sic enim Christi *Galea*, in qua natus prodijt, dicetur *Salutis*, vel SALUS, quia generi humano fuit saluti. Qui intellectus maximè probatur D. Thomæ & Hugoni Cardinali: & optimè convenit si galeæ capitisque. quod præcipuum est in re qualibet significatio attendatur. Nam potissimum, quod sibi proposuit Bellator Christus, & quò omnia illius certàmina dirigebantur, nimirum, caput rei totius, erat generis humani salus: hunc tanquam in scopum collimabant omnia.

NIHILOMINUS, ipsum NOMEN gloriosissimum IESUS, accommodatè ad rem conceptionesque nostras, *Galea salutis* indigitatur. Tum *passivè*, quoniam eo dignitatem capitis, summamque auctoritatem Principis, & Majestatem Imperatoriam Messiæ, in qua salus illius consistere dici potest, tuetur. Hoc enim fine Pater dedit Filio Incarnato & humilianti se *Nomen quod est super omne nomen, ut in nomine IESU omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.* Tum *activè*, quia, *Non aliud Nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Actuum IV. In eo enim continetur ipsa salus, quam ipsum nomen origine sua indicat. Et quoniam in Galea, Ducis insignia, magnanimi conatus, & præclara facinora signis ac imaginibus exprimi solent, & instrumenta quoque ostentari victoriarum, haud malè per *Galeam salutis* accipiunt docti interpretes,

Galeam

(a) *1. ad Corinthios cap. 9. ver. 4.*

Galeam symbolo salutis signatam, seu insignitam, CRVCE videlicet: qua eximius iste, plusquam Heros ac Bellator potentissimus admiranda edidit suæ virtutis documenta.

ET sanè, negari non potest apud Paganos (*a*) etiam, CRVCEM habitam fuisse salutis venturæque vitæ signum: quod docent plurimi præclarique Scriptores, ut suo loco illorum testimonijs probavimus. Concipi ergo potest optimè Christi Galea CRVCIS signaculo ornata, uti fuit Constantini Imperatoris, de quo congrediente cum Maxentio Prudentius:

CHRISTVS *purpureo gemmanti textus in auro*
Signabat labarum: clypeorum insigna Christus
Scripserat, ardebat summis CRVX *addita cristis.*

MIHI autem salutis insigne certissimum & pulcherrimum symbolum videtur NOMEN ipsum IESVS, quod & Galeæ, & cassidis, & cristæ, & omniũ capitis ornamentorum rationem habet. Cujus quoniam summa est efficacia, monet Paulus Apostolus (*b*) vehementissimè: *Galeam salutis* adsumite. Quibus imprimis significat, in *Militiâ spirituali* illud monimentum præcipuum, & auxilium efficacissimum esse, quod à salutis Auctore habetur, ideoque ab illo id esse exspectandum. Quod magis expressit ad Thessalonicenses scribens, cum de ijsdem armis ageret: capite 1. *Induti loricam fidei & caritatis, &* Galeam spem salutis. *Quoniam non posuit nos DEVS in iram, sed in adsequutionem salutis per Dominum Nostrum* IESVM CHRISTVM. Quam vocaverat alibi *Galeam*, hic dicit *spem salutis.* Quam salutem nos habere à CHRISTO IESV Salvatore dubitare nemo potest Christianus.

ITAQVE, Dilecti, advolvamur omnes cunis Parvuli recens nati, nunc quidem animo, postea etiam corpore, ac humiliter prostrati, & post dissuaviationem dulcissimam, ac casti pudoris oscula, impressa plantulis, pedunculis, genibus, pectusculo, digitulis, labellis, maxillulis totiquè corpusculo è virgineo Matris utero adhuc calenti, contemplemur illum, ut *Militiæ Christianæ* Principem, DEUM SABAOTH, rogemusquè enixè ac suppliciter, ut si invadat nos hostis Tartareus, sit nobis *Scutum* adamantinum impenetrabile, quo ignea ejus tela repellamus; sit *Vallum* ferreum, quo cincti ab invasione hostili custodiamur; sit *Murus* aheneus, quo circumdati nullis adversariorum molitionibus exponamur. Sit nobis ad invadendum hostem *Sagitta*, qua nycticoracem infernalem in tenebris circumvolitantem deijciamus; sit cæstus, quo arroganter se jactantem orci Dareten delumbemus: sit *Lapis*, quo superbissimi Goliathi frontem feriamus, & Gigantem DEI populo insultantem perimamus. Sic armati, alacres contra hostes animæ qualescumque proficiscamur, nihil formidantes. Superari non potest, quem tuetur insuperabilis IESVS. Cujus

(a) *Lib. I. in Symmach.* (b) *Ad Eph. 6. 17.*

gratia & copiosa benedictio descendat super Vos, & maneat vobiscum, nunc dum vivitis, tunc quando moriemini, & semper post mortem, in omnem æternitatem, idque in N.P.& F. & *S.S* ——— A.

NOTÆ

In quibus Auctores, & Adversaria.

§. CATAPHRACTVS.] *Idem est, quod undiq; munitus: à καταφράττω, quod est obsepio, & munio. Unde cataphracta naves dicuntur, quas constratas aut tectas vulgo vocamus. Servius* XI. *Æneid. Cataphracti equites qui & ferro muniti sunt, & equos similiter ita munitos habent. Vtitur ea voce Salustius vocans equites cataphractos. Cataphracta autem, Græcis καταφράκτης, est lorica, aut thorax militaris. Quod vocabulum usurpat Vegetius scribens exercitum Romanum pedestrem cataphractis & galeis fuisse munitum. Et Livius lib.37. Pedites loricatos nominat cataphractos. Hinc Cataphractarij, qui cataphractis muniti sunt. Lampidrius de Alexandro*: Cataphractarios, quos illi Clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus.

§. LVDOVICVS XIII.] *Ita scribit Franciscus Haræus Annalium Belgicor. p.598. Anno 1601. Is mortuus deinde est, post plurima bella, & victorias illustres, Anno* M.DC.XLIII.14. *Maij, quo die Christus in cælum ascendit. Eodem die mensis, mortuus fuerat* HENRICVS IV. *ejus parens, & eadem penè hora. Hæc fuit inter 3.& 4.illa inter 2. & 3. promeridianam. At,* MARIA MEDICÆA *mater, Regis* Ludovici, *cùm per varios fortunæ casus ex Anglia venisset Coloniam, piè obijt Anno* M.DC.XLIII. *3. Iulij.*

§. CHRISTVS ab utero bellicosus.] *Habet aliqua ad hoc argumentum accommodata Didacus Baëza, de* Christo figurato *lib* 1.*cap*. 2. *& lib*. 2. *cap*. 2. DEI *Filius ab ipso Incarnationis puncto classicum cecinit adversus omnes contrarias potestates, adversus omnes voluptatum blanditias, adversus omnes peccatorum illecebras.* DEI *Filius in obscuro & arcto viscerum virginalium corpus sibi aptat, corpus dicam an cataphractã? an catapultam? Etenim in illa corporis Christi formatione & adsumptione nihil video non bellicosum, nihil nisi pugnas adversus carnem & sanguinem, adversus mundi potestates. Sapientiæ* XVIII. 14. Cùm quietum silentium contineret omnia & nox in suo cursu medium iter teneret, *Omnipotens Sermo tuus* de cælo à regalibus sedibus venit durus DEBELLATOR. *Simul ut à cælo egressus, & à regalibus sedibus descendens* DEI *Filius in utero virgineo apparuit jam illi durus* DEBELLATOR. *Iam ibi quæcumq; cogitat, quæcumq; tractat, arma sunt, tela sunt Carni & Mundo adversantia. Legendus ibi Hugo Card. Quo spectat Proclus homilia de Christi Nativit. sic Christum alloquens*: O venter, in quo communis libertatis syngrapha confecta est. O utere, in quo arma adversus Mortem fabrefacta sunt! *Dum Christi humanitas in utero virgineo formabatur, & à Verbo assumebatur, jam cogitabantur, jam fiebant arma, quibus humana delicia, mortis procura-*

curatrices caderent. Simul equidem & Verbi Incarnatio, & pugnacissimus Dux adversus carnem & sanguinem ostendebatur.

Proverbiorum IX. 1. Sapientia ædificavit sibi domum. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem & ad mœnia. Quæ hæc domus? quæ in illa VII. columnæ? quæ arx? quæ mœnia? Profectò, sunt natura Christi humana, quæ dum formatur in MARIAE utero, & domus est ad quiescendum, & arx fortissima, munitissimaq; ad pugnandum. Ita Guarricus Abbas Sermone de Annunciat. ubi uterum Virginis vocat Tabernaculum ad pugnandū. Nihil in natura Christi humana apparuit prius, quam Tabernaculum castrense ad bellandum, & expugnandos DEI inimicos.

Ioannis I. 14. Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Habitavit in nobis, inquit Chrysostomus, id est, tentoria fixit in nobis. Ne quid appareat in Christi Incarnatione, quod non sonet expeditissimam Militiam, sed Christianam.

Osea XII. 3. In utero supplantavit fratrem suum. Ab utero & in utero præliari incipit Iacob & suos canit triūphos, dignus Christianus; cui & arenam exhibuit & palmas Marianus uterus. Hæc unius Iacobi laus à Propheta est celebrata. Iacob non ut ceteri infantes jacuit in utero pondus inutile, sed ibi pugnacissimus cum fratre de primatu contendit, & fratrem de primatu deturbat. Historia habetur Genesis XXV. ubi Rebecca mater Iacobi sensit, quod scribitur: Et collidebantur in utero ejus parvuli. Scholiastes Græcus ex Symmacho legit, colluctabantur. Quomodocumq; legas, in confesso est, pugnam ibi sive luctam infantium significari, in qua Iacob victoriam reportavit. In quo ipso CHRISTUM expressit, qui descendit in Matris uterum, veluti in stadium, arenam, campum; non ibi ociosus hæsit novem mensium spacio: sed ibi maximorum more Heroum adversarijs timorem incussit, & hostem justo certamine subjugavit.

§. CAESTVS.] Virg. 5. AEneid. Dares cum Entello cæstuum certamine congressus occumbit

------ Crudo fidens pugnam cōmittere cæstu.

§. Sagittarij, Venefici, Finni, Lappones.] Lib. V. Decretal. tit. Sagittarij. Delrio lib. 2. Magicar. par. 1. q. 4. Sect. 4. Sprenger p. 2. Mallei quæst. 1. c. 16. Olaus Magnus, lib. 3. cap. 17. lib. 1. cap. 1. & lib. 3. cap. 18. Ericus Rex Gothorum quocumq; verteret pileum, inde ventum prosperum eliciebat. Quo nihil est in bello contra hostes commodius. Sic narrat in historia Gothor. Ioannes Magnus. Olaus de Lappiis & Finnis: quamcumq; volunt figuram assumunt. Item, quæ in alio orbe geruntur ab amicis vel inimicis, lineæ vestis precio, explorant, ventos quoque quos optant, navigantibus vendunt.

IN pugnā ad Lipsiam qua Casus Tillius à Suecis, hæc victoriæ magna caussa fuit, quod ventos sibi propitios fecissent. Nam cùm Tillius in editiore colle tormenta disponens secundum sibi ventum procurasset, ut non armis tantùm & viris, sed quodam veluti cum ventu commercio, pulvere insuper & fumo in Suecos Saxonesq; pugnaret, Gustavus Rex sua belli arte participem se venti fecit postea, ventum sui juris fecit totum, & medius ipse Suecos, Gothos, Finnones, Lapponesq; ducebat. Horum arte densam quoque nebulam & caliginem inductam fuisse spargebatur. Sic illi victoria cessit, in Germaniam calamitas incubuit. Anno M. DC. XXXI. 7. Septembris. Tres Tartarorum hordas ultra Cazanense regnum incantationibus mirè deditas ijs caligines aliasq; tempestates cæli frequenter excitare,

hoc

hocq; modo hostes profligare narrat Alexander Gagninus in Tartaria.

§. IESVS à salute.] *De originatione* Nominis IESV, *multa habent interpretes Evangeliorum, prater quos*, Angelus Caninius *in nominib. Novi Test.* Galatinus *lib.3.cap.20.* Ballester *in Onomast.* Pagninus *in Hebraicar. vocum Interpret.* Iansenius *in Concordia cap.* VII. *Sed omnium accuratissimè*, Serarius *Iosue 1.cap.2.quaest.* 10.

§. ARMATVRA Salvatoris Mundi.] *Vt populum liberaret durè vexatum idoneis ad id negotij armis se accinxit videtur dicere Propheta. Accepit enim pro* Loricâ *Iustitiam, & fidem, qua populum à se salvandum promisit fore : pro* Galeâ *salutem captiva gentis, quam expectabat illa armorum instructio. Videatur, prater alios,* Caspar Sanctius *in Isa. a* LIX. *qui sensum litteralem egregiè examinat, & confirmat.*




COMMENTATIO III.

Quantitas, sive Duratio MILITIÆ CHRISTIANÆ.

Militia est Vita hominis super terram. Iob. VII. I.

MEMBRVM I.

Quo fine, ac sensu prolata sit à Iobo ea sententia, omnium gentium, & atatum calculo approbata.



NTER Vitæ humanæ Symbola, quorum Centuriam alibi dispo-suimus, nullum aut latius patet, aut huic tempori, quo ubique omnia militariter administrantur, est magis accommodatum, quàm MILITIA: ideoque illud uberius enarrandum integris libris, per partes sumpsimus. E quo nostro labore, præter alias utilitates, quas ex singulis Commentationibus quilibet secum deferre potuit: illa universim existet haud spernenda. Quod cùm plerique adolescentes & juvenes, virique non pauci liberioris animi, ac spiritus, Milites esse magnopere exoptent, militiæ ignari, docebuntur, ad quam Militiam adscribi possint, immò debeant: cui-nam Duci nomen suum dare, cui Sacramentum dicere, cujus signa sequi: cum quo hoste confligere: quibus armis pugnanare conveniat · denique, quàm gloriosum sit, Militem esse, non tam in Martis castris profanum, quàm in CHRISTI DEI veri tentorijs Christianum.

MILITIAM *esse Vitam hominis super terram*, gravissimè dixit Hussitarũ Princeps

Princeps magnus Iobus, æquè Sapiens ac Patiens, in acri illâ disceptatione, quam habuit cum Eliphazo Themanite uno ex amicis, aculeatis disputatorib⁹. Is, cùm multa calamitoso objecisset, insinuasse videbatur, Beatitatē, atq; bonorum operum præmiū non esse exspectandū post hāc vitam quod nulla alia post fluxam hanc, & perituā superesse videatur: Occurrat illi Iob, id perabsurdum esse asserere, nec licere suspicari: atq; illud ipsum satis refelli, communi vitæ humanæ ratione, atque inspectione præsentium. Siquidē præsens mortalium vita non consistit in se ipsa, neque propter se datur, sed aliò tendit, aliumqúe statum respicit: quemadmodum motus ad quietem, ceu terminum, Militia, & bellum, victoriam ac tranquillitatem, quàm ut finem propositam habet. Sed quibusdam Interpretibus (a) Scripturæ divinæ incredibile videtur, sapientissimum virum Eliphaz in tam intolerando fuisse errore. Sic tamen opinari potuit S. Thomas, (b) fidusqúe ejus assecla Cajetanus. At Rabbi Moses putat eâ sententia refutari dictum quoddam arguti argumentatoris, quò efficere voluerat, justis hominibus non desse in hac v t. justa præmia. Quasi respondeat Iob: Vita tam est brevis, & tam multæ, tamqúe continuæ in ea sunt calamitates, ut expectandi præmij, multoqúe minus fruendi spacium haud supersit. Non enim longior amæniorqúe est vita, quàm brevissimum Militiæ tempus, quod duabus, aut tribus anni mensibus absolvi solet.

ID S. Chrysostomus indicat, Iobum contendere, ut probet illam suam calamitatem, non tam ex scelere aliquo, quàm naturæ quadam lege sibi accidisse. Neque bonis tantùm bona, malisqúe mala tantummodò, sed permixtim, nunc huic, nunc illi accidere mala, cùm mortales omnes difissimam agant Militiam, in qua necessariò istiusmodi contingit vicissitudo. Alium Patientis sensum in eo pronunciato latere insinuat Isidorus Clarius sic formans responsionem. Tu quidem Eliphaz statuis, DEVM vulnerare, & mederi deinde: ac mortalibus constitutum esse, sicut Militi, pugnandi ac postea quiescendi tempus, ac stipendium honorariumqúe percipiendi: at ego non omninò breve tempus, neque paucos menses expectavi, & tamen nullum vidi laborum meorum finem, nullum stipendium, coronam omninò nullam. Polychronius bonus Iobi explanator eò refert illam sententiam, ut probetur, ærumnosissimum hominem honestè ac laudabiliter mortem desiderare, quemadmodum à Milite belli exitus, atque è campo discessus.

(a) *Pineda ib.* (b) *Catena in Iob.* (c) *Ibid.*

MEMBRVM II.
Homo cum vita Militiam auspicatur: & in qualibet ætate militat.

VERVM, quacumque tandem occasione, aut fine illud protulerit Iobus, verissimum est, Hominum vitam esse Militiam: vivere, militare: venire in mundum, primo nativitatis die in campo constitui, ubi necessariò sit pugnandum: in qualibet vitæ ætate peculiares esse concertationes, in quibus, vel succumbitur, vel victoria reportatur. Militant infantuli, & pusiones, quorum impetum militarem, & ictus contractæ in pugnum dexteræ, & unguium imbellium scalpuritiones sentiunt nutrices & gerulæ. An etiam aliquando obstetrices antequam planè emergant in lucem? Certè, militarunt Jacob & Esau in utero ad horrorem matris, *Collidebantur in utero ejus parvuli*, inquit Scriptura sacra. Genesis XXV. Sensit conflictum geminorum Rebecca: & ait: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitq́ ut consuleret Dominum. Qui respondens*, dixit: *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusq́ populum superabit*. Cum tempus pariendi advenit, prior est egressus bellicosissimus Esau, totus in morem pellis hispidus, ut illi non fuerit opus alio leonis vel ursi spolio pro integumento. Sed mox insequutus illum fraterculus, antequam planè emergeret, quasi duello certaturus, plantam fratris tenuit manu, sed evasit supplantatoris dexteram strenuissimus Esau. Itaque, vel in utero matris Militiæ tyrocinium videntur peragere quidam, vel præliandi exordium facere, quod nonnisi morte terminetur; vel utero egressi ensem tractare ut Milites.

CVM hujus seculi anno primo, XXVII. Septembris, Delphinum Galliarum *Ludovicum* XIII. qui hoc tempore imperat, enixa esset *(a)* Regina Gallorum MARIA Medicæa (cujus etiam num Colonia, ubi decessit, exuvias detinet, donec ad tumbam Dionysianam, ubi tumulanda est cum Rege marito, devehantur) *(b)* infantuli in lucem prodeuntis dexteræ, *Henricus* parens, animi vir militaris, si quis alius eo tempore, gladij capulum inseruit. An quod præsagiret, fore in *Militia* fortunatissimum Ducem, exercitatissimum Bellatorem, invictissimum Regem? An, quod precatus tunc esse dicitur, ut eo, ad DEI gloriam, & Ecclesiæ emolumentum, firmatâ ætate uteretur. Optimum sanè votum.

VIX fascijs ex soluti pueri novam auspicantur *Militiam*. Congrediuntur cum congerronibus, pugnant manu, calce, capite: benè provisum est à naturâ, quod cornibus careant, alioqui vix quispiam evaderet vivus, aut invulneratus. Ut equestrem *Militiam* non desideres, equitant in arundine

(a) *Francisc. Haraus Annal. Brabant. tomo 3.* (b) *Colonia Anno 1642.*

dine longâ: vel, quod me puero fiebat in theatris, aptantur equulorum formæ, ac bellè pinguntur, & ijs pube tenus imponuntur parvuli, hastulis suis armati, & conflictum ineunt, fortunati, si absque sanguine domum redeunt. Haud ita pridem, funesto sanè spectaculo, congressi in Belgicæ urbe nobili, vel pueri, vel adolescentes, præcipuus ex ijs desideratus est, parentibus nequicquam plorantibus: nam lacrymis vulgaribus absque alijs meritis non suscitantur quatriduani mortui. Cum annis crescit militandi ardor, & crudelior pugnandi ratio. Juvenes, viri, senes castra sequuntur: quæ si non alibi, domi sibi constituunt: semper in armis, etiam inter domesticos. Jucundum fuit in hac urbe superioribus mensibus spectaculum, cum facta esset potestas studiosis litteratum arma gestandi: non dubitarunt nomen profiteri suum, quibus fortasse difficile fuit absque ope aliena ensem è vagina educere. Laudavi ego quidem promptam in imbellibus voluntatem juvandi Rempublicam; sed hortatus sum, ut mutato armorum genere pugnent oratione, votis, supplicationibus, suspirijs, quæ bonorum studiosorum sunt arma, quibus redduntur ab hostibus suis insuperabiles. Ijs pugnare discite, & adversarijs vestris capitalissimis superiores semper eritis. Sed difficile est à quibusdam certandi avidis enses è manibus excutere: semper vibrare velle videntur. Profectò, non est tanta concertandi libido inter tigres & pantheras, quæ sibi mutuo non sunt infestæ, quanta inter homines quosdam ejusdem climatis, regni, provinciæ, domus. An fortasse idcirco, *Militia est vita hominis*? vel potius, quia vita hominis est Militia, hominibus, ex quo vivere incipiunt, est insitus ad militandum impetus?

MEMBRUM III.

Adami prævaricatio est prima caussa dissidiorum in genere humano.

AT unde istud? Prima omnis mali hujus origo est, quia non cognovit Jerusalem, civitas ex primævâ sui conditione, pacis, tempus visitationis suæ. Visitabat DEUS in Paradiso Adamum & Evam, Rempublicam sibi caram & pacificam: hortabatur ad obedientiam, ad pietatem, ad sui cultum. Quæ hortamenta, si fuissent sequuti, in perpetuâ egissent pace: semper aureum fuisset seculum: nullum bellum inter corpus & animam; inter carnem & spiritum: inter sensum & rationem: inter voluntatem & intellectum. Si cognovisses tu, ô Adam! ô Eva! quæ ad pacem tibi: id est, si cognovisses occasionem, quæ tibi tunc offerebatur, pacem, securitatemque perpetuam obtinendi, non neglexisses, ideoque nunquam in illam incidisses calamitatem, nunquam vidisses tantam miseriam: nunquam insurrexisset Cain in Abelem: nunquam arma tractassent ne-

potes: nunquam perpetuis se mutuo bellis infestassent: nunquam mutuis diffissa odijs posteritas in proprium ruisset excidium; nunquam spectasses urbium obsidiones, eversiones, excidia. *Si cognovisses, & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi*, inquiebat Christus Lucæ x: x. futurorum præscius.

O Adolescens! dum perveneris ad maturam ætatem, post juventutem malè, in ocio, ludis, lasciviâ, in vitijs alijs transactam; dum senties aliam legem in membris tuis, repugnantem legi mentis tuæ; dum consumeris sordibus adolescentiæ tuæ: dum venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo infirmitatis lethalis: & circumdabunt te, Morbus, Mors, Cacodæmon, expansum in lecto fatali, æstuantem ardentissimâ febri, & fortasse morbo Gallico ustulatum, & circumdabunt te, jam vitâ à Medicis desperatâ arctissimè; & coangustabunt te undique, ut spiritum consolationis nullum trahere possis. *Coangustabunt te undiq;*. A cælo, cujus Dominum scelerate dereliquisti; à terrâ, quam nimis perditè amasti; ab inferno, quem peccatis meruisti; à conscientiâ, quàm sacrilegè jugulasti. *Et ad terram prosternent te*: terram miseriæ, terram desperationis, terram ruinæ, terram damnationis æternæ. *Et filios tuos*, cogitationes tuas, affectus tuos, cupiditates tuas, quæ in te sunt. *Et non relinquent in te lapidem*: spei *super lapidem* meriti, eo, quod non cognoveris tempus visitationis tuæ. Quoties; inquam, dum hæc tibi accident, veniet in mentem, aut improperabitur à DEO per Angelum, tanquam domesticum inspectorem, ac pædagogum: *Si cognovisses & tu in die tua*, cùm esses floridus, cùm valeres benè, cùm optima esset commoditas, confitendi sæpius, communicandi frequentius, colendi Deum perfectius, exercendi virtutem temperantiæ, obedientiæ, patientiæ, castitatis: dolendi seriò de peccatis, agendi pænitentiam, lucrandi bonis operibus cælorum regnum. *Si cognovisses in hac die tua, quæ ad pacem sunt tibi*. Si arripuisses opportunitates, quæ offerebantur ad pacem toto vitæ tempore, sed in fine potissimùm obtinendam: ad vivendum tranquillè, superatis vitiorum phalangibus: ad moriendum securè, profligatis tartareæ cohortis tentationibus, quàm benè tibi fuisset, essetque. Sed quia neglexisti tempus visitationis tuæ, negligeris & tu tempore infirmitatis tuæ, & nunquam vel in hac, vel in alterâ vita pacis tranquillitate frueris, in perpetuis belli damnosissimi tumultibus. Et hæc sit *Prima*, sed sunt aliæ non minus veræ, ac magis fortasse convenienter rationes cur VITA omnis HUMANA MILITIA dici debeat.

MEM-

MEMBRUM VI.

Vita humana est Militia: Quia Servitus.

EST imprimis observanda vox Hebræa, quæ apud Jobum (a) à Latino Interprete vertitur Militia, *Tſaba.* Unde DEUS in sacris Litteris dicitur *Sebaoth*, id est, DEUS *Militiæ*, aut exercituum. (b) Quod est unum ex decem celeberrimis DEI nominibus teste S. Hieronymo epistola ad Marcellam. Porrò, nomen illud universè significat *servire*, aut famulari. Quapropter Militia Hebræis generalissimè omnem famulatum designat. Quod aliqui per catachresin fieri autumant. Unde omnis creatura, particulatim, Angeli, Cæli, Sidera dicuntur DEI Milites, & ex omnibus constituitur ille DEI Exercitus, à quo *DEUS Sabaoth*, vel *Exercituum* appellatur. Et quid aliud est militare, quàm servire? quid vivere quàm famulari: quid *Militia* & *Vita* aliud, quàm status servitutis? Vitam vix auspicamur, & en vincimur fascijs, ut servitutis communis, quam diu in cunis detinemur, insignia ostentemus. Est præclara observatio, & ad retundendam superbiam humanam opportuna: vitam nos ordiri cum vinculis, quæ mancipiorum sunt ornamenta, simulque onera. Infans enim vix nascitur, & fascijs obligatur: involvuntur pannis, quotquot nascuntur ab homine, ut loquitur Ezechiel Propheta, cap. XVI. ac involumentis nutriuntur, ut est Sapientiæ VII. Hinc infantiæ panni, seu vincula in proverbium abierunt. Jobi XXXVIII. *Cùm mare, quasi pannis infantiæ obvolverem*, pro re, quæ continet, & confovet materiam mollem, fluxam, frigidam. Æquè hoc infanti est necessarium ac miserum; ut conqueritur Naturæ investigator curiosissimus Plinius. *Ab hoc lucis rudimento, quæ nec feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus. Itaque feliciter natus jacet, manibus pedibusq́; devinctis flens animal ceteris imperaturum: & à supplicijs vitam auspicatur, unam tantùm ob culpam, quia natum est. Heu dementiam! ab his initijs existimantium ad superbiam se genitos.*

VINCULA hæc infantibus recèns natis injiciuntur, non ne fugiant: nam sese movere per se non valent, sed ut *Servitutis* suæ gerant quam primum insignia. Quamvis Natura, ne videtur noverca, aliam caussam comminiscatur nempe, ut aliquando pedibus ac manibus confirmatis uti possint melius. *Tenera infantium membra*, inquit D. Hieronymus, Ezechielis XVI. *pannis involvuntur duplicem ob caussam, ut & sale siccetur corpus, quod pannis ne defluat servatur, & stringitur, & membra tenerrima ne facile depraventur. Unde & corpora barbarorum Romanis corporibus rectiora*

(a) צבא *Tſaba.* (b) צבאות *Zebaoth Sebaoth.*

ctiora sunt, quia usque ad secundum & tertium annum semper pannis involvuntur. Quamvis magna quoque hujus officij cura fuerit Romanis. Inter quos Cato Censorinus tam diligenter attendebat, ad fasciationem suorum liberorum, ut nisi se præsente, & spectante, nunquam infantem involumentis fasciari permiserit. Ut autem vitæ humanæ principium excipiunt vincula, ita ejusdem finem signant vincula, servitutis symbola. Quemadmodum enim nativitatis nostræ nuditas, mortis nuditatem præcurrit, ac præfigurat; ita sanè infantilia involumenta, affinitatem ac connexionem habentcum feralibus illis institis, quibus ligantur manus ac pedes defunctorum. Nimirum, voluit vitæ mortisque Dominus, ut nunquam mortalitatis suæ sit immemor homo, qui nunquam non mortis insequentis argumenta præ oculis habere cogitur. A carceribus ad metas devenimus: relegamus vestigia. Jacet, ut dicere cœperam, à nativitate recens animal nobilissimum, sed servituti natum, manibus pedibusque ligatis, & vagitu miseram conditionem testatur. Servit, cui servitur ab omnibus, qui in familia sunt, nutrici, gerulæ, matri, patri. At longè acerbior servitus sequitur confirmata ætate. Tunc serviendum esset legi divinæ & humanæ: serviendum rationi, serviendum virtuti: serviendum superioribus obedientia, æqualibus caritate, inferioribus modestia ac demissione. Sed hac servitute abjuratâ, cum nihilominus vivere sit servire, servitur Mundo, Carni, Cacodæmoni: servitur Concupiscentiæ, adfectibus, perturbationibus,

IDEM ergo est, *Militia est vita hominis*, quod, *Servitus* est vita hominis *super terrā*. Et hujus origo ex eo est, quod non agnoverit Jerusalem, urbs ab ortu libera, tempus visitationis suæ. Si Adam & Eva hominū progenitores primi agnovissent tempus, quo DEVS cum illis, ut pater familias visitans suā sobolem, ut Princeps visitans suam Remp. ut Pastor visitans suum gregem, ut Medicus visitans suos præservandos, ut Patronus visitans suos clientes, ut Magister visitans suos discipulos, agebat, instruebat, tuebatur, nunquam ad miserrimam servitutis vilissimæ devenissent conditionem. Verè Augustinus lib XIX. de Civitate DEI cap. 15. *Prima servitutis caussa peccatum est.* Quamobrem leges etiam civiles apertè testantur, sevitutem per se contra naturam esse l. *Libertas*, D. *de statu hominum* Institut. *de Iure nat gent. civil. §. Ius autem gentium*, & de jure personar. vet. *Servitus autem*, alijsq; locis. Si cognovisses & tu tempus visitationis tuæ, dum te DEVS hortatetur, per suos exterius; per se interius ad pœnitentiam ad emendationem vitæ, ad pietatem, ad castimoniam, ad vitæ perfectionem, non servires, ventri, non Baccho, non Veneri: non servires voluptati, blandissimæ quidem, sed insidiosissimæ Dominæ: non servires cupiditatibus tuis tyrannis crudelissimus; non servires, quibus te mancipasti carni & sanguini: non servires turpissimæ Canidiæ, illecebrosissimæ Floræ, fucatissimæ Glycerio.

Clarius.

Clarius. Non servires intemperantiæ, impudicitiæ, lasciviæ, luxuriæ: non ambitioni, superbiæ, iracundiæ, invidiæ: non fraudulentiæ, gulæ, temeritati, non tot alijs humani generis pestibus. Nec esset vita tua servitus super terram.

MEMBRVM V.

Vita humana Militia: quia excubandi exercitium.

IAM verò, nomen illud Hebræum, *Tsaba*, & periti linguæ sacræ recentiores observarunt, propriè significat, stare in militia, ordine, loco, ac tempore constituto: nec tam est actu congredi cum hoste, aut præliari, quàm ipsa bellandi ratio, ars, aut militaris disciplina: exercitus ordo, militem agere, militiam exercere. Quocirca *Militia* ex vi nominis innuit certam rationem status, ordinis, loci, temporis ad prælium accommodati. Quamobrem quicquid suam standi aut ingrediendi rationem præscriptam tenet, in divinis litteris militare dicitur. Quod Stellis convenit, quæ militant, & militiam cælestem, atque exercitum conficere dicuntur. In Stellis autem quicquid ad militandi rationem spectat, est cernere: & ita de ijs sæpe loquitur Scriptura, ac si de militibus, & militaribus officijs ageret. Judicum quinto sic quasi præliantes inducuntur: *Stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* En agmen, alam, centuriam, aciem, classem procinctam, cohortem prætoriam, exercitum integrum: nam hæc omnia Stellæ conficiunt: quæ suas habent sedes & stationes, in quibus aliquæ hærent immotæ: aliæ excurrunt, & vagantur, quæ idcirco *Planetæ*, vaga & errantia Sidera vocantur: sed non excurrunt absque imperio, non vagantur absque ordine præscripto. Horum Militum Imperator, & Dux luminum est Sol, Imperatrix Luna, cui nocturno tempore ampla potestas. Siquidem ille, qui disponit omnia, *benè fecit Solem in potestatem diei: Lunam & Stellas in potestatem noctis*, Psalmo CXXXV. Ornatissimæ sunt hæ copiæ, & semper splendidissimis fulgentes armis: lucent etiam in tenebris, ac scintillant, immò tenebras lumine suo illustrant fugantque. Hinc lucida vocantur sidera, lucens Lunæ globus, Titaniaque astra: immò, aurea, flammigera, radiantia. At, quemadmodum, quando manus cum hoste conseruntur, ad splendorem armorum non attenditur à strenuo milite, nec certa servatur statio; sed, ut res exigit, & præsens necessitas, nunc huc nunc illuc tenditur, & nigrescunt omnia ac pulvere & atro fumo involvuntur præliantes: haud secus cælestes illi Milites, cùm contra insensatos pugnabunt pro *Domino Exercituum*, armis rutilantibus in obscura mutatis, tetro illo aspectu majorem terrorem incutient, maximè, cùm turbatis quasi ordinibus in hostes suos irruent. Siquidem, *Sol obscurabitur, Luna vertetur in sanguinem*

Stellæ

Stellæ non dabunt Lumen, immò, *de cælo cadent*, Matthæi XXIV.

HUIUS considerationis est iste fructus, ut quilibet dicat: Dum vitam hanc vivo, scio me Militem agere, non domi, nec in pace versari, sed foris, ac militiæ: scio à me observari debere, quamcumque stationem, itum, progressum, reditum, commorationem, quam meus mihi Imperator designabit, quantumvis ea labori insomni ac prædurо sint obnoxia. Scio me sorte me meâ debere esse contentum. Si vult me esse inter primos, tanquam in agmine præcursorio, inter nobiles, optimates, divites, ero contentus: si inter postremos, inter agrestes, rusticos, pauperes, ero contentus: si inter medioxumos, nobilitatem non appetam, divitias non desiderabo, ero contentus. Si vult me firma frui valetudine, si esse ægrotum, ac lecto adfixum; si pulchrum, ut Adonidem, si deformem ut Thersitem; si ingeniosum, si bardum, si stupidum, si hebetem, ero contentus. Si vult me vivere, statione meâ sine Imperatoris jussu non decedam: si mori, non desiderabo manere diutius, mea sorte ero contentus. Hoc est esse *Militem*, ea significatione, quâ *Milites* dicuntur Stellæ. Tales Milites sunt boni Religiosi, qui ad omnia indifferenter, dicere consueverunt: Si me DEUS vult esse Romæ, si Constantinopoli, si Coloniæ, obsequar. Si concionari in pago, si in antro, si uni, si pluribus, obsequar, sorte meâ contentus: si esse Doctorem, si subsellij inferioris Baccalaureum, immò, si janitorem, coquum, bubulcum, obsequar, sorte illâ contentus.

MEMBRUM VI.

Vita humana Militia: Quia vigilandi disciplina.

FORTASSE appellatur MILITIA *Vita humana*, quemadmodum vocari putant aliqui Militiam cæli, quod Stellæ, earumque Præses, tanquam Præfecta vigilum videantur agere nocturnas vigilias, & excubias. Sanè latissima significatione Hebræis dicuntur *Milites*, qui excubant & vigilant: ijsdemque idem est excubare, quod militare. Unde Levitæ ac Sacerdotes, qui excubabant in templo, dicuntur in Scripturâ Milites DEI. Et Levitæ exire in militiam Tabernaculi, (*a*) quoniam in Tabernaculo, æquè ac Milites in castris, suo ordine ac stationibus excubabant, & DEO, quasi Duci suo subserviebant. Hinc etiam honestæ illæ matronæ, quæ oblatis suis speculis in Tabernaculo commorabantur, & vigilias observabant, idem nomen habent in Exodo: ubi enim Latinus Interpres vertit: (*b*) *Fecit & labrum æneum cum basi suâ, de speculis mulierum quæ excubabant in ostio Tabernaculi*, Hebraicè est simplicissimè, ***mulierum militantium***. Denique, Angeli, quoniam semper & agiles & vigiles,

(a) *Numerorum* 4. (b) *Exodi* 38.

giles, quippe administratorij Spiritus, exercitum DEI constituunt, & Milites appellantur. Hanc itaque excubandi vigilandique assiduitatem respicere potuit Jobus, cùm dixit, *Militia est vita hominis super terram.* Quod quilibet dum audit, legit-ve, cogitet, se Militem agere, ac proinde vigilem esse oportere, in excubijs diurnis, nocturnisque versari, semper promptum paratumque ad omnem expeditionem debere consistere, ac se offerre.

EST quoddam genus Militum, qui dicuntur *Stationales*, seu *Stationarij*: (a) nempe, quibus certa ad excubias agendas adsignata est statio, sive, quibus custodiæ, aut præsidij gratiâ statio est determinata. Tales sunt, quibus in castris urbibusque ad excubias agendas certa loca præscribuntur: ij etiam, qui per provincias distribuuntur, partim ad externam vim, si qua ingruat, propulsandam, partim ad subditos in fide & officio continendos. Hujusce sortis Milites sunt homines, quam diu vivunt. Quos idcirco maximè decet esse vigiles, & in omnem casum excubare noctu diuque: similes Stellis Stationalibus quæ matutino tempore omnium novissimè, & vespertino omnium primæ apparentes, quasdam velùti excubias, suo ordine, servare constanter videntur. Contrarium faciunt illi, qui tanquam *Principes tenebrarum* non servant, quæ deberent stata vigilandi & quiescendi tempora: qui pervertunt noctis ac diei confinia: & movent benè constitutos à natura terminos. Qui omnium primi cubitum concedunt: omnium postremi è strato se eripiunt. Præclari sanè Milites, hoc est, vigiles. Qui nunquam surgunt è lecto, nisi quando expelluntur: aut non egrediuntur è plumis, nisi quando clarum mane fenestras ingreditur. Vigilate, Dilecti, & orate, si hostibus vestris vultis esse superiores. *Sobrij estote & vigilate* clamat noster Antesignanus, *quia adversarius vester Diabolus semper vigil, tanquam Leo circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* Nunc, si unquam aliàs, tempus est nos de somno surgere, de somno inertiæ, desidiæ, pigritiæ. *Militia est vita hominis super terram.*

(a) *Milites* φυλακτικοὶ *stationales.*

MEMBRUM VII.

Vita humana Militia: Quia obediendi Schola.

AN fortasse Job, dum Vitam humanam vocavit Militiam, ac se idcirco Militem, consideravit non promptitudinem tantùm militum, sed necessitatem summam parendi Imperatori, Chiliarchæ, Centurioni, alijsque in exercitu officiarijs. In Militiâ enim maximè requiritur obedientia, eaque fortis, dura, perfecta: adeò, ut qui obedientiam militarem nominat, omnibus numeris absolutissimam indicare censeatur.

Atque inde existimant aliqui, Militum & nomen & officium transisse ad Angelos, quod divinæ voluntati ac dicto obedientissimi sint, ut dicitur Psalmo CII. *Omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus.* Et cur putamus, quod qui in templo serviunt DEO, militare dicantur, nisi quod Divinæ voluntati dicati, ad nutum ipsi obediant? Homines quoque quando de ijs gloriantur, quos sub se, tanquam milites habent, obsequendi promptitudinem commendant. Sic Centurio Evangelicus Christo dicebat confidenter, Matth VIII. *Habeo sub me milites: & dico huic: vade, & vadit: & alio, veni & venit.* Eandem parendi, & momento citius exequendi alacritatem in Angelis ita exprimit DEUS apud Zachariam Prophetam: *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes & revertentes.* Quasi dicat: quos acceptis mandatis, prius redijsse, quàm juisse sentias. Quod innuit *Obedientia militaris*, in quâ & cum promptitudine sit summa celeritas, & cernatur in trangrediendis mandatis minimis rigor incredibilis. Celeritatis exemplum est illud planè admirabile, quod Xenophon (*a*) & Plutarchus (*b*) commemorant. Chrysantas miles, quem eo nomine laudabat Cyrus, hostem, sublato jam gladio, interfecturus, ut receptui audivit cani, cæde sibi interdictum putans, hominem intactum dimisit. De quo Arrianus in hunc modum (*a*) *Præstantius ei visum est, Imperatoris dicto audientem esse, quàm animum explere.* Contrarium in quibusdam suis acriter reprehendit C. Cæsar, (*d*) illud improperans: *Quod neque signo recipiendi dato constitissent.*

QUAMVIS autem in omni Militiâ celeritas obediendi exigatur, & commendetur, in navali tamen potissimùm cernitur, & est maximè necessaria. Quàm pulchrum est illud, si in triremes ordine constitutas oculos conjicias, videre, ad per tenuem fistulæ argenteæ sibilum à navarcho profectum, & vix summis auribus à vectoribus acceptum, remiges æquè ac nautas, tumultuosam illam turbam, nunc impellere, nunc attollere, nunc inhibere remos: modò rudentes vel explicare, vel glomerare, vel scandere: mox vela aut extendere, aut contrahere, aut dimittere, paullò post, anchoras jactare in pelagus, vel recipere, tanta festinatione, ut jussisse, fecisse diceres. Tam celerem obedientiam exigit disciplina militaris. Cujus *summa laus est*, inquit apud Gratianum (*e*) Gregorius Papa, *inter alia bona merita, Obedientiam sanctæ Reipublicæ utilitatibus exhibere: quodque sibi utiliter imperatum fuerit, obtemperare.* Obedientiam solam nominat Magnus Papa, quam verbo exprimit Brasydas apud Thucydidem adjungens duo alia: & tria esse Militiæ bona pronunciat: (*f*) *Velle, Vereri, Obedire.*

(a) *Lib. 4. Cyropæ.* (b) *Quæst. Roman. §. 39.* (c) *Lib. 2. de Epict. dictis cap. 6.* (d) *Lib. 7. bel. Gal.* (e) *Lib. 12. Regist. Epist. 24.* (f) *Thuc. lib. 5.*

ediere. Et sanè in Militia, si cum armorum exercitatione vigeat obedientia nihil magnoperè desiderari potest ad victoriam. Quocirca haud malè censuit Josephus historicus libro secundo de bello, Romanos ad summam pervenisse potentiam, Obedientia & armorum exercitatione: obedientia videlicet militari. Quæ quanta severitate exigeretur apud illos rerum dominos, satis declaravit Sallustius in conjuratione Catilinaria: *In bello*, inquiens, *sæpius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverunt: quiq; tardius revocati prælio excesserunt, quàm qui signa relinquere aut pulsi loco cedere ausi sunt.*

EXEMPLA hujus rigoris in violatione obedientiæ sunt plurima, ac penè incredibilia. Celebratur *Torquatus*, (a) qui animadvertit in filium, quod contra imperium, quamquam feliciter, pugnasset. Nominatur *Rutilianus*, (b) qui vix servatus est à morte, similem ob caussam damnatus. Laudatur *Crassus Mutianus*, (c) qui verberari jussit architectum, quod malum pro navi misisset, non majorem, ut imperatum fuerat, sed magis idoneum, minorem. Commemoratur à Xenophonte (d) cum encomio, *Miles* ille, qui cum tubam receptui canentem audisset, hostem occidere supersedit: contrarium si fuisset factum, fortasse vapulasset. Hinc tam severa Lex apud Romanos militem in officio continebat: In bello, qui rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit capite punitur, etiamsi rem benè gesserit. Quæ Lex desumpta est ex Modestino Jurisconsulto, & à Glossatore hoc epiphonemate exornatur (e) *Magna est virtus obedientiæ: & sic est contra subditos pro Prælatis.* Quare S. Ephrem (f) ad obedientiam hortatur Religiosos exemplo Militum, qui Ducibus suis accuratissimè parent: & secus si faciant gravissimè castigantur.

(a) *Plin. de Vir. illust. cap. 28.* (b) *Aug. l. 1 de Civit. cap. 23.* (c) *Gell. lib. 1 cap. 15.* (d) *Lib. 4. & S. Pad.* (e) *ff. de re milit. L. Desertorem.* (f) *Tom 2. paran. 38.*

MEMBRUM VIII.

Vita humana Militia: Quia patientiæ Palæstra:

ILLUD etiam minimè omittendum, quod novum potest constituere comparationis inter *Vitam* & *Militiam* caput, quod in Militia cum obsequendi studio sit perpetua patientiæ exercitatio, & olim incredibilis à milite postulabatur dolorum tolerantia cùm vapularet. Legitur etiamnum, sed non servatur Lex illa, quam habet Martialis 1. c. *Eum qui centurioni castigare se volenti restiterit veteres notaverunt. Si vitem tenuit, militiam mutet. Si ex industriâ fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur.* Erat Vitis centurialis, baculus ex vite, quo tribuni, aut

centuriones ob crimen cædebant militem cujus tanta fuit in Militia habita ratio.

ITAQUE Job, cùm dixit, Militiam esse Vitam hominis super terram, potuit respicere, obediendi promptitudinem, & in castigatione ac pœnis inflictis tolerantiam. Quare ita eum inducit loquentem insignis Interpres.
„ (a) Dum vixero obediam divinæ voluntati ; nunquam divinum im-
„ perium detrectabo, quantumvis durissimum : si me ille cædat ac verbe-
„ ret acerbissimè

Nodosam posthac si frangat vertice vitem, (b)

„ non resistàm meo Duci, non tribunis, non centurionibus, non iræ divi-
„ næ, mearumque pœnarum administris. Miles ero integerrimus. Sed cùm tam graviter doleam ijsque premar corporis malis, quæ nullam mihi quietis partem relinquunt, valetudine penitus afflicta, hoc postulo, ut caussarius, valetudinariusve miles habear, qui à laboribus assiduis sim liber, & permittat quietè in posterum agere, & mihi vacare à militari vita absolutus.

(a) *Pineda Iob 7.* (b) *Iuvena. Satyra 8.*

MEMBRUM IX.
Vita humana Militia : *Quia periculis plena.*

POTEST etiam Militiæ nomen, prout habetur in originali apud Jobum, significare statum quendam omni genere tentationum ac periculorum plenissimum, statum quibus licet difficultatibus expositum, statum discriminum. Qualis reverà est militum, sed non minus hominum in terris viventium. Cùm laudare vellet Debora mulier animosissima & propheris milites, qui victoriam obtinuerant fortiter pugnando, Judicum v. non usa est magis proprio encomio, aut potius descriptione, quàm illa : *Qui obtulistis de Israël animas vestras ad periculum*, id est, qui nomen dedistis militiæ, quæ non aliud sonat, quàm periculorum congeriem : nam quocumque te vertas, discrimen aliquod occurrit, & extremum sæpe periculum. Nam *varius est belli eventus, & nunc hunc nunc illum consumit gladius*, inquiebat Rex David, (a) ut Joabum Ducem militiæ animaret.

QUID autem aliud in Vita humana occurrit, quam continua pericula ? *pericula fluminum, pericula latronum, pericula ex genere, pericula ex Gentibus, pericula in civitatibus, pericula in solitudine, pericula in mari, pericula in falsis fratribus*, ut numerat Paulus Apostolus. (b) Addere possis : pericula à terrâ, pericula ab aquâ, pericula ab aëre, pericula ab igne, pericula

(a) *Lib. 2. Reg. 11.* (b) *2. Corinth. 11.*

pericula à cælo, pericula ab inferno. Quæ cùm ita sint, frustra mecum agis Eliphaz amice, ita dicentem cogita Jobum, dum persuadere conatis, ut felicitatem in hac vita sperem, in qua nihil tutum, quia nihil à periculo liberum.

MEMBRUM X.

Vita humana Militia : *Quia piratarum locus.*

VOCABULUM *Militia*, si Græcæ vocis habeatur ratio, aliud quid ab hactenus prolatis, indicat: est enim πειρατήριον, à πειρατεύω, quod significat prædor, piraticam exerceo, latrocinor. Itaque πειρατήριον denotare potest sedem piratarum, seu locum, quem piratæ occupant, & in quo piraticam exercent. Ut sensus sit: *Vita humana* est *Militia*, hoc est, Militiæ campus, arx prædonum, castellum hostium, spelunca latronum, receptaculum grassatorum. Non ergo accelerem gressus, dicere potuit Job, ut quam primum relinquam stationem tàm infidam? Quis non properet, ut mare piratis infestum quàm citissimè prætervehatur? Si magis placet, paullò largius accipi potest *Piraterium*, pro loco quocumq; in quem piratæ incurrunt, qui non sit quidem ipsorum sedes, sed in quo impunè piraticam exercent, quem continuò infestant, quem latrocinijs suis designarunt. Talis est *Mundus*, & in eo *Vita humana*. Cur igitur non optem egredi simulque regionem perpetuis hostium incursibus expositam velociter deserere?

NEQUE illi planè reijciendi sunt, qui arbitrantur, *Piraterium*, non pro loco piratarum, sed pro ipsâ piraticâ, sive exercitio piraticæ sumi debere. Quod non esse alienum à sensu Jobi, ut existimetur, facit Sabæorum Chaldæorumque rabies, quâ impetebatur assiduè. Nimirum, cùm videret & experiretur bona omnia fortunæ exponi deprædationi latrocinantium, Vitam ipsam prædatoriam, in quâ

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus.

vocare potuit. Ad quod, qui nomen Latinum *Militia*, vel detorserit, vel accommodarit, haud multum aberrabit. Quamvis enim, si disciplina vigeat apud milites, Militia sit functio fortitudinis à justitia minimè aliena; tamẽ si respiciatur Militia, prout depravatâ disciplinâ, nunc *ferè* alicubi colitur, & olim tempore Jobi in usu erat apud finitimos, in ea confluges est scelerum, & arti latrocinandi, quâm pugnandi justè videri potest similior. Nec malè quondam, qui nunc *Milites*, dicebantur *Latrones*, nec multum sanè impiorum militia à prædandi nequitia distinguitur: rapinæ, deprædationes, furta gloriosorum militum censentur officia. At excusationem quæruns

multi, quod non ainunde numerentur stipendia. Atque ita fortasse Jobus Vitam humanam vocavit piraticam, vel latrocinium.

MEMBRUM XI.

Vita humana Militia: Quia tentationis arena.

VOX illa Græca, quam per Militiam exprimit Latinus, verti potest *Tentatio*; atque ita Codex Latinus LXX. interpretum habet: *Nunquid non* Tentatio *est vita hominum super terram?* Potest autem per tentationem accipi locus tentationi destinatus: in quo videlicet experimentum de aliquo capitur, vel locus probationis, aut etiam tempus, in quo exploretur, quæ sit cujusque indoles, quæ vires, quæ constantia. Quod fit in Militia, quæ perpetua est probatio. Nec ullum hominum genus magis probatur, quàm milites: ut militare & probari pro eodem interdum sumantur. Ita lib. IV. Regum cap. XXV. quod nos Latinè legimus: *Sopher princeps exercitus probabat tyrones de populo terræ*: Hebraicè est: *militare faciebat*: nempe, exercebat, explorabat, periculum faciebat de cujusque viribus, fortitudine, dexteritate. Atque hoc modo *Militia* sive *Tentatio* est *Vita hominis*. Est locus in quo Princeps Militiæ nostræ nos probat: est tempus, quo periculum de nobis facit, est gymnasium, in quo nos exercet CHRISTUS Imperator.

Et sanè, quicquid in vita homini occurrit ad hanc probationem referri posse videtur. Siquidem, *Creaturæ factæ sunt in tentationem animabus hominum & in muscipulam pedibus insipientium*, ut verissimè pronunciavit Sapiens, capite XIV. Nimirum usu creaturarum probatur homo, quantæ sit temperantiæ, quantæ fortitudinis, quantæ justitiæ. Quare beatus pronunciatur, qui inventus est sine macula: qui post aurum non abijt, qui pecuniæ thesauros cùm potuit, non attigit, quem occasio furem non fecit; qui potuit transgredi, & non est transgressus. Si talis *Militia* & *Tentatio* est *Vita hominis*, providebo, inquit Patiens, ut satis faciam probationis Magistro: virum me præstabo, quàm diu erò in hac arenâ: moriar prius, quàm cedam: etiamsi affligar, & graviter crucier, ideoque ingemiscam, non fugiam tamen, nec me subducam, antequam rude donatus dimittar.

MEMBRUM XII.

Vita humana Militia: Quia campus ærumnarum.

GRÆCORUM sensu Interpretum, D. Chrysostomi, Nicetæ, Polychronii & aliorum, *Militia* apud Jobum idem est, quod tempus, aut spatium calamitatum, miseriarum, afflictionum: huc enim referunt tentationem. Quamvis enim opulentia, honor, dignitas, & quicquid

quid prosperitatis vocabulo significatur, probent etiam hominem: sic honores ostendere virum proverbio spargitur: tamen probandi viam securissimam esse calamitates, & certissimam rationem explorandi in sufferendi promptitudine ac patientia consistere nimisquam certum est. *Patientia operatur probationem*, inquit Paulus Apostolus. (*a*) Eam postulabat Satan cùm tantoperè Job commendaretur: *Extende paullulum manum tuam*, dicebat DEO, *& tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* (*b*) Sed contrarium accidit: extrema calamitas palam fecit, quis, qualisque esset in medio nationis pravæ ille DEI amicus.

(a) *Roman.* v.4. (b) *Iob.* 1. 11.

MEMBRVM XIII.

Vita humana Militia: Quia Homo vivens Exercitus.

QUONIAM vox Hebræa *Tsabe* non Militiam solùm, sed Exercitum etiam significat, placuit quibusdam, perinde esse dicere: *Militia est Vita hominis*, ac si dicatur, *Exercitus est vita hominis.* Sæpe enim in Litteris sacris Militia, pro militibus, vel militum exercitu ponitur. Ita vocatur *Militia cæli* siderum exercitus vel Angelorum. Hinc istum eliciunt sensum. Difficile est admodum ac laboriosum, exercitum suis sumptibus alere, ac diutius continere; verùm haud multo facilius est vitam istam traducere, in qua tum animus, tum corpus, & in utroque facultates internæ externæque, in unum quasi Exercitum coëuntes commeatu necessariò indigent, quo sæpe carent; & cum numerosissimo adversariorum exercitu pugnant, à quo sæpe superantur, vel exercitus per se dissolvitur, ac concidit, homine intereunte. Quis ergo non optet belli finem, ut quilibet ad propria redeat, corpus in terram suam, & animus ad DEVM, qui fecit illum?

MEMBRVM XIV.

Vita humana Militia: Quia tempus militandi.

SUPERIORIBVS adde, *Militiam* sumi solere pro tempore ad bellandum constituto & præfixo. Quocirca multi Hebraicam sequuti phrasim, apud Jobum legunt: (*a*) *Tempus præfixum aut determinatum est homini super terram*: nempe, ut exerceatur, militet, pugnet: quid ergo quietem quærit, quod est contra vitæ mortalis rationem? potius optet, ut hinc exeat, tunc quiete fruetur, tempore ad bellandum elapso. *Omnia tempus habent: tempus belli, & tempus pacis*: (*b*) dum hîc vivimus est

(a) *Rabbini, Pagnin. Vatablus.* (b) *Ecclesiastæ* 3.

est belli. Habent Reges tempus præfixum ac constitutum quo solent ad bella procedere, ut dicitur libro secundo Regum, (a) alicubi æstate, alibi veris initio, mense Martio, à quo anni initium sumebatur apud Hebræos. (b) Quamprimum homo vitam ingreditur, est tempus illud, quo mortales solent ad bella procedere: omnes vitæ humanæ menses sunt Martij. Militia est vita hominis super terram.

(a) *2. Reg. 11.* (b) *Exodi 12.*

MEMBRUM XV.

Vita humana Militia: Quia ætas bello idonea.

MILITIA non rarò designat tempus determinatum respectu ætatum in humano genere: non enim quævis ætas est apta bello: non puerilis, non senilis, multo minus decrepita; sed certa, & temporum differentijs notata. Apud Hebræos ex lege in lib. Numerorum, vigesimus annus designabatur, à quo judicaretur quis idoneus, ut adsciscetetur. Apud Romanos à decimo septimo anno adscribi militiæ poterant. In Ecclesiastica etiam Militia, id est, Sacerdotum ac Levitarum ministerio & servitio templi, in Repub. Israëlitica certa ætas constituta erat: Numerorum VIII. à viginti quinque annis & supra. Completa autem dicebatur Militia, evoluta annorum determinata periodo. Quomodo, qui ad XXV. annum in militia pervenerat apud Romanos, plenam militiam habere, & completa stipendia dicebatur. Determinatum bellandi tempus quam diu vivimus duobus terminis includitur, primus est momentum, quo esse incipimus, alterum quo non esse: nemo id vel prolongare poterit, vel breviare, quid ergo torqueor. si ægritudine lethali pressus, paullatim ad extrema ducar? quid spem mihi injicis, Eliphaz, vitæ quietæ, & à molestijs liberæ, cum præfixum sit vitæ tempus & ad bellandum constitutum. *Militia est vita hominis super terram.*

UT tempus militandi, quo ad initium & finem, secundum leges & Principis decretum est fixum: haud secus, tempus vitæ humanæ apud Imperatorem Militiæ nostræ est signatum ac definitum: *Breves dies hominis sunt, & numerus mensium ejus apud Te est. Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* (a)

Stat sua cuique dies, & ineuitabile tempus
Omnibus est vitæ: sed famam extendere factis
Hoc virtutis opus. (b) ———

Quamvis autem temporis illius sit certissima determinatio apud supremum Ducem, hominibus tamen est maximè incerta & incognita: *Non est vestrum*

(a) *Iob. 14. 6.* (b) *Virgil. Æneid.*

vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, dicebat Dominus carissimis suis discipulis, Actuum 1. Addatur & istud: quàm diu in Militia quis versatur, incertus est, quando, quomodo, quo loco ab hoste sit interimendus. Ignorat, utrum gladio, an sagitta, vel acinace, bambarda-ne, an tormento bellico, stans-ne vel ambulans, sit vitam finiturus: morte-ne naturali, an violenta excessurus: domi-ne an foris: in tentorio, an in campo: in aqua-ne an in igne, vel aëre expiraturus. Nescit quoque, an id futurum sit noctu, an interdiu: citò vel tardè; subitò vel lentè: semper autem est in proximo discrimine interitus repentini: *Varius est eventus belli, nunc hunc nunc illum consumit gladius.* (a) *Militia est vita hominis super terram.* Ergo semper paratum esse oportet ad exitum.

(a) *Libro 2. Reg. 11.*

MEMBRUM XVI.

Vita humana Militia? Quia malitia plena.

MILITIA ex Latinæ vocis significatione designat tempus quodlibet mali perferendi: nam Militiam, quasi Malitiam, fuisse dictam, sunt qui asserunt; quod multa dura, multaque mala miles pro Republicâ sustineat. Aut, ut Festus Pompeius ex Ælio commemorat, à mollitie per contrarium intellectum, quasi nihil molle, sed asperum plerumque malitia atque duritia sit quicquid miles sustinet, aut gerit. Ubi Latinus Interpres, Isaiæ quadragesimo versu 2. legit, completa est *malitia* ejus, quidam vertunt, *militia.* Et sanè in Hebræo est vox *tsaba,* quasi res eadem duplici vocabulo explicetur. Verùm, dum apud Prophetam *Militia* dicitur *Malitia*, per hanc non intelligitur nequitia, sed labor, afflictio, ærumnæ militares. Sic apud Matthæum capite 6. dicitur: *Sufficit diei malitia,* id est, *afflictio sua.* Et Apostolus ait ad Ephes. 5. *redimentes tempus, quoniam dies mali,* id est, miseri, ærumnosi *sunt.* Malitia igitur significat tribulationem & pœnas peccatorum, quas Ecclesia passa est, quibus Christus finem imposuit. Hæc malitia fuit ejus militia: id est, laborum stadium, & tempus ejus militiæ & servituti, & afflictionibus à Deo præfixum. Hoc tempus completum est, cui per Messiam successit tempus lætitiæ & exultationis.

MILITIA etiam apud Latinitatis gnaros pro quovis exercitio, munere, & officio accipitur. Sic Cicero ad Atticum scribit lib v. *Grata hæc & magna mihi, quæ nondum laboriosa ex illa vetere militia.* Hinc *Militiæ casus*, cum alicujus militia, hoc est, munus alicujus eorum, qui publica Principis negotia gerunt, per ejus mortem cecidit: quasi dicas, caducam militiam, caducum officium; quo pacto in Novella LIII. apud Justinianum

 sumitur.

sumitur. Denique, huc spectat, quod Miles, quamvis fortiter se gerat, stipendium tamen non accipit, nisi evoluto tempore ad id destinato, quod communiter est mensis. Et licet initiò, dum nomen dat militiæ, ac vexillo adscribitur, nummorum aliquid accipiat, tamen hoc stipendium vocari non potest, quoniam illud non promeretur. Ita quoque nobiscum agitur. *Militia est vita hominis super terram*, in qua nemini stipendium suum persolvitur; sed differtur usque ad alteram, in quâ Gloria cælestis foruter officio functis dabitur: nunc tamen paucula nobis, tanquam auctoramentum, aut arrtha suppeditantur. An non hoc incitamento esse deberet ad concipiendum desiderium ex hac vitâ quamprimum emigrandi?

MEMBRUM XVII.

Militem esse, & Militare Hominem decet.

CUM igitur tot nominibus *Vita* hominis super terram sit *Milita*, totidem convenit nos esse milites, & militare fideliter ac constanter. *Militare*, id est, ex Hebrææ vocis vi ac significato, *Servire*: tum DEO, tum proximo: tum legi divinæ, tum humanæ: tum rationi ac naturæ, tum gratiæ ac fidei. *Militare*, id est, quamcumque sedem ac stationem à Duce adsignatam servare: non moveri spe vel metu à constanti in semel arrepto bonæ vitæ proposito statu. *Militare*, id est, excubias agere: sibi commissas sensuum ac potentiarum arces defendere, ac custodire. Vigilare, nunquam desidiâ indormiscere. *Militare*, id est, voluntati Imperatoris supremi obedire exactissimè, celerrimè, rigidissimè. *Militare*, id est, nunquam Ducis imperium, quamvis durissimum, detrectare. *Militare*, id est, ad quam cumque pœnam commeritam tolerandam, dorsum in fustem patienter offerre. *Militare*, id est, non resistere Imperatori, non Duci, non Tribunis, non Centurionibus, non carcerariis, non tortoribus, non iræ divinæ, pœnarumque administris. *Militare*, id est, vitam mille difficultatibus, ac discriminibus obnoxiam fortiter peragere. *Militare*, id est, ex vocis Græcæ intellectu, inter prædones, piratasque astutissimos, animæ insidiantes cautè versari. *Militare*, id est, hostium, ac spoliare volentium incursibus audacter obviam procede, nec terreri. *Militare*, id est, inter piraticam exercentes, per medium classis hostilis, animæ suæ triremem dirigere ac propellere. *Militare*, id est, ad perpetuam virium explorationem, & examen continuum de fortitudine, constantia, tolerantia, omnique alia virtute promptè se offerre, & exponere. *Militare*, id est, in palæstrâ laborum, ac calamitatum omnium se gnaviter exercere. *Militare*, id est, corpus & animum; singula corporis membra, internas externasque facultates in unum quasi exercitum coëuntes, orationis commeatu

meatu necessario pascere, eoque numerosissimum vitiorum hostem invadere ac profligare. *Militare*, id est, nunquam de mortis genere, conditione, modo, instrumentis, loco, tempore, certum esse, sed semper in proximo discrimine interitus repentini degere, & finem interritè exspectare. *Militare*, id est, prorogationem vitæ mortalis, vel unius momenti, cùm terminus militandi determinatus ac fixus sit, neque poscere, neque exspectare. *Militare*, ex significatione nominis Latini, id est, quidlibet mali, molesti, incommodi, patienter perpeti: nihil molle, sed asperâ omnia consectari, plenam malitia, hoc est, duritia, non nequitia tamen vitam agere. *Militare*, id est, ex usu Latinórum, quolibet suo officio benè fungi. Denique, *Militare*, id est, stipendium laborum suorum, non nisi evoluto dierum numero, qui vitam universam continet, exspectare, & eo contentum interim in spe vivere, donec absoluta vitæ mortalis laboriosa Militia, ad cæleste Capitolium vectus cum triumphali pompâ excipiatur à coronato Angelorum exercitu, regnaturus in gloria cum DEO PATRE, FILIO, ac SPIRITU SANCTO *in sæcula sempiterna*. AMEN.

NOTÆ

In quibus Auctores, & Glossemata.

§. MILITIA *est vita hominis super terram.*] Ioannes de Pineda *ita sensum Iobi clarissimè in paraphrasi exprimit. Existimo nihil valdè jucundum aut præclarum exspectari obtineri-ve à mortalibus posse in hoc brevissimo vitæ curriculo, cujus ea lex est, ut necessarijs ærumnis mortales omnes sine ullo personarum discrimine involvat. Nemo ergo, si sapit, aut mortem non optabit, aut de vitæ felicitate sibi valdè blandietur.*

§. MILITIA, disciplina parendi.] *De obedientia militari exempla collegit* Robertus Valturius, *&* Alexander ab Alexandro: *hic lib.1. dierum genial.cap.* 20 *ille lib.1.de re Mil.cap.16. Legendus etiam,* Nigronius *in Regul.Societ. in tit. par.3.* Pineda *Iob* VII. Petrus Crinitus *de honesto disciplinâ lib.22.cap.2.* Iustus Lipsius *de Militia Roman.* Bellarminus *lib. de Officio Principis erga Milites, cap.20.*

§ MILITES Latrones.] *Latrones grassatores, raptores, viarum obsessores. Latrones dictos Festus scribit. quod à latere adoriantur, vel à latendo, quod latenter insidientur. Poëtæ usurpant pro venatore. Apud antiquos,* Latrones *dicebantur conducti milites à* λατρεύω *inservio; nam serviebant mercede. Mos autem erat, ut hos Imperator, & circa se haberet, & primos mitteret ad omne discrimen.* Varro *hujusmodi stipatores putat* Latrones *dictos, quasi* Laterones, *quoniam Latera tegerent. Hoc tempore vocantur Satellites, qui Principis latus stipant, unde &* Stipatores, σωματοφύλακες. *Dicuntur etiam à Græcis* Hyperaspistes, *quasi propugnatores, qui clypeo protegunt. Vnde Isaiæ* XLIII. 24. Servire me fecisti in iniquitatibus, LXX. Hyperaspistem *tuum egi, armigerum, Lateronem.* Genes. XV. 1. E-

go protector tuus sum: *propriè, scutum.* LXX. Hyperaspistes, *qui te scuto protego. Quo pertinet, cum DEVS dicitur nos protegere, aut scuto nos tueri.* Pineda *lib.* VII. IV *num.* 3.

§. TEMPVS determinatum.] *Numeror.* 1. Omne quod sexus est masculini à vigesimo anno & supra. *Apud Romanos ab anno* XVII. *adscribi Militia poterant, ut auctor* Livius *decade tertia lib.* 1. *& aliquando etiam à* XVI. *vt idem scribit ejusdem decad. lib.* 3. *majorem autem sex & quadraginta annis ineptum militia judicabant, nisi in necessitate Reipubl. ut tradit* Polybius *lib.* VI. *Interdum etiam, qui ad* XV. *pervenissent scribi milites poterant, ut ex Varrone constat. Nam dum describit ætatis gradus humanæ, eos, qui ad decimum quintum perveniunt, dicit esse ex catalogo, sicut ultra catalogum, qui jam militiæ apti non sunt. Catalogum autem vocabant tabulas, in quas per numerum milites scribebantur. Apud Hebræos etiam in Militia Ecclesiastica erat terminus inceptionis ac desitionis.* Numerorum VIII, *à viginti quinque annis & supra usque ad quinquagesimum. Siquidem in utraq; Militia spectatur, tùm ut corporis robur labori perferendo sit sufficiens, tum ne immaturus sit militantis animus.*

§. VITA hominis *Tentatio.*] S. Augustinus *lib.* X. *Confess. cap.* 28. Nunquid non *Tentatio* est vita humana super terram? Quis velit molestias & difficultates? Tolerari jubes eas, non amari. Nemo, quod tolerat amat. Quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non esse, quod toleret. Prospera in adversis desidero, adversa in prosperis timeo. Quis inter hæc medius locus, ubi non sit humanæ vitæ *Tentatio*? Væ prosperitatibus seculi semel & iterum, à timore adversitatis, & à corruptione lætitiæ. Væ adversitatibus seculi semel, & iterum, & tertiò à desiderio prosperitatis. Et quia ipsa adversitas dura est, & naufragat tolerantia; nunquid non *Tentatio* est vita hominis super terram sine ullo interstitio?

Idem S. Augustinus *in Psalm.* LX. Vita nostra in hac peregrinatione, non potest esse sine *Tentatione*: quia profectus noster per tentationem nostram fit. Nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus: nec potest coronari, nisi vicerit: nec potest vincere nisi certaverit: nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit.

S. Gregorius lib. XXIII. *Moral. Quia in hac vita adhuc homo positus, in cujuslibet ordinis loco, in cujuslibet secreti secessu vivere sine tentationibus nequaquam potest, plerumque in id, quod ad requiem construitur, major dolor tentationis invenitur.*

Dicitur autem Tentatio πειρασμὸς, *locus ubi quis tentatur: qualis est Militia.*



COM-

COMMENTATIO IV.

Bonitas & Utilitas MILITIÆ CHRISTIANÆ

Hoc praeceptum commendo tibi, Fili Timothee, ut milites bonam Militiam, 1. ad Timoth. 1. 8. *Labora sicut bonus Miles Christi IESV.* 2. Timoth. 2. 3.

MEMBRUM I.

Error in deligendâ Militiâ.

Parabolica Iuvenis ad Militiam se conferentis, & egregiè allucinantis descriptio.

FATALIS esse videtur hoc tempore plerorumque, vel error, vel imprudentia, ne dicam malignitas, quæ in quibusdã animadvertitur eximia, quando agitur de eligendo Militiæ genere. Pulsatur tympanum, exponitur in fenestrâ vexillum: spargitur, conscribendum militem ad cauponam Anseris in foro olitorio: accurritur catervatim. Quæritur solicitè, quanti? quid datur pro auctoramento? Germani vocant pecuniam cursoriam: respondetur, pediti dalerus Germanicus, equiti aureus Gallicus benè habet. Quid pro stipendio menstruo? pediti daleri omninò quattuor, equiti sex aurei. Estne potestas liberè à rusticis rapiendi, furandi, extorquendi quidlibet? auferendi ova, pullos, gallinas, oves, verveces, boves, equos, supellectilem? Respondetur: hæc conditio tacitè subintelligitur: ne sis solicitus. Vis nomen dare? At cui militabo? audit, Potentissimo *Quabbacondono Manicongi Monarcha*. Expecta parumper inquit ille, ad Militiam aspirans: nam intelligo auctorari etiam militem ad hospitium Upupæ in plateâ vomitoriâ, ubi plus fortasse offertur. Itur ad Upupam quantocyus. Primum quæsitum est: quantum datur pro nummo initiali? responsum aufert, offerri dalerum cum dimidio, & haustum falerni veteris, qui sopiat illicò, vires suas mox exerente vino generosissimo. Subdit Militiæ candidatus, quantum ergo pro stipendio? respondetur, octo daleri pediti: duodecim

aurei equiti, cum latrocinandi impunè facultate amplissimâ. At cui-nam ita militatur? *Taicosamæ Tensa* Domino, ac Imperatori *Cambaiæ* veteris.

JAM verò, sine aliâ deliberatione, huic nomen datur, quia plus nummorum promittitur. Licitatione igitur de belli Duce, ac genere decernitur, & auctione copiosior miles conducitur. Non quæritur, quod omninò primum inquiri deberet: Quæ bellandi caussa? sit-ne justum bellum? an injustum? sit-ne contra legitimum Magistratum, an sequùs? possit-ne bona conscientia suscipi, an minus? unius-ne Ducis, an alterius potior sit sua defendendi, aut hostem lacessendi ratio? Sit-ne bellum ad quod nomen dare cupio, legibus divinis, sit-ne legibus politicis, sit Regni constitutionibus consentaneum? lædatur ne jus & fas naturæ lege sancitum? sitne contra Religionem parentum tot annorum centurijs firmatam? contra scita Ecclesiæ? contra responsa Patrum antiquissimorum? contra Synodorum canones? contra Scripturæ divinæ oracula? Nihil horum pensi habetur. Virtus post nummos ponitur: modò pecunia promittatur, ad nihil aliud attenditur. Et exceptæ sunt auribus quorundam sceleratorum voces Tartaro dignæ: det nummos Diabolus, & illi militabimus. Quod quàm sit verum, constat ex veneficorum sagarumque tabulis, è quibus habetur, plurimos Cacodæmoni sponsione nummorum fuisse auctoratos.

MEMBRUM II.

Militiæ spiritualis agnoscendum discrimen, ne aberratio contingat periculosa.

QUOD in Militia externa & corporea, idem accidit in Spirituali, de qua nobis est sermo. *Militia est vita hominis super terram*, ut proximè sat copiosè est demonstratum. Tam nobis est necessarium militare quàm vivere. Sed refert plurimum, adeò, ut ab eo salus tua dependeat, in qua Militia nomen tuum profitearis. Quæ autem qualisque sit *Militia*, in qua Christianos omnes stipendia facere conveniat, decerni non potest, nisi facta partitione Militiæ, quam dissertationi proximè præcedenti subnectimus commodè, & hodie exequemur. Occasionem aliquam ejus dedit Evangelium, in quo fit divisio, quam reor esse universalem & adæquatam hominum omnium, in *Bonum* & *Malum*: Evangelium nominat (a) *Publicanum* & *Pharisæum*. Quæ partitio spargitur per omnes hominum status, conditiones, tribus. Quamvis enim constet terminis contrarijs, tamen nullum inter illos datur medium, cùm vim habeant contradictoriarum, posita illa sententia, quam arbitror verissimam: nullam, sive dictionem, sive cogitationem ullius hominis esse indifferentem aut neutram. Itaque in hoc auditorio quilibet in individuo, vel est bonus,

bonus, vel malus; vel justus, vel injustus; vel Sanctus, vel impius. *Sanctus*, si divina gratia, quæ formalis est sanctitas, præditus: quâ polles, si nullum commisisti ab ultima confessione peccatum mortale, aut per contritionem amoremque DEI es liberatus: *Malus*, & improbus, si vel unicum lethale crimen tecum defers.

MEMBRVM III.

Malitia spiritualis duplex: Bona, vel *Mala*.

AD hunc igitur modum, Militiam Spiritualem universè dispesco in *Bonam* & *Malam*. Sumitur ea distinctio ex Militiæ Christianæ Ductore nominatissimo Paulo Apostolo, qui instruens Timotheũ ad tirocinium militare: *Hoc præscriptum*, inquit, *commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiã*. Per *prophetias* hic intelligitur, vel doctrina, sive munus docendi Timotheo concreditum, quasi dicat: (*a*) Vide ô Timothee, ut in hoc munere, quod à DEO accepisti, te fortiter & strenuè geras, instar boni Militis; vel varia divini Spiritus charismata, quæ in Timotheo erant, nominatim, donum Prophetiæ, ut dicat Apostolus: (*b*) Præcipio tibi, ut ita milites, sicut dona Spiritus-Sancti tibi concessa requirunt: vel Revelationes, hoc sensu: (*c*) O Timothee, commendo tibi, ut sicut DEI revelatione, ac Spiritu Prophetiæ admonitus, te Episcopum Ephesi ordinavi, ita juxta eandem prophetiam, nunc milites, eique respondeas, ostendasque veram de te fuisse prophetiam: vel prædictiones, conjecturas, bona omina, quibus Christiani omnes optima quæque de Timotheo, cùm ordinaretur Episcopus, ex vitæ ejus anteactæ sanctitate ominabantur, prædicentes, non dubitare se, quin fideliter, constanter, & egregiè munere Episcopali perfungeretur. Observat autem D. Chrysostomus, dixisse Paulum: *Milita bonam Militiam*. *Est enim*, inquit, *& Militia mala*. Similem distinctionem Militis insinuans idem Apostolus in alterâ ad Timotheum secundo cap. monet suum tironem: *Labora sicut Bonus Miles Christi IESV*. Quasi etiam in Militia bona sint aliqui Milites mali, id est, negligentes, ignavi, desertores officij debiti. Utitur Doctor Gentium verbo emphatico, *Labora*, Græcè est, κακοπάθησον, id est, mala perfer, dura tolera, adversa sustine. Militis est acerba multa pati: *Fortia agere Romanum est*, inquiebat Scævola. *At fortia pati* Christianorum est, dicant imitatores Christi quos Imperator summus ad CRUCIS vexillum vocavit, suaque Cruce signavit, patientiæ auctoramento sibi illos obstringens.

Elegan-

(a) *Franc. Vatablus*. (b) *S. Chrysost. Theophyl. Oecumen. Theodor.* (c) *Recentiores Interpr. Magalianus, alij.*

Eleganter Tertullianus & eruditè, agens contra Gentiles in Apologetico, ex eorum arcanis. *Licet nunc Sarmentitios, & Semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis devincti, Sarmentorum ambitu exurimur,* nihil nos turbat. "*Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis: tali*
„ *curru triumphamus.* Apud Vos quoque, ô Gentes! Mutius Scævola
„ dexteram suam libens in arâ reliquit. O sublimitas animi! Empedo-
„ cles totum se Catanensium Æthnæis incendijs donavit. O rigor men-
„ tis! Regulus ne unus pro multis hostibus viveret toto corpore cruces
„ patitur. O fortem virum, & in captivitate victorem! Anaxarchus cum
„ in exitium ptisanæ pilo contunderetur: tunde, tunde ajebat, Anaxarchi
„ follem, Anaxarchum enim non tundis. Attica meretrix carnifice jam
„ fatigato, postremò linguam suam comestam in tyranni sævientis faciem
„ expuit, ut expueret & vocem, ne conjuratos confiteri posset, si etiam
„ victa voluisset. Zeno Eleates consultus à Dionysio, quid-nam Philo-
„ sophia præstaret, cùm respondisset, contemptum mortis impesi bilis
„ flagellis tyranni objectus, sententiam suam ad mortem usque signabat.]
Hæc fecerunt Gentes & passi sunt, quid decet Patientis Christi Milites Christianos?

MEMBRVM IV.

Ad Militiam Bonam requiritur Princeps legitimus.

VERVM, unde dignoscam, dicitis, Militiam Bonam à Mala. A multis id capitibus desumitur. Primum est, Auctor, Dux, & totius Militiæ Princeps. Sunt autem multi, quorum nomine pulsatur tympanum, ut Milites coëant, qui sub ipsis contra hostem ducantur. Est *Mundus*, *Caro*, *Voluptas*, *Peccatum*, qui tanquam Duces secundarij unum respiciunt Imperatorem summum, qui dicitur *Cacodæmon*, Christi juratus hostis. Sub CHRISTO autèm militant, quicumque CRVCIS Vexillum, ductrice Virtute sequuntur. Jam facile est vidêre omnem *Militiam*, in quâ sub *Mundo*, *Carne*, *Voluptate*, *Peccato*, sive sub Diabolo, quis meretur esse *Malam*; unam solùm bonam, si Auctor spectetur, qui Christum respicit, & sub illo Virtutem. Siquidem non cuilibet fas est Vexillum erigere, ac militem conscribere; sed id solùm ei competit, penes quem est *Ius armorum*.

HIC verò, vel est Princeps supremus, qui alterum in politicis superiorem non agnoscit, ut sunt ferè Reges; vel Respublica perfecta, sibi sufficiens, seu αὐτάρκης, nulli alteri subjecta, quæque tueri se absque aliâ auctoritate potest, & hostem propulsare. Quare, si quis his inferior, si quis inter eos privatus id faciat, crimen admittit morte piandum. Regula est univer-

universalis apud Politicæ tractatores: fas non esse, nisi Magistratui supremo Militiam constituere. Quam ab omni ævo sine exceptione receperunt Sapientes. Nam, ut rectè scribit Augustinus contra Faustum, hominem turbulentum: *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli Auctoritas, atque consilium penes Principes sit.* Aut certè, qui Principis supremi munere funguntur, quamvis sint plures, ut in perfecta Republicâ. Idcirco, Plato Politicorum Magister legem fert in XII. de Legibus: *Si quis privatim, sine publico scito, pacem bellum-ve fecerit, capital esto.*

MEMBRVM V.

Diabolus, *Mundus*, *Caro*, *Voluptas*, *Peccatum non habent Ius armorum.*

IAM verò in Republicâ à DEO legitimè constitutâ, aut Imperio à Christo fundato, neque Principatum gerit, neque Magistratus supremi fascibus donatus est *Cacodæmon.* ideoque nec illius Legati ac centuriones, *Mundus, Caro, Voluptas, Peccatum*: immò, sunt non solùm in privatorum ordine, sed quod vilius, Servi pœnæ, sicut damnati ad metalla: sunt catenata mancipia: sunt carceribus addicti, & inclusi famuli. Hanc vilitatem conditionis indicavit inter Tribunos Militiæ Bonæ primus, Petrus Apostolus, (a) qui DEVS, inquit, *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos.* Rudentibus, id est, funibus, ac catenis infernalibus, scilicet, igni ac inferno illos alligando, ut nulla potestate aut vi ea excutere, aut ex ijs liberare se valeant. Græcè est σειραῖς ζόφου, *catenis caliginis*, sunt enim tenebrarum, tenebrosæ, & tenebris destinatæ. Per *rudentes* autem *infernales*, ut metaphoram elucidemus, significat S. Petrus potestatem, jus, ac vim, quam habuit Infernus, quasi Minister ac Lictor DEI in Angelos, mox ut peccarunt, atque à DEO condemnati sunt. Nimirum, ut Michaele bonorum Principe cum suo albatorum exercitu eos deturbante, vi quasi supernaturali, quatenus erat instrumentum vindictæ divinæ, è cælo ad se attraheret, sibique ut tortori ac tormento, indivulsè ac inseparabiliter alligaret. Sicut idem ille ignis inferni Dæmones quocumque terrarum vagantes ita detinet, ut activitatem ejus nusquam effugere possint. Ita graves Auctores figuratam illam loquutionem exponunt: & addunt: Quemadmodum ignis vehemens suum quærit pabulum, adeoque, si paleas, aut stipulas vel eminus odoretur, illas subitò invadit, corripit, ac incendit; haud secus Ignis Inferni suum odoratus pabulum in cælo, putà Dæmones, illicò eos ad se rapuit, detraxit, inflammavit, fecitque fomenta gehennæ.

(a) *Epist. Petri 2. 4.*

VERUM, commodius ad nostrum institutum, quod Græca permittunt, *Rudentes* referuntur, non ad vocem *detractos*, sed ad verbum, *tradidit*. hoc sensu: Tradidit DEUS Angelos peccantes, ac mancipavit carceri, & igni infernali, illique eos in perpetuum devinxit, ac quasi quibusdam rudentibus, ceu catenis caliginis alligavit, & firmissimè adstrinxit, ut nunquam excutere, aut evadere possint. Sunt igitur tanquam mancipia ignitis catenis in claustro Inferni ligata. Quare legunt SS. Augustinus, (a) & Gregorius: (b) *Carceribus caliginis inferni retrudens DEUS peccantes Angelos, tradidit in judicio puniendos, vel cruciandos reservari.* Sic quoque scripsit Judas Apostolus in Epistola sua Canonica cap. v. *Angelos peccantes Vinculis æternis sub caligine DEUS reservavit.* Vinculis *incognitis* legit Syrus, seu, *invisibilibus*: quæ in visum oculorum corporeorum non incurrunt. Origenes, *vinculis gravibus*, alij, *coactis*. Sunt enim vincula spiritualia: nempe, vis divina, quæ malos Angelos æternùm detinebit: quare vocantur *vincula æterna*. Licet enim Dæmones usque ad diem Judicij, permittantur in hoc aëre feriari ac tentare homines, tamen quocumque se recipiant, nunquam ab alligatione liberi, pœnam atque incendium, velut mancipia catenam suam circumferunt.

ITAQUE talis est *Militia* sub Mundo, Peccato, Cacodæmone, si Auctorem & Caput spectes, qualis esset, si catenatum mancipium contra legitimum Dominum arma sumeret, cogeretque milites, qui sibi sacramento dicto supremum Principem, illique subjectos in Republicâ patres familias oppugnaret. Cujus exempla aliquot suppetunt ex antiqua historia. Illustre est istud de Tyrijs apud Justinum lib. XVIII. Tyrij attritis viribus à servis suis multitudine abundantibus indigna supplicia perpessi sunt. Nam conspiratione facta, servi omnem liberum populum cum dominis interfecerunt: atque ita potiti urbe, lares dominorum occuparunt, Rempublicam invaserunt, conjuges duxerunt, &, quod ipsi non erant, liberos procrearunt. Celebre hoc servorum facinus, metuendumque exemplum toto orbe terrarum fuit. Quamobrem Alexander Magnus cum interjecto tempore, bellum in Oriente gereret, velut ultor publicæ securitatis, expugnatâ eorum urbe, omnes, qui prælio superfuerant, ob memoriam in dominos impietatis, crudelitatisque, ac veteris cædis, crucibus affixit. Dignum servis in dominos insurgentibus supplicium. Ex quo duo quædam licet colligere. Unum, non nisi *Malam* & injustam esse *Militiam*, qua servus, & multo magis, catenatum mancipium domino bellum infert, & contra illum exercitum scribit, ac ducit. Alterum, non fore ullum ex Liberorum aut ingenuorum, genere, tam servilis ingenij, qui merere velit sub servorum rebellium vexillo. Quod si quispiam ad tam infamis Militiæ societatem transeat, illum meritò dignum judicari patibulo. *Mancipiũ*

ergastulo

(a) *Lib* XI. *de Civit. cap.* 33. (b) *Lib.* VIII. *Mor. cap.* 11.

ergastulo infernali addictum est *Diabolus, Mundus, Voluptas, Peccatum.* Insurgunt contra legitimum suum omnibus titulis Dominum ad sua signa quàm plurimos traducere conantur. O te vilem, servilisque ingenij hominem, si deserto CHRISTO eodemque DEO, Regum Rege, ac Domino dominantium in servi abjectissimi Militiam te conferas! O dignum infami cruce caput, & torque canabino in furcâ collum!

ACCIPITE exemplum aliud ex eodem auctore libro II. historiæ. Cùm in Scythiâ patres familias abfuissent annis omninò septem à conjugibus & liberis, uxores longâ virorum exspectatione fessæ, nec jam teneri bello, sed deletos ratæ, servis ad custodiam pecoris relictis nupserunt. Hi reversos cum victoriâ dominos, velut advenas armati finibus prohibebant. Quibuscùm varia victoria fuisset, admonentur domini mutare genus pugnæ, memores, non cum hostibus, sed cum servis præliandum, nec armorum, sed dominorum jure vincendos. Verbera in aciem, non tela ferenda, omissoque ferro, VIRGAS & flagella, ceteraque servilis metus paranda instrumenta. Probato omnes consilio, instructi, sicut præceptum erat, posteaquam ad hostes accessêre, inopinantibus verbera intentant, adeoque illos perturbant, ut quos ferro non poterant, metu verberum vincerent, fugamque, non ut hostes victi, sed ut fugitivi servi capesserent. Quicumque capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt.] Eum in modum merentur tractari, qui servilibus sese aggregant copijs, & sub vexillo militant Cacodæmonis, qui nonnisi istiusmodi vilissimorum capitum contrahere potest exercitum.

NEQUE est quod objicias, ab hoc capite non posse damnari illius Militiam; cùm Diabolus sit Princeps. Siquidem à Christo dicitur *Princeps hujus Mundi.* Joannis XII. illius belli duces sunt *Principes tenebrarum*: Principatum tenet tot animarum, quas possidet, & quibus imperat. Nam Caput, cujus auctoritate *Militia Bona* constitui potest, debet esse Princeps legitimus, non intrusus, aut se intrudens; qui non solùm facto, sed & jure imperat; denique, Rex, non Tyrannus, qualis est *Cacodæmon, Mundus, Peccatum, Potestates tenebrarum.* At qualis est Tyrannus Cacodæmon? Ex pessimorum genere. Theologi enim, & cum ijs Politici duplices discriminant Tyrannos: & pessimos dicunt, qui hostilibus copiis contra æquum & fas aliena regna invadunt, vastant, diripiunt, ferro ac cæde in cives innoxios grassantur, & jura omnia tam humana, quàm divina pessundant. Alterius generis Tyranni sunt, qui regnum aut ditionem, vel hereditate, vel electione, vel alio demum jure obtinent, quique legitimi Domini sunt, ac censentur, licet tyrannicè imperent: hos ferre necesse est, cùm in eos subditis non sit auctoritas. In priorum censu est Diabolus, qui alienum invadens regnum, in eo pro libidine dominatur, cùm nullum alioqui jus habeat, quod soli DEO competit. Meram autem illum exercere tyran-

nidem in eos, qui se illi subijciunt fateri coguntur, quicumque impotentem crudelissimi invasoris dominationem in se experiuntur.

MEMBRVM VI.

Caussa Militiæ, ac Belli, examinanda.

VERVM, non est satis ad *Bonam Militiam* Princeps legitima potestate prædirus; alioquin omnia Regum, & Rerum-publicarum bella justa essent, ac Bona; sed considerand a est, benèque expendenda caussa. Si bona caussa subest, *Bona* est *Militia*: si mala; *Militia* quoque *Mala* est. Oportet autem imprimis antequam quis nomen suum det Militiæ, investigare diligenter, an sit justum bellum quod indicitur, aut quod Princeps maximè extraneus inferre decreuit, & ad quod se militem offert. Quod quia non fit sæpe, sed absque ullo examine, cæco impetu curritur nunc ad hoc, nunc ad illud alterius factionis vexillum, milleni & milleni, dum occidunt pugnando, in puncto ad inferna descendunt. Unde nullum est malum humano generi magis noxium, nullum magis latè patens nefas scelusque quàm inter Christianos, & præsertim inter Catholicos injustum bellum, quod innumerabilium homicidiorum, immò animicidiorum, furtorum, adulteriorum, incendiorum, similiumque malorum est caussa, & reum constituit eum, qui illud indicit, indictum gerit, ad illud inferendum pecuniam, annonam, arma confert, & qui se ad societatem Militiæ injustæ, quam talem esse agnoscit, offert. Hi enim tot homines, & animas trucidant, tot urbes, provincias, & regna integra ad extremam vastitatem perducunt; denique, malum quocumque se conferunt, irreparabile circumferunt. Hæc autem omnia magis quadrant in *Cacodæmonem*, ejusque legatos, ac tribunos, *Mundum, Carnem, Voluptatem, Peccatum*, qui nihil aliud propositum habent, quàm regnorum, Imperiorum, & orbis terrarum inversionem, & tandem, hominum, quo ad corpus & animam exitium. Cùm igitur notorium sit, illorum *Militiam* esse ex se, omnibusque circumstantijs *Malam*, & injustam, audebitné aliquis tam desperatæ salutis esse, ut illi se consecret?

MAGIS idipsum innotescet, si caussas, ob quas bellũ potest justè suscipi, examinemus. Caussa universim est duplex, *Defensio*, & *Offensio*, seu Invasio. Hinc & *Bellum* duplex, *Defensivum*, & *Offensivum*. Defensionem aliquam esse bonam, licitam, justam, ambigi nequit. Nam *illud est non modò justum, sed etiam necessarium, cum vi vis illata* repellitur, & defenditur, cuivis infertur, ut Cicero differit Milonem defendentem se propugnans in judicio. *Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim quacumq;*

ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent. Sub divisionem ita in Politicis exequitur Justus Lipsius. Defensio in hoc genere est duplex: *Tua* & *Aliena*. *Tua* cùm vim à te tuisque arces, & libertatem, patriam, parentesque armis tegis. *Aliena* iterum duplex: cùm à *Socijs*, aut *Oppressis*. De Socijs intellexit Tullius cum scripsit lib. tertio de Republica: *Nullum bellum à Civitate optimâ suscipitur, nisi pro fide, aut pro salute.* Fides sanè agitur, & illa impellit Principem, seu Magistratum, ut opituletur ijs, quibuscum est ei societas, & auxilij pacta. Quocirca Aristoteles rectè sanxit in Rhetorica ad Alexandrum: *Oportet injuriam passos pro se ipsis arma capere, sive pro cognatis & beneficis, itemq; Socijs injuriâ affectis auxiliari.* Nec dissimilis est ratio in *Oppressis*. Quos si gravior aliqua vis, ac injuria minimè ferenda urget, videtur cogere Principem commune Societatis vinculum ut adiuvet: *Qui enim non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes, aut patriam, aut Socios deserat,* inquit Cicero primo de Officijs. Et libro ejusdem tituli S. Ambrosius; *Fortitudo, quæ per bella tuetur à Barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus Socios, plena justitia est.* Atque hæc licita & legitima defensio est: modò ejus prætextu Princeps pedem manumque non promoveat, & aliena apprehendat. Quod Romanos fecisse ingenuè fatetur Romani flos eloquij Tullius lib. 3. da Republica qui, *Noster,* inquit, *Populus Socijs defendendis terrarum jam omnium potitus est.*

OFFENSIO etiam, sive *Invasio* aliqua justa ac licita est. Ut illa omnium assensu, cùm injuriam vindicat Princeps, & jure gentium res suas repetit. Nam *justitiæ primum hoc munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuriâ,* inquit Tullius primo de Officijs. Itaque si quis res Principis, aut Reipublicæ, vel jus rapiat, arma justè capiuntur: cum eâ conditione tamen, ut ex formâ veteri, prius mittat clarigatum; id est, res raptas clarè repetitum. Nec enim etiam læsus justè statim bellum inferet. Sed *cùm duo sint genera decertandi: unum per Disceptationem: alterum per vim:* cumque illud proprium sit hominis, alterum belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. *Observa,* inquit bonus Politicus. Quoties judicio quispiam se sistit, arma sistenda sunt, ut gravissimæ gentis Rex censuit. Is fuit Archidamus, qui sic apud Thucididem: libro 1. *In eum, qui jure agere, & satisfacere paratus est, nefas est bellum sumere, tanquam in injurium.* At, si abnuit, & res retinet, (a) *Quid est, quod contra vim sine vi fieri possit?* Hic illud valeat: (b) *Iustum bellum, quibus necessarium, & pia arma quibus nulla nisi in armis relinquitur spes.*

Jam & *Invasio* quædam legitima videtur etiam sine injuriâ, ut in Barbaros, & moribus, aut religione prorsum à nobis abhorrentes; nimirum, si potentes ij, & aliena ipsi invaserunt, aut invadunt. Caussa enim hic

 est

(a) *Cic. lib. 12. epist. 10.* (b) *Liv. lib. 9.*

est *Coërtio*, & in malo repressio. Sed hoc magnam requirit considerationem, & cautelam. Quæ si præcessit, vera sunt illa Augustini: *(a) Apud veri DEI cultores etiam illa bella peccata non sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coërceantur, & boni subleventur.* Est istud ejusdem: *(b) Cui licentia iniquitatis eripitur, is utiliter vincitur.*

EX his principijs desumendum est, quàm sit *Bona* justaque *Militia*, cujus Dux est CHRISTVS, Ductrix Virtus: quàm *Mala* ac injusta, in qua imperat Cacodæmon ac Vitium. Nam Christi est imprimis *Defensiva.* Defenditur enim per eam Honor DEI, quem scelerate oppugnant, *Diabolus, Caro, Mundus, Peccatum.* Immò, DEI vita defenditur, quam eidem hostes nefarij eripere conantur: &, si fieri posset, ea DEVM spoliarent. Siquidem, ut docent Catechistæ ac Theologi, peccatum quodlibet mortale continet certo quodam modo malitiam Deicidij. Defenditur per Militiam Christo sacram, & ab eo indictam Respublicâ cælestis, in quam adscripti sunt omnes justi, qui sunt cives Sanctorum, & domestici DEI, hujus autem tranquillitatem turbant hostes nominati. Defenditur quilibet privatus, cujus felicitas consistit in DEI gratiâ, quam hostes supradicti injustè eripere conantur. Defenditur anima cujuslibet, quam vel unicum peccatum jugulat. Defenduntur bona interna & externa, quorum jacturam per peccatum facimus. Defenduntur Socij, quibus fœdere nexi sumus, quales sunt Angeli, & Sancti, cum DEO regnantes, quorum honori, & gloriæ incremento Satan cum suis astutissimè insidiatur. Denique, defenduntur profana æquè ac sacra, aræ, lares, religio, quibus nihil nobis in vita deberet esse carius.

SI eadem *Militia* spectetur, ut est *Offensiva*, per illam invaduntur, post proscriptionem factam, hostes manifesti, crudelissimi latrones, callidissimi prædones, piratæ, proditores, abactores, ærusca tores, depeculatores, falsarij, homicidiæ, incendiarij, sacrilegi, denique, malorum omnium rei, & incentores. Hæc enim & quæcumque alia in titulis infamium, ac sceleratorum inveniuntur, majori jure conveniunt Cacodæmoni, Mundo, Peccato: cùm omnia illa sive per se, sive per suos asseclas patret assiduè. Invaduntur isti, ut repetantur res injuriâ ablatæ, tot animæ in servitutem à pessimo tyranno abductæ, tot libera capita astu tartareo in peccati ergastulo conclusa, tot miserorum catervæ ex Matris Ecclesiæ sinu, ac ex ulnis gratiæ abreptæ. Invaduntur, ut *Mundo* injiciantur compedes, ne in damnum bonorum, quod semper meditatur, fecitque hactenus, impunè vagetur, & ad se alienos trahat, sibique subijciat. Ut *Caro* edometur, ne, si insolescat, quod contingit extra bellum, in dominam suam Rationem insurgat. Ut *Peccatum* juguletur, quippe malorum omnium, quibus premimur,

(a) *Lib. de verb. Dom.* (b) *Epist.* 5 ...

mimur, & opprimuntur plurimi, caussa. Denique, ut *Diabolus* in triumphum ducatur, quippe, cujus suasu, technis, ductu, copijs contra DEI, ac Christi subditos & milites hactenus est pugnatum.

MEMBRUM VII.


Finis & Intentio Militantis spectanda.

JAM verò, Finis quoque, sive Intentio, ut loquitur S. Thomas, in Militia bona perpendi debet. Quamvis enim à fine non tota pendeat bonitas, tamen totalis bonitas finem bonum postulat. Finem belli bonum esse posse satis constat, quamvis bellum ipsum sit injustum, ac sceleratè geratur. Potest etiam in bello justo finis esse malus: utroque autem modo *Militia Mala* est. Porrò, *Militia Bona* finis generatim debet esse *Pax*, & tranquillitas. Hanc Militiæ Duces omnes se propositam habere dicunt, sed fallunt sæpe, aut vocabulo ludunt, & per pacem intelligunt victoriam cum subjectione. Præclarè D. Augustinus: (a) *Quod mecum quisquis res humanas naturamq; communem utcumque intuetur, agnoscit: sicut nemo est, qui gaudere nolit; ita nemo est, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi, qui bella volunt, nihil aliud, quàm vincere volunt: ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subjectio repugnantium? Quod cùm factum fuerit, pax erit.* Pacis igitur intentione geruntur bella ab his etiam qui virtutem bellicam student exercere imperando atque pugnando. Nam & illi, qui pacem, in qua sunt, turbari volunt, non pacem oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari. Non ergo ut sit pax nolunt, sed ut ea sit, quam volunt. *Militia Mala* est, si bono fine destituatur, quamvis alioquin justam caussam habeat. Exemplum dat bonus Politicæ Scriptor istud. Romani specie Græcos adjuvant: animo Macedoniæ imperium destinant. Bellum justum erit, si caussa Atheniensium justa sit: virtuti tamen mista cupiditas facit, ut malum sit, ac malè geratur.

EX hoc etiam capite, *Militiam* Cacodæmonis *Malum* esse ac deferendam, nimis quàm clarum est, cum finis illius sit calamitas publica & privata. Nam nihil aliud intendit *Malignus*, quam turbare pacem communem inter membra universi: quàm dissuere amicitiam quæ est inter caput, ac corpus: quam tollere nexum, quo copulantur pulcherrimè omnia. Finis Militiæ, quam *Cacodæmon, Mundus, Peccatum* instituunt, est auferre pacem inter Regem & subditos, inter Magistratum & cives, inter patremfamilias & domesticos: concordiam dissipare inter patrem & filium, fratrem & sororem, inter DEUM & hominem: in homine inter spiritum & car-

(a) *Lib. XIX. de Civit. Dei cap. 12.*

& carnem, inter animam & corpus; denique, inter rationem & voluntatem. Finis ejus est, confundere malum cum bono, sacrum cum profano, momentaneum cum æterno, cælum cum inferno, donec tandem eò perducat sibi subjectos, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. A quo, eique adnexis, liberet vos, precor, qui potest, Dominus Exercituum DEUS *Sabaoth*, PATER, FILIUS, & SPIRITUS SANCTUS, cui Laus, Honor, Gloria in sæcula. AMEN.



NOTÆ

In quibus Auctores, & Paralipomena.

§. Divisio Militiæ.] *Iurisconsulti* Militiam *duplicem faciunt: nempe*, Armatam, *quæ militum est bello destinatorum*; & Palatinam, *eorum videlicet, qui munus publicum in* Republicâ *nomine Principis gerunt. Apud Romanos, Militiæ triplex erat genus*: Sacramentum, Evocatio, Conjuratio.

§. PRINCEPS legitimus ad justum bellum, bonamque Militiam requiritur.] S. Thomas 22. *quæst.* XL. *artic.* 1. *tres conditiones requirit, ut bellum sit justum.* Prima *est, ut sit legitima Principis auctoritas.* Secunda, *ut justa sit caussa, quæ ad bellum impellat.* Tertia, *ut sit justa intentio.* Iustus Lipsius *lib.* V. *Polit. cap.* 4. *Auctor justi belli est Princeps; nec enim cuilibet fas aperire belli istas portas.* Adamus Contzen *lib.* VI. *Polit. cap.* 4. *Iustum bellum ab eo indici debet, qui jus bellandi habet.* Idem *lib.* X. *cap.* 4. *Si quæratur, in cujus potestate sit bellum decernere? Constat imprimis, belli indicendi jus in ipsa Republica, quæ perfecta est, nec ab alio superiore Magistratu jus accipit, residere. Respublica enim perfecta est quæ sibi sufficiens est, seu αὐτάρκης, ut tueri se absque alia auctoritate possit. Ad hoc autem necessarium est, ut arma inferre possit, cùm alio modo jus obtinere non potest. Cùm enim Romani impetuntur à Veientibus, anniversarijs & assiduis hostibus: cùm Palisci, ac Fidenates impetum faciunt: cùm contra Samnites Socij opem implorant: cùm Tarentini adventu insultant, legatos violant: cùm Picentes hostium socios domare placuit, opus est, qui decernat, bellandum esse. Neque enim fieri illæ injuriæ debent, ne prorsus Respublica amittatur.* Ius *autem* belli *in Republica perfectâ esse, ex eo docetur, quòd læsa repetundarum agere, satisfactionemq; exigere potest. Privati judicem adeunt. Hic nemo judex, nisi pars læsa. Quæ ideò superior censetur, quia, qui injuriam intulerunt, hoc ipso obnoxij sunt læsis: crimine enim suo effecerunt, ut judicium subire debeant. Quemadmodum enim privatus, qui in alieno territorio crimen committit, judici subditur in cujus provincia peccavit; ita quoque, cùm Reipublica damnum infertur, ipsa injuriosos judicare potest. Itaq; in alios bellum decernit, & boni communis impedimenta removet.*

Cùm autem bellum sit actus τῆς ἐκδικητικῆς, justitiæ vindicatricis, eoq; ad Magistratum pertineat, constat omninò judicem illius qui injuriam fecit esse eum, qui passus est. Alioqui nullus Iudex, nullum justitiæ præsidium is haberet.

REGES

REGES iis ordinariè jus belli habent, & Senatus, sive summum Concilium. Interdum tamen ea potestate Regni legibus carent. Et fortè id expedit, ne velox Regum indignatio bella pœnitenda, & populo luenda suscipiat. Reges primi Romæ ex auctoritate Senatus bella suscipiebant. Posteà eadem auctoritate Senatus usus est, donec fatigati continuis laboribus, res ad populum devoluta. Invitus enim decrevit bellum suo periculo tolerandum. Spartiatæ, qui pessimè Rempublicam suam, teste Aristotele, & Xenophonte, instituerunt, quia ferè ad unicam rem attenderunt: nempe, bellum, Regibus suis jus inferendi bellum cuicumque concesserunt: neque ulli jus intercedendi, aut prohibendi fuit. Quæ res illos in magnas calamitates conjecit, dum solo unius arbitrio bella concitant. Melius Romulus Regesq; consequuti ad Patres, Populumq; retulerunt. Tarquinius Superbus ad se revocavit omnia: itemq; Iulius, & Augustus. Quod ut jure facere viderentur, legem obtinuerunt, quæ vocata fuit Lex Regia. de qua Strabo lib. XV. Sanè, ut bellum tardius decernatur, præstat requiri multorum consensum. Ego tamen leges sic temperandas censeo: ut aliquando concedatur, aliquando negetur illud jus Regi. Concedatur in subitis casibus, & cùm periculum est in mora: negetur, cùm tempus deliberandi sine periculo dari potest.

PRINCIPES, qui Superiorem agnoscunt, itemq; Respublicæ ab alio dependentes, bellum defensivum suis auspiciis absque supremi Magistratus licentia gerere possunt. Non enim minus juris habent, se suosq; cives defendendi, quàm quivis privatus. At quisque se contra invasorem armare & vim vi repellere potest. Princeps, qui sub alio Principe majore est, vel Respublica, quæ paret alteri, bellum offensivum prior alteri ordinariè indicere non potest. Fieri hoc posset bifariam. Vel enim alteri Principi ejusdem Reipublicæ membro, vel extero bellum indicet. Principi, qui ejusdem Reipublicæ civis est, bellum indicere non potest, quia uterque judicem habet, qui rem disceptet. Quemadmodum ergo cives, non vi & armata manu, sed jure res repetunt: ita Nobiles, Comites, Duces oportet de controversiis audire supremum Iudicem. Alioqui tota Respublica conturbaretur, & fortior opprimeret imbecilliorem. Martianus Iuris Consultus respondit ad L. Iuliam Majest. Teneri lege Majestatis eum, qui injussu Principis, bellum gesserit, delectum habuerit, exercitum compararit. Neq; externo Principi inferre bellum potest Princeps, si supremus Magistratus non consentit: quamvis id faciliùs concedi possit. Nam si externus absolutus est, nec ullum superiorem agnoscit, non potest eum ad sui Imperatoris, aut Regis tribunal citare, quem ille non agnoscit. Si externus Princeps etiam Dominum habet, apud eum accusari, & per eum ad satisfactionem cogi potest. Quod si ille nolit, ne sic quidem Princeps sub alio constitutus bello adversarium, sine consensu Regis sui, petere potest. Ratio petenda est ex ipsa membrorum Reipublicæ inter se unione ac ordine, qui vetat membrum aliquod absque consensu, & voluntate totius moveri. Quanta damna, quamq; atrocia inde orirentur si Princeps aliquis Galliæ Principi Hispaniæ bellum inferret? Nonne continuò tota gens concuteretur? Carolus Audax bellum Gallo indixit, & totum commovit Imperium. Regnis magnis periculosum est, unum aliquem Principem exteros bello persequi: militem habere, exercere arma. Facile in vicinos armatur, qui bello assuevit.

QVAMVIS autem ordinaria potestas non sit in tali Principe bellum indi-

 cendi,

cendi, extraordinaria tamen concedi potest. Extraordinaria duplex. Prima, *cùm illa sunt circumstantia, ut nisi anticipetur bellum, in magno sint omnes periculo.* Deinde, *cùm longè abest Princeps superior, & caussa, occasióq; frequenter concurrunt, nec consuli Rex potest. Tunc enim jus indicendi ac gerendi bellum inferioribus committi solet: & inferior eam potestatem habere censetur ex commissione superioris: Hac ratione Pratores Indiarum bellum gerere possunt, sociosq; defendere, communi lege, & potestate officij, quod gerunt. Priorem illum modum non videntur admittere Iuris-Consulti, & Theologi. Verùm ego certum statum excipio: nempe, cùm ea est rerum conditio, ut praveniendus sit hostis. Abigunt pradam, & caussam belli dant hostes Turca. Dux, cui limes commissus, repetit res. Irridetur. Interim offertur insignis occasio alicujus urbis occupanda, qua magnum momentum ad bellum adfert, quaq; in hostium potestate manens, quoniam in illa arma sunt, ac opes, in magnum periculum adducere potest Christianos. Tunc non malè fecerit, si occasione utatur. Nam ad defensionem necessaria est hac offensio, aut sanè utilissima. Ad inculpata tutela defensionem, privatus etiam dum in latrones incidit, cùm videt alioqui pereundum, potest, si videt opportunum, antevertere:*

CONTRA *hostes internos multis Principibus Vrbibusq; data est potestas bellum gerere, absque Superioris mandato, ac Scientia. Sunt enim illi subditi, quos coërcere Magistratus potest, ac debet.* Primò *quidem legibus ac pœnis legum: Quod si potentiores sint, quàm ut legibus teneri queant, bello sunt domandi.* Deinde, *quoniam in his plus est periculi, nisi celeriter compescantur.* Denique, *hac ratione hostis externus non irritatur, si Magistratus compescat suos subditos, sed magis, si detestanda seditio invalescat. Magistratus autem particulares, si cum supremo conferantur, quasi privati censentur. Si cum subditis Magistratus sunt, & gladium gestant: non in omnes, sed in eos, qui subditi sunt, eum exerere possunt.*

SI *duo Principes inter se contendant, Rex verò justitiam negligat, injuriam passo non subveniat, sed opprimi sinat, multi putant, nec sic quidem bellum posse suscipi ab oppressis, sed tolerandam esse injuriam. Quod absque dubio grave est, cùm subditorum corpora acies vexantur, abigunturq;. Ac sanè ita exui bonis omnibus, ipsaq; vita Princeps posset.*

Quare sentio. Si atrocem injuriam Principi, qui sub Imperatore est inferat Princeps externus, nec justitiam administret Imperator, aut alius quispiam, posse bellum offensivum geri. Ratio. Quia tunc licet gerere bellum offensivum, quando sine eo non potest Princeps, aut pars Reipub. qua bellum gerit, defendi. At, sine hoc bello Princeps, vel pars Reipub, non potest defendi. Exemplum est in Iulio, Iuliano, alijs, qui quidem belli gerendi potestatem habuerunt, sed tamen ei, qui non habet, in simili fortuna res ipsa dat.

Rhenum singulis annis, Romanis invitis transibant Germani, provinciam infestam habebant: defendere tantùm sua parvum erat prasidium, nec pro dignitate Imperij, nec pro subditorum incolumitate: semper enim antequam recederent magnis damnis affectam relinquebant provinciam. Itaq; Romani Rheno transito, invicem eorum tuguria urebant, cade ac vinculis saviebant: valdè enim hostes insolescunt, cùm repelli se tãtummodò vident: domi esse sine periculo: Quemadmodum igitur privatus, cui jus negatur, potest alia compensatione damnum

damnum sarcire; ita quoque Princeps facere potest: immò meliori jure, quia populi defensio illi incumbit.

OLIM in Imperio Romano tam vasto ac potenti non licuit ulli Principi, aut Regi subdito contra alios bellum gerere, nedum Praefectis ac Proconsulibus contra collegas, cùmq; id fieret, civile ac nefarium bellum censebatur. At neque hoc tempore, vel in Regno Galliae, vel Hispaniae permittitur. Et meritò puniti sunt in Occidente Pizarri, qui tumultus, ac civilia bella inceptarunt.

IN Germaniâ saepe inter se bella Principes gerunt, adeò, ut contendant quidam, licitum esse Principibus Germaniae, sine consensu Caesaris bellum indicere Collegis. De qua re sic statuo. Potestatem illam, si data est Principibus esse perniciosam. Nam perinde est, ac si in corporis exiguis morbis, ante fomenta, & faciles Medicorum operas, ferrum ac ignis admoveretur. Deinde jus illud concessum, exercitum, Principes, ac Civitates exhaurit, dum contra vicinos se omnes muniunt. Signum verò est, Imperatorem satis potentem non esse ut controversias decidere ac sedare possit. Quãta verò damna inde exorta sint, experiẽtia docet, & deducit Imperator Ferdinãdus I. Anno 1564. in Comitijs Wormatiensibus. Hanc potestatem Constitutiones Imperij gravissimè prohibent, & Imperatores arguunt. Fridericus III. Anno 1442. Maximilianus I. Anno 1495. multis panis adjunctis. Quae clarius explicata sunt Anno 1500. Augustae Anno verò 1512. Coloniae Agrippinae foedus est initum inter Principes, ac modus constitutus, quo pacis violatores corrigi possint, & puniri. Eadem repetita sunt à Carolo V. Anno 1521. Eadem subsequentibus annis firmata. At nequaquam servata, ut conqueritur totum Imperium Ferdinando I. Imper. Anno 1564. Itaque semper contra leges peccatur, quando bellum offensivum, si vitari potest, suscipitur, cùm legibus obtinere caussam liceat. Manet igitur id, quod olim quoque Legibus cautum est, ut arma parare, pecuniam colligere, exercitum conscribere, alios invadere, sit crimen Majestatis; quanto magis, cùm contra supremum Caput id attentatur?

§. INIUSTUM bellum latè patens scelus, & damnosissimum generi humano.] Quippe, cùm justum plurimorum sit caussa malorum. Quot hominum myriades intereunt? quid intactum relinquitur à rapinis, libidine, sacrilegijs? A paucis annis numerari possunt C C. M. in exercitibus Gallorum tantùm, internecione deleta: ab adversâ parte non pauciores perierunt. Centum M. Gallorum in solâ Italia cecidisse, qui computavit diligentissimè, scripto est testatus. Centum M. in alijs regionibus interierunt. Ad obsidionem Fani Odomari XX. M. ad Theonis villam VII. M. ad Hesdinium VI. M. in obsidione Atrebatensi plura M. In Hispaniâ ad Fontem Arabiae, ad Barcellonam, ad Tarragosium, ad Perpinianum, in Gothalonia, & Aragonia, reliqua millia.

ANNO M.D.XCIX. Regnum Pegusianum latissimum populosissimumq; in solitudinem per bellum redactum est. Cujus Rex tantum auri gemmarumq; thesaurum habebat, ut Aracanius Victor ex eo septingentos elephantos totidemq; equos oneravit, cetera neglexerit. De eo regno sic scribit Bonesius in Thesauro Politico tit. 3. exprimere nequeo, quem sensi dolorem, dum ripas illas fluminum, consitas arboribus feracibus, tunc desertas & incultas coram conspexi, & delubra elegantia, aurataq; funditus eversa. Desertum ac incultum regnum universum putes, & à nemine prorsus inhabitari. Platea, ac nominatim, quà ad fana iter habent, cranijs, cadaveribusq;

 tum

tum fame, tum ferro domestico, dum in mutuas ruunt cædes, tum etiam jussu regio necatorum, & in profluentem, vix etiam cymbis minoribus, ob cadaverum multitudinem navigabilem abjectorum, oppleta sordent urbes; oppida, pagosq; cum incolis omnibus deletos hic taceo, ut nunquam ullus extitisse credatur Tyranno *hoc immanior. Eadem fortuna fuit Regni Martananij florentissimi, quod per Sionios etiam ad vastitatem redactum fuit anno eodem. Rex secum triginta millia retinebat, ducenta millia per montes & silvas, metu mortis attoniti vagabantur: omnis ager incultus erat ac horridus. Tot malorum caussam dedit injusta militia auctor.*

Sicut modò in Imperio tot altarium, ædium sacrarum, templorum profanatorum, tot in ijs sacrilegiorum commissorum; tot monasteriorum, collegiorum, religiosarum domuum expilatorum; tot incendiorum, adulteriorum, incæstorum, rapinarum, furtorem, tot homicidiorum Omnes igitur animæ ab ejus anima repetentur, quæ perierunt, eidemq; scelera militum, qui eas peremerunt, imputabuntur: nec milites sunt innoxij.

§. EXAMEN instituendum de caussa belli, tum Principi, tum Militi] *AEquum profectò est, ut Principes antequam exercitum conscribant, & arma expediant, maturâ deliberatione inquirant, adhibitis non Politicis solùm, suisq; Aulicis, sed Iurisconsultis quoque ac Theologis, justè-ne bellum apparetur? Athenienses sanè de belli justitia Philosophos audire & Oratores consueverant. Quilibet etiam antequam nomen daret Militia de bonitate illius ac justitia explorare deberet, & certum habere. Nam Theologi ita statuunt, & est certissimum secundum conscientia rationes.*

I. *Teneri Principes seriò, & longâ perscrutatione de justitia caussa inquirere, ut non errent in re tanti momenti, à qua tot innocentum fortunæ, ac vita dependent. Alij etiam, præter Consiliarios, consulendi sunt, Iudicium Academia Catholica explorandum: & si partium jura obscura, favendum est reo, non actori.*

II. *Qui dubio jure bellum gerit, quod intulit, injuriam facit: ideoq;* Militia *ex parte illius* Mala *& injusta est. Siquidem injustum est de alterius vita pronũciare, cùm est caussa dubia. Regula Iuris est, eaq; legitima*: Probationes in criminalibus, luce meridiana oportere clariores esse. *Dubia enim caussa certa morte occumbere reum nulla æquitas patitur. Quomodo igitur tot millia conciduntur, nec liquet,* Quis justius induat arma. *Iudex nonnisi probata sequi debet, & non nisi de quibus liquet judicare* L. illicitas, §. Veritas. ff. De officio Præsidis. *Hoc si privato reo servatur, ubi de hereditate, agellis, aut unius vili capite agitur, quid in magnis faciendum, integrisq; populis cẽsebimus? quod si æquè valent caussæ pro adversarijs, & contra eos, jam bellum suspendendum est, aut accuratius inquirendum.*

III. *Si* Militia *est manifestè* Mala, *& bellum, quod gerendum, injustum, nemo sive subditus, sive non subditus nomen* Militia *dare potest: indeoq; quàm diu est in tali* Militia, *à peccatis absolvi non potest, nisi spondeat se illam deserturum.*

IV. *Si dubia sit caussa, Milites, qui subditi sunt, stipendijsq; certis addicti, ac vasalli, castra dubia sequi possunt. Ita S. Augustinus lib.* XXII. *contra Faustum cap. 75.* Si vir justus fortè sub Rege sacrilego militet, benè potest, illo jubente, bellare, cui, quod jubetur, vel non esse contra DEI præceptum, certum est; vel utrum sit, certum non est. Ita, ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo servitutis. *At Milites,*

lites, qui non sunt subditi, dubia caussa militare non possunt. Quia bellum ad eos non pertinet, & sponte rei dubiæ se immiscere non possunt. Deinde, sine ulla necessitate exponunt se periculo injuriã inferendi alteri Principi. At cessando periculum illud evitant. Ego in hoc negotio, Milites bona conscientia excusare soleo. Nam, qui bella gerunt caussas speciosissimas prætendunt, quæ planè necessariæ videntur. Deinde, cùm Rex, *aut Princeps Catholicus est, boni nominis, meritò præsumitur (nisi contrarium sit notorium) eum injusta bella non suscipere, caussam accuratè examinasse, à prudentibus eam, & integris viris comprobatam esse.*

V. Ignorantis est, ex victoria de justitia caussa judicare: quare non licet victoris castra sequi eo solùm titulo. Felix diu non erit victor improbus & iniquus. Multa injustè suscepit, impotenter, superbeq; gessit bella Alexander Macedo; verùm ipse tandem cum matre, uxore, liberis, tota familia pœnas luit. Quod factum non esset, si in sua Macedonia resedisset, ac milites & centuriones ad tantam potentiam non evexisset,

§. FINIS Militiæ.] *Finis belli in bona caussa potest esse malus. Quid si enim ultio tibi proposita? quid si gloria, aut Imperium? Peccas. Nec dirigenda aliò arma sunt, quàm ad Tranquillitatẽ, aut Tutelam.* Ita bellum accipiatur, *inquit* Cicero *lib.1.de officijs,* ut nihil aliud, quàm pax quæsita videatur. Salustius *ad Cæsar.* Sapientes pacis caussa bella gerunt, & laborem spe ocij sustentant. *Si rectè dictum:* εἰρήνης ὁ πόλεμος πρύτανις: Pacis altæ est bellum. Paci militare debet fortitudo bellandi. *Iustus Lip.V. Polit.cap. 4.*

§. CERTANDVM est, ut victoria, & cum illa, pace fruaris.] Nullus coronatur, nisi legitimè certaverit. 2. *ad Timoth.2.5. Non est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina.* Labora sicut bonus Miles IESV CHRISTI. *Indecens planè est prius solvere Militiæ cingulum, quàm victori cedat adversitas præliorum.*

§. MILITIA Spiritualis.] *Militia spiritualis animæ, vel est sub Christo Christiana, & est Bona; vel sub Diabolo, & est mala. Quæ cujusq; sint stipendia, arma, armorum usus: quæ sub Ducibus in bello accepta vel inflicta vulnera, quis belli exitus, quis pacis status, varijs Commentationibus demonstramus. Legantur,* S. Augustinus, *lib.10. Confess. cap.28.* S. Bernardus, *Serm. ad Milites Templi,* Sandæus, *Opusculo, inscripto, Symbola vitæ humanæ; & Libello, cujus titulus,* Mundus fallax.

Quantoperè aspirent aliqui ad Militiam, & aliqui abhorreant, sic exprimit Horatius 1. Serm.Satyr.3.

O fortunati mercatores, gravis annis
Miles ait, multo jam fractus mẽbra labore.
Contra mercator navim jactantibus Austris,
Militia est potior, quid enim? concurritur horæ
Momento, aut cita mors venit, aut victoria læta.



CON-



COMMENTATIO V.

MILES CHRISTIANVS

Quis dicendus? Quæ illius sint partes, arma, decora?

Labora sicut bonus Miles Christi IESV. 2. ad Timot. 2.

MEMBRVM I.

In Ecclesiâ Christi Militante sunt Milites, Laici. Clerici. Religiosi.

NON ignoratis, Ecclesiam Christi, quæ in terris est visibilis, cognominari *Militantem* (nam *Triumphans* est in cælis) quod fideles, qui illam constituunt, sint Milites. Nec illud ignorare potestis, certè, non debetis: Extra hanc Ecclesiam nulli esse salutem. Ex quo consequitur, quod alibi quoque dictum, non nisi Militibus Christi spem salutis superesse. Totam autem Ecclesiam exactius consideranti, tres in eâ ordines occurrunt, & totidem sunt meorum Auditorum. Sed hi ipsi Ordines sunt veluti copiæ militares, quæ unum constituunt Exercitum, numerosum illum sanè, & benè ordinatum. Quicunque enim sunt in Ecclesiâ, vel sunt, *Laici*, vel *Clerici* seculares; sive, ut generico nomine vocantur, *Ecclesiastici*; vel *Religiosi*, quorum plurimi sunt Clerici, at, Regulares: sed omnes sunt *Milites*, quàm diu mortales vivunt in terrâ, quia *Militia est Vita hominis super terram*: Quæ verba viri sanctissimi, atque integerrimi Jobi, capite VII. de homine universim dicta esse, asserunt Græci Interpretes, ac plerique Latini, & nos in omnes omninò mortales cadere superius demonstravimus. Quod autem eidem si Christiani sint, debeant esse Milites Christi nullum potest esse dubium.

ET quidem LAICOS, qui ordinibus sacris non sunt insigniti, sed Baptismatis Sacramento tantùm initiati. JESU CHRISTI veri DEI atque hominis salutarem doctrinam in ejus Ecclesia profitentur, cujuscumque sint conditionis, nobiles, plebeios; doctos, rudes; parvos, magnos; quales quales tandem, summo illi Imperatori militando servire, ac Milites Christianos dici posse: & si salutem ament suam, debere, constat ex Militiæ Christianæ professore peritissimo Paulo Apost. qui Fideles universos, nemine excepto, armis ad defensionem propriam, & offensionem hostium

orna

ornat ac instruit, non uno loco in Epistolis, ad diversos scribens. Ad Corinthios, epistola II. cap. X. *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Nam* Arma Militiæ nostræ *non carnalia sunt, sed potentia DEO ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam DEI.* Ad Ephesios VI. *Induite vos armaturam DEI, ut possitis stare adversus insidias Diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in cælestibus. Propterea accipite Armaturam DEI, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelij pacis. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et Galeam salutis assumite: & Gladium spiritus (quod est Verbum DEI.)* Primæ ad Thessalonicenses V. *Nos sobrij simus, induti loricam fidei, & caritatis, & galeam spem salutis.*

HINC Tertullianus antiquissimus auctor, dum Martyres consolabatur, libro ad Martyres, cap. tertio *Militis* & *Militia* nomen, ac functionem ijs in memoriam reducebat, pulcherrima oratione, quam paucis additis, mutatisque repræsentemus. Omnes quotquot Christiani nomine gloriamur, nomen ad Militiam spiritualem dedimus. Quo primum die Christiani esse cœpimus, Sacramentum Christo Duci, dum sacro latice perfunderemur, diximus: eodemque tempore, nostris non magis, quàm DEI adversarijs, *Cacodæmoni* tentatori, *Mundo* deceptori, *Carni*, blandissimæ Lenæ, peccati occasionibus, astutissimis insidiatricibus, res suas habere jussimus, & apertum ac capitale ijs bellum indiximus. Nos nos ipsi, vel per fidejussores, sive patrinos, ut vocamus, tanquam per feciales, nullum cum Cacodæmone commercium, nullas cum Voluptatum vetitarum illecebris inducias, nullum cum mundi pompis fœdus nobis intercessurum promisimus. Dum rationis facti sumus in majori ætate compotes, rursus non semel in verba Imperatoris nostri juravimus: illi operam nostram obtulimus: promptè nos stipendia ejus facturos spopondimus: ab illo tesserã militarem in baptismali lustratione accepimus, armis in Confirmationis mystica operatione instructi, & in album relati Militum Christianorum. Sunt igitur *Laici* omnes in Ecclesia Christi Milites Christiani.

QVO titulo peculiari ratione gaudent ECCLESIASTICI, seu CLERICI, qui DEO servientes in suo ordine, Militare dicuntur. Quod etiam in antiqua lege obtinuit. Sanè, Numerorum VIII Sacerdotibus & Levitis, qui eránt sacrorum ministri, ut nũc Ecclesiastici verbum militandi tribuit. Ubi enim nostra editio habet: *Hæc est Lex Levitarum, ut vigesimumquintum annum ingredientes & supra, ministrent in Tabernaculo fœderis*; secundum veritatem Hebraicam licet vertere: *ut Militiam exerceant.* Quã phrasi

frequen-

frequenter functio illorum, qui Tabernaculo, & cultui divino in templo erant destinati significatur: idemque convenit peculiaribus Ecclesiæ ministris in novo Testamento, ut sunt *Clerici* omnes: quibus intonat Paulus, vocalissimus Præco, quod ad Timotheum Episcopum aliquando scripsit. *Labora sicut bonus Miles Christi IESV. Nemo militans DEO implicat se negocijs secularibus, ut placeat, cui se probavit.* Hæc quippe, ut affirmat eo loci, S. Chrysostomus, non de Timotheo Episcopo tantùm, sed de ceteris omnibus consecratis, & Clero adscriptis accipienda sunt, atque idcirco: *Nullus*, ait, *Episcopatu preditus hac audire detrectet, sed agere ea planè constituat.* Episcopum imitentur eo inferiores Clerici. Ad quos omnes S. Augustinus Militiæ similitudinem transferendam docet: Serm. xix. de verb. Dom. *Etiamsi enim*, inquit, *non videamur militare seculo, tamen DEO ac Domino militamus, sicut ait* Apostolus: *Nemo militans DEO implicat se negotijs secularibus.* Tum addit: *Videmur remissis & fluentibus tunicis; sed tamen habemus* Militiæ *nostræ cingulum, quo castimoniâ interiore constringimur.* Milites igitur Christi sumus: stipendium quoque ab ipso percipimus. Quid enim, quæso vos, sunt aliud, opima Sacerdotia, census, redditus Ecclesiasticorum, quàm in hac *Militia* Tribunorum, Ducum, Imperatorum stipendia? Gloriantur Clerici peculio quasi castrensi, ut milites, quod Theologi ijs adscribunt. Denique, quæ Laicis ad illam denominationem tuendam competunt, multo magis Ecclesiasticis accommodari possunt.

JAM verò, RELIGIOSOS quoque Militum appellatione in Ecclesia DEI censendos, veteres omnes, recentioresque rerum asceticarum scriptores conveniunt. Religiosi sunt præcipuæ Ecclesiæ Militantis copiæ, in tot legiones distributi, sub suis Tribunis, quot sunt Ordines, à primis eorum Institutoribus, Viris sanctissimis fundati. Hi non tantùm pugnant adversus communes hostes Christianorum, sed etiam, quo facilius hos vincant, & de alijs triumphent, impugnant, ut in potestatem Rationis redigant, sensus corporis, passiones animæ, propriam voluntatem, hostium communium fautores, receptoresque. Atque ob id majus à DEO gratiæ stipendium accipiunt, & donativum amplius gloriæ cælestis, post gloriosam in terris partam victoriam de quibuscumque adversarijs. Quocirca ad Religiosos referunt aliqui sacri Canones, & Patrum nonnulli parænesim Apostoli, *Labora sicut bonus miles Christi IESV* &, *Nemo militans DEO implicat se negocijs secularibus.* Quamvis enim ea scripta sit Timotheo Episcopo, & consequenter ijs, qui ordinis sunt Ecclesiastici, sive in dignitate constitutis, sive inferioribus; tamen cùm eadem sit, immò major ratio in Religiosis, meritò ijs quoque applicatur. Quare frequentissimè arma militum, militares exercitationes, pugnandi modus in militia usitatus, similiaque militaria & castrensia ad Religiosos transferuntur.

IN quibus translationibus felix est *D. Bonaventura*, qui crebrò ijs utitur. Initio Speculi disciplinæ, Novitios religiosos ita alloquitur: *Deponendus est secundum Apostolum* ad Ephesios IV. vetus homo, & induendus est novus, *quod perfectè implent, qui transitorijs abdicatis, non solùm peccata, verùm etiam occasiones fugiunt peccatorum, veterisq́ fermentum per puram confessionem plenius expurgant, atque ita in vita novitate perfecta sollicitè pracligunt* DEO MILITARE Laudans deinde fratrum congregationem, Par. I. cap. 6. *Conventus*, inquit, *venerabilis, immò, terribilis, ut castrorum acies* Christi *ordinata*. Idem inscribit Opusculum. *De pugna spirituali contra septem vitia*. In legendâ autem S. Francisci refert, quomodo is ad Religionem vocatus, visus sit noctè ad armamentarium, vel Imperatoris signa proficisci. *S. Basilius* Dux in hac Militia spirituali, cum Monacho frequenter, tanquam cum Milite agit, illum ut Militem hortatur, illius cellam, ceu tabernaculum celebrat. Præfatione Asceticorum Monachum alloquens, *Huc*, inquit, *tuus tibi, ô Christi miles dirigendus est cursus*. Tractatu de laudibus vitæ solitariæ exclamat: *O cella! Sacra Militia Tabernaculum: præcinctus Triumphatoris exercitus, castrum DEI, Turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortium. Tu campus divini prælij, spiritualis arena certaminis, Angelorum spectaculum. Ioannes Cassianus* Collationum exordio, Tyrocinium ac rudimenta spiritualis Militiæ nominat.

S. BENEDICTUS Monachorum in Occidente Pater, Regulam Religiosis suis daturus, monet in prologo Cænobitas sub Regulâ, vel Abbate militare: & quemlibet, ut Christo Domino, tanquam Regi militaturum alloquitur. *B. Isidorus* in Regula cap. IV. vocat Statum religiosum, *Militiam Christi, Militiam cælestem, Militiam divinam, Castra spiritualia*.

S. BERNARDUS in epistola I. quâ revocare conatur Robertum nepotem ad Ordinem Cisterciensem, postquam dixisset: *O insensate puer, quis te fascinavit non solvere vota tua, quæ distrinxerunt labia tua?* nam deflexerat ad Ordinem laxiorem, & quidem cum Apostolicâ Pontificis dispensatione, eum tanquam Militem aggreditur, ut ad antiqua signa reducat, quod nititur facere, militaribus metaphoris quam plurimis quarum in epilogo est exordium, *Surge Miles Christi*, ut in castris totam illam epistolam scripsisse videri possit, cùm scripserit in cellâ. In quâ etiam contexuit plurimas ejus generis allegoricas loquutiones *B. Laurentius Iustinianus*. Addatur his *Abbas Trithemius*, qui scripsit de *Militia spirituali*, quo titulo exornavit Sermones suos de vitæ religiosæ perfectione. Jurisperitis illud arridebit, quod *Iustinianus Imperator*. (a) Monachos Græciæ aliquando appellet Philosophiæ monasticæ certatores, aliquando decertatores, id est, bellatores contra Diabolum: nempe, jejunijs & orationibus, ut Glossa

(a) *Authent. Collat. tit. 5. præf. & cap. 4.*

ibi notat. De SOCIETATE JESV Clericorum regularium Ordine, ita scribit Cardinalis *Robertus Bellarminus* dedicans illi Gemitum Columnæ: *More columbino iram sine felle in corde, & in lingua ferens, & irascitur vitijs, &* Bellum *cum erroribus geris*. Sed de ea pluribus actum est in Procemio hujus voluminis, & alibi.

EST igitur Status Religiosus pars selectissima exercitus Ecclesiæ Militantis. Cui si adjungatur Ecclesiasticus Ordo, & Laicorum cœtus, omnes Ecclesiæ Militiam in hac peregrinatione professæ copias contemplari possumus, illudque liquebit, quod initio probandum nobis sumpseramus: Neminem sive litterarum, sive virtutis studiosum cognominari posse, cui nomen *Militis* non conveniat. Quod itaque felix, faustum, & omnibus vobis sit salutare, MILITES in posterum audietis, *Carissimi* mihi *Commilitones*, quibus opto magnoperè ut semper vestris animis obversetur Titulus Militis. Cogitate singuli frequentissimè MILES sum JESV CHRISTI. O salutaris cogitatio! quâ in toto vitæ genere, sive ad affectus animi intra gyrum rationis continendos, sive ad virtutes consectandas, sive ad vitiorum radices evellendas, fortasse nulla est generosis pectoribus fructuosior. Plurima namque sunt in nomine *Militis*, sed potissimùm MILITIS CHRISTI, & Militiæ, sed præsertim CHRISTIANÆ, quorum recordatio ad mores honestè sanctèque divinis Legibus & Consilijs Evangelicis conformandos momentum habent maximum..

MEMBRVM II.

Militi Christiano est laborandum semper.

MILITIÆ & Militis nomen est laboris, non ocij & inertiæ. Quocirca, ut ad laborandum strenuè Timotheum suum hortaretur Apostolus, professionem militarem illi in memoriam revocabat. *Labora sicut bonus* Miles *IESV Christi*: sicut Miles egregius, fortis, durus, robustus: sicut Miles impiger, validus, laboriosus: sicut Miles strenuus, inperterritus, generosus. Sicut Miles, qui non ignorat professionis suæ, & vitæ semel initæ, nunquam deserendæ disciplinam. Militis vita laboribus plena est: Itaque hoc quotidie sibi proponat, nullum se velle refugere laborem, sed studiosè sectari, si non offeratur, & dolere si non sit aliquis, quo se exerceat. Quomodo ferè S. Chrysostomus, & Theophylactus Pauli monitum exponunt. Theodoretus autem per modum cohortantis: *Respice*, ait, *cujus sis* Miles, *& fer forti animo labores militiæ:* Miles, inquit Seneca Epistola XVIII. *in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum jacit, & supervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit.* Unde militares copiæ, non ab armis, robore, prælijs, aut re ullâ aliâ, sed ab una laboris exerci-

exercitatione, nomen invenerunt, ut Exercitus dicerentur, quia exercendo fiunt meliores, inquit Varro. (*a*) Et Vegetius, (*b*) Numerus militum exercitatur. Unde & reipsa atque opere Exercitus nomen accepit, ut ei nunquam liceret oblivisci, quod vocabatur. Solebant enim Romani Milites tam veterani, quàm tyrones exerceri ad omne genus armorum: idemque asserit Tullius. (*c*) Cùm igitur Militia res sit laboriosa, &, ut quidam ajebat, grave Martis opus, prompto, paratoque debet esse animo ad laboris tolerantiam quisquis Christo nomen dedit, ut ei militet: atque idcirco, instar Militis tanti Ducis, probum se, & audacem ad labores ferendos ostendere, ut ait Oecumenius; sic professioni suæ satisfaciet.

ITAQVE qui Militem Christi se recordatur esse, nunquam manus in sinum condit, nunquam sibi vacationem à laboribus datam, quam diu militat, præsumit, semper aliquid agit, & molitur, ut, quod Militis Christiani est, sedulò exequatur. Nunc vitium aliquod, quo maximè premitur, extirpando: nunc virtutem aliquam animo inserendo: nunc tentatori molesto se opponendo. Idem, ocium fugit, ut malorum omnium irritamentum & maximum dedecus Militiæ Christianæ. An igitur se Milites esse perpendunt, qui somno vinoque sepulti stertunt in adultum diem; tum crapulâ pridianâ nondum decocta, stomachum obruunt cruditate jentaculi: postea desides, ignavi, somnolenti, tempus preciosissimum ociosa confabulatione, risu, cachinnis, utinam non inhonestis, obscænisq; colloquijs, detractionibus, murmurationibus fallere solent, diemque, ut ille ajebat, comburere: &, non unum aut alterum, sed hebdomadas, menses, annos; pueritiam, juventutem, senium, si quis tamen talium tam nequiter ætatem transigentium ad senium perveniat. Hoc non est militare sed ociari.

(a) *Lib. 4. de ling. Latin.* (b) *Libro 2.* (c) *Lib. 2. Tuscul.*

MEMBRVM III.

Militis Christiani est, pro Christo tolerare adversa plurima: nec ullas horrere molestias.

SI adversa multa toleres, si malis premaris undique, si cælum contra te, & terra coire videntur, Militis nomen & officium in memoriam revoca. Cogita tibi dictum: *Labora sicut bonus* Miles *Christi IESV*. Græca vox κακοπάθησον, significat, mala & adversa tolera. Quod est strenui Militis, illius præsertim, qui sub Imperatore CHRISTO stipendia facit. Considera te *Militem* esse *Christianum*. Non recordaris, quid ille olim Romani titulo gloriosus, cùm multa ferret, faceretque dixerit? *Facere ac pati fortia Romanum est*: dic tu, multa adversa pati, & laudabiliter

multa facere Christiani Militis est. Sic ferè solabatur Martyres, cùm dira sævaque perferrent, Tertullianus, libro ad Martyres cap. secundo, qui de Christiana Militia ita loquitur. *Habet tenebras* (nimirum, carcer, quem designabat) *sed lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos soluti DEO estis. Triste illic expirat, sed vos odor estis suavitatis. Iudex exspectatur de judicibus; sed vos estis de judicibus ipsis judicaturi. Contristetur illic qui fructum seculi suspirat:* Christianus *etiam extra carcerem seculo renunciavit. in carcere autem etiam carceri. Nihil interest, ubi sitis in seculo, qui extra seculum estis. Et si aliqua amisistis vitæ gaudia: negotiatio est aliqua amittere, ut majora lucreris.*

POST pauca idem inculcat sequenti capite, Militiæ nostræ genus respiciens: *Vocati estis ad Militiam DEI vivi,* jam tum, cùm in Sacramenti verba respondimus. Nemo Miles ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; sed de papilionibus expeditis, & substrictis, ubi omnis duritia, & imbonitas consistit, etiam in pace. Labore & incommodis bellum pati jam ediscunt, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem deficcaudo. Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expavescant; de umbra ad solem, de sole ad cælum, de tunicâ ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Agonotheres DEVS vivus est: Corona Æternitatis. Commemorat deinde multos Ethnicos, qui ob humanam gloriam, gladium, ignem, bestias, & alia tormenta ac cruciatus immanissimos contempserunt. Quæ illustria tolerantiæ exempla adducit etiam in Apologetico contra Gentes, ut ostendat, Milites Christianos in tolerandis adversis ipsarum fortissimis & animosissimis non cedere. Non Mutio Scævolæ, non Empedocli, non Regulo, non Anaxarcho, non Atticæ Meritrici, non Zenoni Eleatæ.

QVIBVS exemplis hortatur Tertullianus Candidatos Martyrij. veros Christi Milites ad similium tolerantiam ob æternam felicitatem. Ac si diceret: Hæc fecerunt Gentiles, quid facere decet Christianos, & Milites Christi? Addit autem elegans dictum: *Tanti,* inquiens, *vitrum, quanti verum margaritum.* Quod usurpans S. Hieronymus, ad Salvinam scribens, *si tanti,* ait, *vitrum, quanti preciosissimum margaritum?* Idem argumentum tractans Tertullianus in Apologetico, cap. xxx. docet, quomodo Miles Christianus sponte toleret adversa. *Planè volumus pati,* ait, *verùm eo more, quo & bellum Miles. Nemo quippe libens patitur, cùm & trepidare, & periclitari sit necesse; tamen & prœliatur omnibus viribus. & vincens in prœlio gaudet, qui de prœlio querebatur: quia & gloriam consequitur, & prædam. Prœlium est nobis, quod provocamur ad tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est autem, pro quo certaveris, obtinere. Ea victoria habet & gloriam placendi DEO, & prædam*

dam vivendi in æternum. Optimum monitum. Quamvis nemo labores, ærumnas, adversa propter se appetat, immò, omnes natura duce recusent, & refugiant, si in se considerentur; tamen magno animo ea aggrediantur ac tolerent Milites Christi, ob spem victoriæ, & gloriæ in omnem æternitatem promissæ, quæ reposita est legitimè certantibus.

SUNT nonnulli dum vitam spiritualem aggrediuntur, timidi, meticulosi, pusillanimes: ad quamlibet periculi & ærumnarum umbram concutiuntur: ab omni discriminis alea exemptos se esse debere opinantur: nihil cum solicitudine & molestia conjunctum adgredi vellent. His suggerendum, quod Milites agant: vitam spiritualem, maximè, si Evangelicis Consilijs regatur, esse Militiam Christi: & universè, vitam hominis super terram esse, ac dici Militiam, quia est plena molestijs, difficultatibus, ærumnis.

MEMBRUM IV.

Militis Christiani non aliud sit negotium, quàm Militare Christo.

MILES hoc unum agit, ut nihil aliud agat, quàm MILITARE. Ad hoc se, vel vocatum, vel conductum, vel invitatum existimat: in hoc totus est. *Nemo militans DEO, implicat se negocijs secularibus*, inquit Noster Doctor. Græci universè id accipiunt de quibuscumque Militibus, & vocem, DEO, constringentem non attingunt, quæ non est in Græco, nec in Latinis quibusdam codicibus. Unde S. Chrysostomus, explicans hanc sententiam, tanquam generalem ad quosvis Milites pertinentem, docet ex ea Apostolum tacitè subsumere, multo magis eam pertinere ad Milites DEI, quam vocem exprimit Latinus Interpres. Et sanè, olim severa admodum in hac re erat Militum disciplina: nec fas erat illis, postquam Militiæ sacramento adacti erant, res domesticas curare. Pro negocijs autem secularibus, Græcè dixit Apostolus, τοῦ βίου πραγματείας, hoc est, vitæ occupationibus, negociacionibus, ac curis, quibus victus, vestitus, aliaque ad vitam tuendam necessaria & commoda curantur: quales sunt mercatura, artes mechanicæ, agricultura, occupationes forenses, curiales, officinariæ, ac similes. De quibus graviter S. Gregorius lib. XXX. Moral cap. 16. *Magna est servitus secularium negotiorum, quibus mens hominis vehementer atteritur, quamvis in ijs sponte desudet. Quasi enim quodam jugo servitutis premunt prospera, dum appetuntur, premuntq; adversa dum formidantur. O grave servitutis jugum! quod Dominus vidit secularium cervicibus impositum, quando dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis*, Matthæi XI.

AB hoc jugo liberum vult esse Militem Christianum Apostolus, ut non

agat mercatorem, non opificem, non agricolam, non argentarium, non villicum, non senatorem, non consulem, non caussidicum, non judicem: immò, nec de victu vestituque magnoperè sit solicitus ac laboret: quia de his Militi suo providere solet, aut debet Imperator. Ille uni intendat victoriæ Imperatoris sui. Jam hic valet argumentum à minori. Si, qui Militiam profanam, ac terrenam sequuntur, sese totos militaribus studijs atque exercitationibus impendunt: cetera verò omnia, tanquam aliena negligunt; multo id magis faciendum est ei, qui Christianæ spiritualique Militiæ se addixit. Quomodo argumentari Apostolum existimat D. Chrysostomus. Quo pacto etiam concludit, primæ ad Corinthios IX. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

HVC spectat illud S. Basilij in præfatione suorum Asceticorum.
„ Ubinam est Christus, Rex & Imperator tuus? qui dixit, *Ubi ego sum,*
„ *sit ibi & minister meus.* In cælo sine dubio. Huc tuus tibi ô Miles Chri-
„ sti dirigendus est cursus. Obliviscere quicquid hic in terris refectionis
„ habere potes. Miles non domos ædificat, non comparat agros, non
„ vacat mercaturæ. In campo tabernaculum sibi ponit: cibum sola neces-
„ sitate metitur: potio, aqua; somni tantum, quantum natura requirit. Iti-
„ nera frequentia, itemque vigiliæ: acris ad frigora, caloresque toleran-
„ dos patientia: periculosorum cum adversarijs certaminum crebra susce-
„ ptio, & in ijs sæpe (si ita fors ferat) mors: gloriosa tamen, & quæ regijs
„ honoribus & muneribus decoretur. Age igitur, *Miles Christi,* qui te-
„ nuia ista ex Militia terrena exempla inspexisti; subeat animum tuum sem-
„ piternorum bonorum cogitatio: propositum tibi vitæ genus sit, domo,
„ civitate, ac possessione rerum omnium (superfluarum, saltem) carere.
„ Solutus esto, atque ab omnibus hujus vitæ curis liber. Corporis te na-
„ tura non vincit: neque vim adfert invito. Non enim tu id quæris, ut so-
„ bolem in terra relinquas, sed ut in cælum sursum educas. Imitare Spon-
„ sum cælestem: insurgentes adversum te crebrò invisibiles hostes in fu-
„ gam dato: eos primum ex animo expelle tuo: neque omninò illis quic-
„ quam sit apud te loci: tum ex illorum etiam, qui ad te confugiunt, teque
„ Ducem adsciscunt. quo tu doctrina tua incolumes serves.

HÆC est forma Militis Christiani, qui ex Pauli præscripto, non implicat se negocijs secularibus: à foro, & procuratione ad politicam spectante abstinet: nulli Reipublicæ dignitati, nulli tribunali, nulli curiæ inhiat: nulli officio à militandi munere alieno invigilat. nulla prætoria observat, cancellos non adorat, subsellia non contundit, rostra non præoccupat, jura non conturbat, caussas non agit, reos non defendit, nullis à militandi disciplina alienis se immiscet. Hæc ferè Tertullianus de primis Christianis in Apologetico.

QVÆ,

QUÆ, quamvis non omnibus qui Christo militant, præscribi possint, nec conveniant: sunt enim inter illos, præter Laicos, quibus rerum domesticarum cura incumbit, Ecclesiarum Rectores in dignitate constituti, Antistites, Episcopi, Curiones, controversiarum ad Ecclesias spectantium judices: tamen ex Apostoli monito, hortantur & urgent sanctissimi Patres Ecclesiasticos omnes, ne se negocijs, secularibus nimirum, implicent, aut involvant. Certè, S. Augustinus suorum temporum conditionem deplorat, quod plus æquo fidelium controversijs dirimendis detineretur implicitus. Et Cyprianus (*a*) graviter se commotum scribit, quod audivisset, quendam testamento instituisse Presbyterum tutorem. Quod deinde in Concilio Chalcedonensi (*b*) est vetitum. In quo Patres agentes de Monachis, qui præ ceteris hominibus Militiam spiritualem profitentur, ita sanciverunt. Monachos per unamquamque civitatem, aut regionem subjectos esse debere Episcopis, & quietè vivere, ac intentos esse jejunio tantùm, & orationi, in locis, in quibus renunciaverunt seculo, permanentes, neque Ecclesiasticis, neque secularibus negocijs communicantes.

(a) *Lib. 1. epist. 9.* (b) *Cano 13. Constit. Justin. I. L. Generaliter. Cod. de Episc. & Clericis.*

MEMBRUM V.

Militis Christiani sit promptitudo ad omnia, seu facienda seu patienda pro Christo.

MILITIS, Militiæque nomen promptitudinem quandam alacritatemque animo subjicit, ad quælibet officia, sine tergiversatione & repugnantia suscipienda; ad cujuslibet loci mutationem; ad quamlibet rerum conversionem; ad quodlibet cum hoste certamen ineundum. Quare Militis Christiani est, paratum esse, sine mora libenter occupare quemlibet à DEO, CHRISTO, & quem loco Christi habet, destinatum locum, in illo commorari, aut inde amoveri subitò, ad quaslibet functiones Ordini suo consentaneas quantocyus se accingere, nullam detrectare. Quemlibet ab Imperatore destinatum hostem aggredi, quocumque prælij genere illum lacessere, quibuscumque armis sibi traditis uti: rotari in hanc vel illam partem, nunc summum occupare, mox in imo conspici, aliquando in medio consistere. Hoc Militis est, ac disciplina militaris postulat. Ita se solabatur vir sanctissimus Jobus, cùm à summo gradu ad infimum detrusus esset, cùm è throno ad sterquilinium pervenisset, cùm testâ saniem raderet, qui antea butyro pedes lavare erat solitus: *Militia*, inquiebat, *est vita hominis super terram* quasi diceret: experior magnam rerum vicissitudinem, sed quid aliud expectare potui, cùm in

Militiam

Militiam venerim, quando vitam hanc ingressus sum. Ad omnes mutationes paratus, promptusque esse debet, qui militat.

MEMBRUM VI.

Militis Christiani est obedire exactissimè.

NIHIL ita ad obediendum, sive mandatis DEI, sive superiorum legibus, sive quorumlibet Magistratuum imperijs, animum exstimulat, ac recordari se Militiam ingressum, seque Militem esse DEI ac CHRISTI. Nam vel nomine Militis significatur necessitas quædam parendi, ut superius dictum est. Profectò, si ullibi, in *Militia* exercetur absoluta, exacta, cæca, severaque obedientia, cùm legum militarium, & mandatorum Imperatoriorum violatio haud magna, capitis pænam provocet, & olim fuerit sancita: apud Romanos verò, cùm lenissimè agebatur, fustigatione dirissima luebat reus. Neque nostris temporibus clementior est pæna inobedientiæ ijs in castris, ubi antiqua viget disciplina militaris. Quare haud immeritò Magistri spirituales, ad Obedientiam exactissimam perfectissimamque, non operis tantùm, verum etiam voluntatis & intellectus Religiosis persuadendam, utuntur exemplo Militum, qui Ducibus accuratissimè parent. Quod egregiè fecit *B. Ephrem* Syrus, præclara ad subditos parænetica, quæ est XXXVIII. & *S. Ignatius Loyola* Epistola planè aurea, de Obedientia, ad Societatis JESU Religiosos.

MEMBRUM VII.

Militis Christiani est, ad hostis adventum semper & ubique esse paratum.

MILES semper hostem expectat, nunquam omninò sibi securitatem addicit, est jugiter in procinctu, ideoque nunquam discinctus, dissolutus, socors: cautè agit omnia, cuncta curiosè circumspicit: ubique ab insidijs sibi cavet, quia sub quolibet lapide anguem latere posse non dubitat. Quocirca nunquam non attendit, vigilat, excubat: quæ sunt propria Militis Christiani, *Monachum* inquit Cassianus. lib. 1. Instit. cap. 2. *ut Militem Christi in procinctu belli semper positum, accinctis lumbis jugiter incedere oportet.* A quo laudat S. Maximus homilia LIX. *B. Eusebium*, quem dicit contra omnes adversarios, scutum Timoris DEI tam diu infatigabiliter tenuisse, donec ad victoriam perveniret. *Quid enim fuit totus vita illius cursus nisi unicus cum vigili hoste conflictus?* Itaq; si te Militē Christianum recorderis, semper hostem expectabis, nunquam negligens, nunquam

nunquam somnolentus: excubabis semper, illaque Imperatoris tui præcepta ad suos Milites, observabis: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Matthæi XXV. 13. *Vigilate & orate.* Matthæi XXVI. 41. *Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit.* Marci XIII. 33. *Omnibus dico*: VIGILATE.

MEMBRVM VIII.
MILES CHRISTIANVS placere conetur Imperatori suo Christo.

EST magna illa hominis Christiani perfectio, si DEO suo CHRISTO, in omnibus placere nitatur. Ad hoc autem exstimulat recordatio Militis, de quo Paulus: *Nemo militans DEO implicat se negotijs secularibus, ut ei placeat cui se probavit*, hoc est, ut Imperatori suo, qui ipsum suorum Militum numero adscripsit omni ex parte probet. Græcè est, ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ: hoc est, ut ei, qui se militari sacramento adegit, placeat; nimirum, Imperatori, sub quo stipendia facit, à quo in Militiam adscriptus, adprobatus, & cooptatus fuit D. Anselmus vertit, *cui se devovit.* Ut autem Miles quilibet, quamvis profanus, suo se Imperatori maximè probare studet, ita curandum, ut qui DEO CHRISTO militant ei placeant, à quo Militiæ sunt adscripti, & à quo stipendia & donativa expectant.

PLERAQVE ex ijs, quæ hactenus attulimus, attingit S. Basilius Admonitione ad Filium spiritualem, in qua confert Militem spiritualem cum terreno, & ita ferè differit. Quemadmodum, qui militant Regi terreno, omnibus jussis ejus obediunt: sic qui militant Regi cælesti, debent cælestia custodire præcepta. Miles terrenus quocumque mittitur, paratus, ac promptus est, neque se uxoris, aut liberorum gratiâ excusare audet. Multo magis Christi Miles sine ulla tergiversatione Regis sui parere debet mandatis. Ille in prælio galeam ferream gestat. At tua Galea Christus sit, qui tuum est caput. Ille lorica, ne vulneretur, indutus est: sed tu pro loricâ sis fide Christi circumdatus. Ille contra adversarium suum mittit lanceam, & sagittas: tu contra adversarium Divina eloquia jaculare. Ille quam diu pugnatur arma à se non proijcit, ut ab adversario non vulneretur: tu fac similiter, cùm nunquam possis esse securus, quoniam tuus hostis, illius est hoste astutior. Ille, si hostem superaverit, domum gloriosus revertitur. Tu si hostem prostraveris in cæleste regnum cum omnibus sanctis intrabis. Post hæc, adjungit optimus Magister: ne implicet se negocijs secularibus militans DEO; cùm non possit unus idemque duobus Dominis servire. Tu autem considera, inquit, cui tu Regi te ad militandum probasti.

EX his, reor, demonstratum est abundè, quotquot in Ecclesiâ, Christiani titulo ornamur, sive *Laici*, sive *Clerici*, sive *Religiosi* simus, nomen Militiæ nos dedisse, & in summi Imperatoris verba jurasse, sacramento ejus omnes esse obligatos: accipere quotidie, si velimus, stipendium ære quolibet pretiosius, gratiæ: donativum expectare nos, quolibet congiario majus, gloriæ: meminisse quemlibet debere, se Militem esset Equitemne, an Peditem, suo loco, dicturi sumus: Militis titulum cuilibet stimulum esse debere ad fugiendam ignaviam, ad exantlandos labores, ad ærumnarum tolerantiam, negotiorum supervacaneorum fugam, promptitudinem ad religionis qualibet officia, & cum DEO CHRISTO in omnibus consentientem affectum: quæ continentur in Pauli monito illo divino, *Labora, sicut bonus* MILES CHRISTI JESU. Itaque, si salvi esse vultis, vivite, laborate, militate. Dominus JESUS CHRISTUS *Militiæ Christianæ*, quæ & spiritualis summus Imperator sit cum omnibus Vobis. AMEN.

NOTÆ.

In quibus Auctores, & Excerpta.

§. MILES CHRISTIANUS. Militia Christiana. Spiritualis. Pia. Moralis. Mystica. Divina. *Legendus* Ludouicus Fidelis *Nervius, qui scripsit librū de* Militia spirituali: *Item*, Gulielmus Pepinus *Sermone* I. *in Epist. Domin.* XXI. *post Trinitat. Extat etiam Enchiridium* Militis Christiani; *cujus est auctor* Erasmus Roterodamus. *Denique,* Robertus Valturius, *qui scripsit de re militari*, *& lib.* I. *cap.* 16. *recenset exempla severissimè punitorum ob inobedientiam.*

§. VICTORIA Imperatori DEO CHRISTO adscribenda:] *Dicit Miles Christianus cum Davide*, Tu es DEUS fortitudo mea. *Psalmo* XL II. 2. Fortitudo mea, & Laus mea Dominus. *Psal.* CXVII. 14. *Quocirca pugnaturus cum Goliatho Saulis arma rejecit, ne victoriæ gloria armis aliquatenus tribueretur, quam totaliter in Deum redundare volebat. Quod animadvertit sagaciter S. Basilius Seleuciæ Episcopus, qui oratione* XV. *in hunc modum loquitur:* David arma sibi oblata, tanquam victoriæ impedimenta exuit, recusat thoracem, galeam abjicit, scutum deponit, manum hastâ liberat, bellicam stolam excutit: stolâ pastoritiâ, & virgâ, ac perâ obarmatur; quibus eum rebus ad regnum promovit Gratia. Quasi hæc ad eum loqueretur: Nihil tibi ejusmodi opus armis, quæ partem GLORIÆ BELLICÆ sibi arrogent. Communicetur inter nos ô David!) belli decus; ne *Victoria gloriam* ad se trahat armorum potentia.

Persuadeat sibi Miles Christianus, post victoriam vinci, qui victoriam sibi, suis viribus, armisque suis adscribit. Ideoque semper dicat: FORTITUDO MEA & LAUS MEA DOMINUS.

LIBER III.

MAGISTRATUS MILITIÆ CHRISTIANÆ.

COMMENTATIO I.

IMPERATOR

MEMBRUM I.

Imperatoris militaris necessitas in castris, campo, conflictu, maxima.

IN Militiâ multitudo hominum ad bellandum idonea, quæ Exercitum constituit, tam non potest esse sine Duce, aut Imperatore, quàm consistere nequit, corpus animatum sine Capite, sine Præside Respublica, sine Sole mundus. Quare ubi est exercitus, Imperatorem Ducem-ve designare oportet. Cujus ille necessitatem expressisse videtur haud ineptè, qui dixit: legionem cervorum, quibus nihil ad bellandum est magis imbelle, Duce Leone, plus posse, quàm Leonum exercitum, Imperatore cervo. Nec absurdè pronunciavit alius: Militares copias in unum coactas, sine Duce, esse veluti vastam quandam belluam, absque capite. Vis enim omnis, & virtus, ab Imperatore, ut à capite, in manipulos, ceu corporis unius membra, derivatur. Addebat non nemo, Exercitum sine Imperatore, turbam esse: remigum multitudinem sine navarcho gubernante: corpus absque anima: homines absque vitâ: denique, Exercitum sine Duce, esse Leones sine oculis. Cæsar cùm in Hispaniam contra Petreium & Afranium Pompei legatos proficisceretur: *Vado*, inquiebat, *ad exercitum sine Duce*: nam firmas habebant legiones, ipsi imbelles. At, cùm in Thessaliam contra Pompeium tenderet. *Vado*, ajebat, *ad Ducem sine exercitu*: erant enim, qui militabant Pompeio, juvenes plerique, & tirones. Estque illud certum, Ducem bonum plus valere cum mediocri exercitu, quàm exercitum ingentem, absque Duce bono. Quod Scipio, Pompeius, Gracchus, Pelopidas,

Epaminondas, Romanos Græcosque suos; nostris temporibus eximij aliquot Duces, Germanos, Gallos, & Hispanos suos docuerunt.

QVARE prima cura fuit Romanis, ut bello suscepto, indictoque Dux eligeretur maximè idoneus. Quod præcipuâ quadam diligentiâ fiebat, tum à Senatu, qui non nisi Consules, aut Prætores, ad id munus designabat: tum à Populo, qui curiatis comitijs Imperium tradebat: id est, exercitus cogendi, gerendique belli potestatem, Imperio à populo curiatâ lege demandato, Senatus novo S.C. Provincias ordinabat (sic enim loquebantur) id est, quot legionibus res administranda esset, decernebat, ac stipendium in milites, viaticumque Imperatori comitibusque adsignabat. Duo autem sunt genera Ducum: *Primarij*, & *Secundarij*. Illi, qui *summa rei imperant, suisq; auspicijs & ductu rem gerunt*. Isti, qui *imperantis alterius nutu, sive jussu imperant, & suo saltem* Ductu *rem gerunt*. In primâ classe est IMPERATOR, & quivis Rex aut Princeps absolutus in suo solo. In alterâ ij, qui ab hoc constituuntur Administri bellorum, & legati. Qui quidem nulli essent, nisi Primarium auctoritate & imitatione quadamtenus exprimerent.

MEMBRVM II.

IMPERATOR MILITIÆ CHRISTIANÆ DEUS SABAOTH

Dominus Exercituum. Rex Virtutum. Princeps Fortitudinis.

HIS nominibus gaudet DEVS (*a*) noster, & munere Imperatorio, ut industriam nostram acuat, delectatur. Dixi, gaudere, quia inter decem illa celeberrima DEI nomina, unum est, DOMINVS SABAOTH, quo ex Isaia Propheta, utitur Paulus Apostolus. (*b*) Quod reddi ab aliquis solet, παντοκράτωρ, *Omnipotens*; ab alijs τῶν δυνάμεων, *virtutum*; ab Aquila τῶν στρατευμάτων, *Exercituum*; ac si diceres uno vocabulo, IMPERATOR. Et quoniam Imperator non est sine Exercitu, duplex illo genere DEO adscribitur: *Cælestis* & *Terrestris*. Ille in divinis litteris vocatur aliquando *Militia Cœli*, quæ, vel est spiritualis, & continet Angelos, dicique potest *Exercitus Angelicus*; vel corporea, tot numerans milites, quot sunt Stellæ, aut Sidera, ideoque nuncupari solet *Exercitus, Sidereus*, aut *Stellaris*. Terrestris constituitur potissimùm ex hominibus. Præter quos, ad Militiam DEI quoque spectat Creaturarum universitas: nam omnibus DEVS, tanquam Imperator supremus, utitur, velut militibus, ad debellandos inimicos, & amicos suos protegendos. Certè, initio Genesis (*c*) post enarratam Universi constitutionem, vice conclusionis, additur:

(a) *Psal. 23.10. Isaie 1.9. & 24.* (b) *Ad Romanos 9.29. Isaie 1.9. Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen.* (c) *Gen. 11. 1.* צבאם *Isabaam.*

additur: *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* In Hebræo est *vecal sebaam*, omnis *Exercitus* vel *Militia* eorum. Quod licet aliqui referant signatè ad Angelos, & Astra, quæ DEO militant, jussa illius faciunt, & suos ordines tuentur: & dicantur *Ornatus*, quia cælum summoperè exornant; tamen videtur mihi referri posse ad omnia quæ præcesserunt, id est, creaturarum multitudinem, sex dierum opificio ordinatam, tanquam aciem divinam exactissimè dispositam, quâ nihil cultius, pulchrius, atque perfectius unquam videbitur: nihil promptius, atque obedientius erit in ullâ Militiâ: nihil ad defendendum efficacius, nihil ad offendendum potentius excogitari potest.

DE hac Militiâ, & singulis ejus Exercitibus frequenter fit mentio in Divinis paginis. Libro tertio Reg. XXII. 19. *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem Exercitum cæli adsistentem ei à dextris, & à sinistris.* Quod repetitur lib. secundo Paralipomenon cap. XVIII. 18. & intelligitur de Angelis, qui DEO militant semper, eum glorificando, atque ad nutum ei obediendo, ut ex consequentibus colligitur. Iidem designantur Lucæ secundo, 13. ubi nominatur *Multitudo Militiæ cælestis laudantium DEUM.* Frequentius tamen in SS. *Exercitus* & *Militia cæli* accipitur pro Stellis aut Sideribus, quæ motu, luce, calore, influentijs DEO ministrantes, militant ordine & stato tempore, ac ad nutum sui Imperatoris arma expediunt contra ejus hostes, & promptè in aciem procedunt. Quomodo contra impios legimus de cælo dimicatum, quando cæli manentes in ordine, & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt, Judicum v. 20. Deuteronomij XVII. 3. *Vadant & serviant Dijs alienis, & adorent eos, Solem & Lunam, & omnem* Militiam cæli. Isaia XLV. 12. *Manus mea tetenderunt cælos, & omni* Militiæ *eorum mandavi.* Sophoniæ 1. 5. *Qui adorant super tecta* Militiam cæli. Esdræ lib II. cap. IX. 16. *Tu ipse Domine, solus, Tu fecisti cælum, & cælum cælorum, & omnem Exercitum eorum.* Huc facit, quod Stellæ & Sidera vocantur *Fortitudines*, *Virtutesq́ cælorum* à LXX. & Interprete Latino, quasi dicas *fortes*, seu *robora* cælorum, quoniam robur regni censentur copiæ militares. Psalmo XXXII. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & verbo oris ejus omnis* Virtus *eorum*. Psalmo CII. 21. *Benedicite Domino omnes* Virtutes *ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Lucæ XXI. 26. *Virtutes cælorum movebuntur.* Hinc Imperator DEUS, appellatur *Dominus virtutum.* Psalmo XXIII. 10 *Dominus* virtutum *ipse est Rex gloriæ.* Psal. XLVI. *Dominus* virtutum *nobiscum.* Psal. LXVII. 13. *Rex* Virtutum *dilecti, dilecti.*

ANALOGIA eadem Stellæ, quâ *Militia*, seu Exercitus cælestis, dicitur *fortitudo cæli*, & Imperator ejus, *Princeps fortitudinis* Danielis VIII. 9. *Egressum est cornu unum modicum, & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra* Fortitudinem. *Et magnificatum est usque*

ad Fortitudinem cæli, *& dejecit de* Fortitudine, *& de stellis, & conculcavit eas. Et usque ad* Principem Fortitudinis *magnificatum est.* Quo loco. *Fortitudo* prius nominata denotat Jerosolymam urbem terrarum munitissimam, potentissimamque; posterius verò, Exercitum, seu *Militiam*, hoc sensu: Non solùm prævalebit superbissimus Antiochus Epiphanes, de quo est sermo contra Jerosolymam, & homines: sed etiam contra cælum, ejusque *Militiam*, deijciet stellas, ac sidera, & dejecta pedibus proteret. Sic allegoricè intelligit Principes ac Pontifices Hebræorum, quos partim ad idololatriam perducturus, partim afflicturus, & occisurus erat. Quod summum arrogantiæ fuit, elevavit caput contra *Principem Fortitudinis*, Imperatorem Militiæ cælestis, tollendo *juge Sacrificium*, & deijciendo *locum sanctificationis ejus.* Sophoniæ I. 13. *Erit* Fortitudo *eorum in direptionem*, exponit S. Hieronymus *cadetur exercitus.* Psalmo XLIII. 10. *Non egredieris DEVS in* Virtutibus *nostris.* Id est: non egrediens cum exercitibus nostris: non procedes, ut Dux, & Imperator, acies nostras. Describitur autem DEUS, tanquam armatus Imperator elegantissimè à Sapiente. Qui postquam libri sui capite V. de Justis dixisset: *Dextera suâ teget eos, & brachio sancto suo defendet illos,* subjungit: *Accipiet armaturam Zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum: induet pro thorace Iustitiam: & accipiet pro galea judicium certum: sumet scutum inexpugnabile Æquitatem. Acuet autem duram Iram in lanceam & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* De quâ magni Imperatoris panopliâ, alijsque huc spectantibus, libro primo hujus voluminis est actum fusius.

MEMBRUM III.

IMPERATOR MILITIÆ CHRISTIANÆ JESUS-CHRISTUS.

Rex gloriæ. Faciens bellum. Potens in prælio.

IMPERATORIS quoq; nomen gerit, ac personam sustinet JESVS-CHRISTVS, à quo cognominatur *Christiana Militia.* De Christo Domino est illa Exercitus cælestis acclamatio: *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio,* Psalmo XXIII. 8. Chaldaicè in secundo membro est: *Dominus noster* Virtutis, *sive* Fortitudinis, *faciens bellum.* Est autem responsio ista, vel Davidis, quem ita quoque in inferno, cum illuc CHRISTVS descendit accinuisse comminiscitur Vincentius Bellavacensis; *(a)* vel Spiritus Sancti, ut placet D. Chrysostomo, *(b)* vel Christi ipsius quando ascendit tanquam Triumphator super sidera, ut Ju-

(a) *Lib. 7. cap. 60. p. hist.* (b) *Ser. 4. de Ascen.*

ut Julius Firmicus (*a*) tradit; vel ut passim Interpretes sentiunt, Angelorum, ad alios Angelos. Et olet nescio quid, tum acclamatio, tum responsio, militare, prout in triumphis usurpari solebat: nam ut ille canit: (*b*)

Consuevêre jocos nostri quoque ferre triumphi.

quasi Vates interrogatione illâ, in modum veluti jocantis, & imminuendo exaggerare volentis, dignitatem Imperatoris Christi declaret. Exponit autem accuratè S. Chrysostomus rationes illorum epithetorum, quatenus Christo ut Imperatori bellico conveniunt. Siquidem vicit Christus prælio: armavit se adversus tyrannidem Diaboli in humano corpore: tela ejus ignea extinxit: infernum spoliavit: victor evasit: resurrexit: errantem oviculam in humeris suis gaudens revexit. (*c*) Notat etiam S. Bernardus, Serm. x. ex parvis, vocari *Fortem* uno ex nominibus Emmanueli datis, Isaiæ ix. quia Milites suos in tribulatione protegit, & aëreas potestates arcet ab iisdem, ac repellit. Fortior est CHRISTUS Imperator forti illo quem superavit armatum, & spolia ejus diripuit, Lucæ xi. Tertullianus libro IV. contra Marcionem, cap. 20. legit, *Dominus validus, Dominus potens in bello*, & Christum militarem, armatumque Bellatorem adfirmat: qui bellum spirituale adversus hostes spiritales, spiritali militia, & spiritalibus armis spiritaliter gesserit, & capitalissimum generis humani inimicum debellaverit. Id autem præsignificatum fuisse in uno homine multitudine Dæmonum, qui se profitebantur *Legionem*, insesso Lucæ VIII. addit, cum ultimo hoste Morte præliatum egregiè, ac tandem, per trophæum Crucis triumphasse. Quod autem dicitur

POTENS: Græcè, δυνατὸς, juxta vim nominis Hebræi, significat *Robustum valdè*: quem appellant etiam *Heroëm*, qui viribus insignis multos facilè superat. (*d*) Talis fuit CHRISTUS JESUS, quo Imperatore gloriamur. Quem Origenes Adamantius existimat Imperatorio schemate apparuisse Josue, & dixisse: *Princeps sum exercitus Domini*, Josue v. verius est, Christi, ut Imperatoris figuram habuisse strenuissimum illum populi Hebraici Ducem, qui & nomine eundem exprimebat, ut alibi ostendimus. Imperator Militiæ nostræ est CHRISTUS-JESUS, sed non, qualem suum Messiam somniabant Hebræi, bella tantùm cruenta, triumphosque militares externos, mactatis hominibus quàm plurimis, concipientes: & sic accipientes *rubra ejus vestimenta*, nempe, hostium sanguine: gladium super femur chalybeum ex Psalmo XLIV. sagittas acutas: confractionem regum: capitum conquassationem: bellum cum Gog & Magog, Ezechielis XXXVIII. & IX. similiaque sexcenta, quæ in Codice sacro de bellicis facinoribus occurrunt Messiæ suo bellicoso per detortum sensum accommodantes, ut probatum est libro secundo. Adest quidem etiam suis Christus,

(a) *De errorib. relig. profana cap. 25.* (b) *Martial. lib. 1. epig. 5.*
(c) *Lucæ xv. 5. Matthæi XVIII. 12.* (d) δυνατὸς. גבור. *ghibbor. Heros.*

stus tanquam Imperator, in bellis externis ac corporalibus, & docet manus eorum ad prælium, ac digitos ad bellum, ut suo loco demonstrabitur; sed multo magis illum titulum habet ac tuetur in *Militiâ spirituali*, quæ *Christiana* vocatur magis arctè, & Theologicè: in quâ pugnatur contra hostes invisibiles; & inimicos animæ, contra *Mundum*, *Carnem*, *Cacodæmonem*, contra Principatus, & Potestates tartareos. *Nova bella elegit Dominus*, (*a*) quæ suos docuit, ejusdem contra seipsum, & contra intimos ac maximè necessarios, contra vitia & concupiscentias, contra affectus & perturbationes animi. IMPERATOR itaque in *Militia Christianâ* utraque est DEUS & JESUS-CHRISTUS. REX VIRTUTUM. DOMINUS EXERCITUUM. PRINCEPS FORTITUDINIS.

(a) *Iudicum* v. 37. *Nova bella elegit D.*

MEMBRUM IV.
CHRISTUS - JESUS
ob tres dotes Imperatorias soli ipsi proprias
IMPERATOR INCOMPARABILIS.

QUEMADMODUM ab illo MILITIA nostra cognominatur CHRISTIANA, ita ille est, qui exaggeratâ quadam ratione habet omnia ultitim, quæ in Duce supremo, seu Imperatore belli desiderati possunt, aut fingi: quo fit, ut nullus ei conferri queat, sitque simpliciter INCOMPARABILIS. Quæ-nam autem sunt ista? Non texam longiorem catalogum: nam ad tria, opinor, posse revocari universa. *Primum* est, Militibus omnibus ac singulis adesse: sicque coram ubique præesse. lustrare cuncta, ac videre immediatè. *Secundum*, Militis æquè ac Ducis partes strenuè agere. *Tertium*, Artem militarem suos, dum id usus postulat, docere. Profectò, præterquam quod Militi ingens sit solatium, est etiam præcipuum incitamentum, ad quodlibet facinus militare aggrediendum animosè, ac constanter perficiendum, si sciat, se, spectante, immò præsente Imperatore agere, illius omnia notante oculo minimè maligno observari; ex illius aspectu, quocumque se vertat, non abire. Augetur alacritas, si videat Imperatorem ipsum adhibere manum, esse primum in acie, circumvolitare exercitum, hortari segnes, inflammare animosos, timidos corripere; vibrare ensem, fistulam æneam exonerare, vallum conscendere, tormenta bellica dirigere, ariete muros quatere, ballistam portæ applicare, vigilias nocturnas disponere, primum in hostium castra irrumpere, ultimum è prælio excedere. Quod si idem cum Militibus suis exerceatur, & exerceat ipse suos: si tirones doceat, quomodo celeriter, & æqualiter sit ambulandum, quomodo in armis, sub signis decurrendum, quomodo

fossæ transiliendæ, quomodo telum jaciendum, quomodo sarissâ utendum, quomodo hostis feriendus, quomodo declinandus; denique, si suos, tanquam commilitones, instruat in omni re bellicâ. dici non potest, quantopere Miles ad omnem laborem perferendum, omnem expeditionem suscipiendam, omnem fortunam tentandam, decus omne militare promerendum exciterur, fitque promptus & paratus pro Duce, & cum Duce suo quidlibet, quocumque loco & tempore aggredi.

AN istiusmodi Imperator belli in Militiâ profanâ unquam fuerit, dubitari jure potest. Ego sanè grassatus haud ita pridem per Chaldæorum, Assyriorum, Persarum, Macedonum, Romanorum, & qui hos sequuti, Germanorum, Hispanorum, Gallorum, Britannorum, Italorum, Batavorum, ac Turcarum castra, neminem, vel è vivis videre potui, vel è mortuis, annalium fide celebratum reperi, qui tribus illis dotibus excelluerit. Fuerunt quidem aliqui, vel unâ, vel alterâ, paucissimi duabus insignes. Hoc sibi vendicat *Militia Christiana*, in quâ idem est *Archistrategus*, *Dux*, *Imperator*: idem omnia coràm videt, notat, administrat: Idem *Commilito*, omnium officiorum gnarus, omnium munerum particeps, & exequutor. Idem *Antesignanus* de die, stans ante signa in acie, idem *Circitor* noctu, vigilias recognoscens, optimus vigilum *Præfectus*: idem *Procubitor*, ante castra suorum excubans. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*, Psalmo cxx. Idem *Emissarius*, ad lacessendum hostem præcedens aciem: *Metator*, castra suis eligens, & designans: *Speculator*, adversariorum machinationes explorans. Idem *Primipilus*, & *Uragus*, primi & extremi ordinis *Ductor*. Idem *Signifer*, *Centurio*, *Tesserarius*. Idem *Pedes*, & *Eques*: levis & gravis armaturæ *Miles*: cataphractus & apertus. Idem annonæ *Structor*, *Conquisitor*, *Quæsitor*, *Remunerator*.

IDEM, militum vulneratorum *Visitator*, *Curator*, *Fidejussor*, ut liquet ex Evangelio de Samaritano. (*a*) Laudat mirificè Imperatorem suum Tacitus, quem scribit, (*b*) ut cladis memoriam comitate leniret, circuisse saucios, facta singulorum extulisse, vulnera fuisse intuitum; alium spe, alium gloriâ, cunctos colloquio, & curâ, sibi ac prælio firmavisse. At, quis unquam Imperator, videns jacentem militem, & appropians, ipse alligavit vulnera, ipse infudit oleum, & vinum, ipse vulneratum posuit in jumentum suum, ipse duxit in diversorium, ipse curam ejus egit, ipse hospiti commisit, & se soluturum omnia, quæ in gratiam ægri expolita fuerint, spopondit. Hæc fecit CHRISTVS. Idem *Commilito*, *Dux*, *Medicus*, *Chirurgus*, denique, idem *armorum Doctor*. Quis ex nobis qui Militiæ Sacræ nomen dedimus, sub tali Duce, detrectet arma sumere, in campum procedere, hosti occurrere, prælium inire, fortiter confligere? Quis metuat hostium castra aggredi, urbem inimicam obsidere, arces invadere? Quis non

(a) *Luca x.* (b) *Tac. lib. 1. Annal.*

animosus insiliat, dum classicum cani audit? dum ad expeditionem vocatur? dum à Duce suo in socium adsciscitur? dum in hostem ire, & confligere jubetur?

QVIS unquam diffidat, aut de victoriâ desperet, sive plenâ acie sit cum hostilibus copijs certandum, sive cum pauculis impressio sit facienda, sive monomachiâ concurrendum, sive denique cum numerosissimo Tartari ac Mundi exercitu, omnibusque illorum conjuratis manus sint conferendæ? Ducis nostri, verè Leonis de tribu Juda, licet nos cervis similes essemus, aut damis timidiores, CHRISTI, inquam, Ducis incomparabilis magisterium, auspicia, felicitas de victoria, in quolibet cum hoste nostro conflictu securos nos facit, modò illius institutioni manuductionique respondeamus. Verùm, ut omnibus innotescat, Imperatoris nostri, supra omnes alios, qui vel fuerunt unquam, vel eruditorum stylo effingi potuerunt, excellentia in re militari, demonstrabitur in loco copiosius, ac distinctius per partes, quod hic paucis, ac universè adfirmamus.

MEMBRVM V.
DEO & CHRISTO
Vt Imperatori supremo adscribenda victoria.

QUIS fructus, dicat aliquis, si mihi persuadeam, Militiæ nostræ Imperatorem esse DEVM & CHRISTVM? magnus profectò ac multiplex. Imprimis autem, cùm Imperator is dicatur, qui, ut Imperium, id est, jus belli gerendi habet, ita suis auspicijs rem gerit; si Christianis militibus animo obversetur DEVS & CHRISTVS Imperator; sive dum hostes corporeos in bello justo gloriosè superant; sive dum in Militia spirituali, vitiorum phalanges animosè invadunt, vel carnales Concupiscentias profligant, vel cum Voluptate bellum gerunt, ac superiores evadunt, non sibi, sed DEO & CHRISTO felicem dimicationis exitum adscribent: & dicent semper victores, quod cantavit armatus Rex David, Psalmo CXIII. *Non nobis, Domine, non nobis sed nomini tuo da gloriam.* Est enim illud tuitque semper apud gentes quaslibet observatum, ut cujus auspicijs bellum geritur, illi victoria, ac triumphus tribuatur. Et quidem qui DEVM verum sincerè coluerunt, sive Duces, sive milites, eundem, conflictu peracto, ut victorem venerati sunt.

CVM orante Mose, Dux fortissimus Josue fugasset Amalec, & percussisset populum in ore gladij Exodi XVII. id est, strage inter necina delevisset, quot voluit; *Ædificavit* Moses Princeps Reipub. Judaicæ *Altare, & vocavit nomen ejus; Dominus exaltatio mea.* Ex Hebræo verti potest, *Dominus est Vexillum meum:* nimirum, qui loco vexilli fuit exercitui; aut potius,

potius, qui Vexillum Imperatorum, & signa victricia in hostem intulit. Quocirca Josephus historicus scribit, Mosen illam Aram DEO VICTORI posuisse, ut Romani solebant post victoriam Jovi. Erat autem monumentum illud, & altare ad sacrificandum DEO Victori, & Trophæum Victoriæ, DEI titulum præferens qui erat: *Dominus exaltatio mea*: Originale Hebraicum sonat: *Dominus est Signum*, vel *Miraculum meum*: quo testetur, victoriam illam miraculosam contulisse DEUM, illique esse adscribendam, ut Chaldæus Interpres declarat. Sic, ut se gratam exhiberet Judith, mactato Holopherne, ejus Conopæum, tanquam anathema DEO victoriæ Auctori consecravit. *Iudith universa vasa bellica Holophernis, quæ dedit ei populus, & Conopæum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius obtulit in anathema oblivionis.* Cantavit autem, & cantari voluit à populo epinicium, non sibi, sed DEO, Victori-Invicto: *Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi Psalmum novum, exaltate & invocate nomen ejus. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi. Qui posuit castra sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum.* Judicum XV. & XVI. E Christianis laudatissimus Imperator, THEODOSIUS, (*a*) cùm ei victoria de Joanne Tyranno sedenti in theatro, & ludis Circensibus operam danti renunciaretur, ad populum vociferans, Agite, inquiebat, ludicro hoc omisso, in ædem precatoriam, DEI basilicam nos conferamus, & carmina gratiarum Auctori victoriæ DEO concinamus. Quod dixit, mox fecit, & ad templum cum populo se contulit, ac DEO laudes debitas persolvit. Eodem adfectu HENRICUS *Auceps*, (*b*) cùm nobilissimam contra Ungaros obtinuisse victoriam, postquam ejus exercitus benè institutus, solenni carmine *Kyrieeleison* ingeminando, identidem auxilium DEI implorasset, in laudes DEI, *Exercituum Domini*, resolutus, ejus gratiæ totam deputavit victoriam; probè intelligens, ejus auspicijs in justis Christianorum bellis rem geri, victoriam ab illo dependere, illius esse donum singulare; ac proinde, illum, ut supremum Imperatorem, præ oculis habendum, illius favorem religionis officijs aucupandum: illi magis, quàm humanis ullis viribus aut auxilijs fidendum.

QUÆ persuadere volens Regi Josaphato ejusque militibus Propheta Jahaziel, cùm insignem victoriam contra Mohabitas illi pollicitus esset, ita illum affatus est, libro 2. Paralipom. cap. 20. *Non eritis Vos, qui dimicabitis: sed tantummodò confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos: nolite timere. Cras egredemini contra eos, & Dominus erit vobiscum. Hæc autem dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed DEI. Cras descendetis contra eos.* Credidit Prophetæ *Iosaphat & Iuda & omnes habitatores Ierusalem.*

(a) *Nicephorus lib. 14. cap. 7.* (b) *Cranzius lib. 3. Sax.*

qui ceciderunt proni in terram coram Domino, & adoraverunt eum. Porrò, Levitæ laudabant Dominum DEUM Israël voce magna in excelsum. En Exercitum Sacerdotum opitularem, de quo aliàs. *Cùm autem manè surrexissent stans Iosaphat. in medio eorum,* dixit: *Audite me viri Iuda, & omnes habitatores Ierusalem: Credite in Domino DEO vestro, & securi eritis: Credite Prophetis ejus, & cuncta evenient prospera. Deditq; consilium populo, & statuit Cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent:* Confitemini *Domino, quoniam in æternum misericordia ejus.* Quid factum? Cùm cœpissent laudes canere, *vertit Dominus insidias* inimicorum *in semetipsos, & percussi sunt.* Quid Josaphat, & ejus exercitus? sibi ne, an Imperatori DEO dederunt gloriam, & adscripserunt victoriam? Postquam legissent opima spolia tam multa, ut omnia portare non possent; congregati sunt *in Valle benedictionis: etenim, quoniam ibi benedixerant Domino vocaverunt locum illum* Vallem benedictionis. *Reversusq; est omnis vir Iuda, & habitatores Ierusalem, & Iosaphat ante eos in Ierusalem cum lætitia magna; eò quòd dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis. Ingressiq; sunt in Ierusalem cum Psalterijs, & citharis, & tubis in Domum Domini.* Quis fuit fructus glorificationis, &c, quod omnia prospera Domino acceptum ferrent? *Irruit pavor Domini super universa regna terrarum, cùm audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos Israël. Quievitq; regnum Iosaphat, & præbuit ei DEUS pacem per circuitum.*

ITAQUE DEO, Imperatori supremo fidendum, non suis viribus. Ille si faveat, non metuas hostium multitudinem: cum paucis plurimos superabis. Quod certissimò sibi persuadens fortissimus JUDAS *Machabæus*, cùm milites ejus timerent, utpote pauci, ita, ut animaret, illos est alloquutus lib. 1. cap. 3. *Facile est concludi multos in manu paucorum: & non est differentia in conspectu DEI cæli liberare in multis, & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli sed de cælo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci, & superbia, ut disperdant nos, & uxores nostras & filios nostros, & ut spolient nos. Nos verò pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris. Et ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram: vos autem ne timueritis eos.* Quis animositatis hujus ex fiduciâ in DEUM effectus? *Ut cessavit loqui* Judas, *insiliit in eos subitò; & contritus est Seron, & exercitus ejus in conspectu ipsius: Et persequutus est eum* Machabæus: *& ceciderunt ex hostibus octingenti viri; reliqui autem fugerunt in terram Philisthiim. Et cecidit timor Iudæ ac fratrum ejus & formido super omnes gentes in circuitu eorum.* Hæc merces advocati in auxilium summi Imperatoris, & eximiæ in ipsum confidentiæ.

QUÆ commendanda est in CLOTHARIO (a) Rege Francorum, qui cum

(a) *Greg. Turon. lib. 4. cap. 16.*

cum Chramno rebelli filio dimicaturus, ad DEUM prius conversus, *Respice*, ajebat, *Domine de cælo, & judica caussam meam: quia à filio injustè injurias patior. Respice & judica justè, illudq; impone judicium, quod quondam inter Absalonem, & patrem ejus Davidem posuisti.* Fecit, quod petebatur DEUS judex justus, & fortis. Siquidem prælio, initio, Chramnus à Clothario captus fuit & occisus, Absaloni in vita ac morte simillim⁹. Quare prudens fuit monitum ex disciplinâ Christianorum militari, quod ALFONSUS Rex Aragonum dedit filio Ferdinando proficiscenti in bellum contra Florentinos, ut habet Panormitanus in vita. *Noli, ô fili, tantum tuæ aut commilitonum audaciæ tribuere, utputes, absque DEI auxilio victoriam ullam haberi posse. Victoria enim non hominum disciplinis, aut industriâ paratur, sed DEI Opt. Max. benignitate & arbitrio. DEUM igitur cole, & tibi concilia. Quod si quando eum tibi iratum suspicaberis: cave contendas: & quicquid ab eo tibi accidisse videbitur, boni consule, & patientiâ ac pænitentiâ eum placa.* Acris erat illa, sive invectiva, sive justa defensio animosissimi Ducis TRAIANI, qui ab Imperatore Valente, Catholicorum persequutore, missus contra Barbaros, cùm succubuisset, ideoque à Valente argueretur ignaviæ, caussam hanc infelicis prælij adduxit. *Non ego, Imperator, victus sum: sed Tu ipse perdidisti victoriam, qui contra DEUM aciem instruere non desinis; & ita ejus auxilium Barbaris concilias. Nam abs Te oppugnatus se illis adjungit. Atqui DEUM sequitur Victoria: & ad eos accedit, quibus DEUS se DUCEM præbet. Non nosti quos viros Ecclesijs expuleris: & quibus eas tradideris?*

AN non igitur DEO in rebus bellicis fidendum? An non illi, ut Imperatori summo omnis adscribenda victoria? illi Triumphus offerendus? illi epinicia, encomia, elogia, carmina occinenda? Quod non minus, immò multo magis necessarium est in bellis spiritualibus, contra hostes interiores, quàm in corporalibus contra exteriores. In Militiâ spirituali, fructum victoriæ omnem, & commoditates inde oriri solitas, omnem prædam, spolia, stipendia, donativa, & si quid est præterea istiusmodi ad suos milites facilè derivari DEUS patitur, sed sibi Soli Gloriam reservari præcipit. *Gloriam meam*, inquit, *alteri non dabo.* Isaiæ XLVIII. Caussam addiderat DEUS apud eundem Prophetam capite XLII. *Ego Dominus hoc est nomen meum*: Ego *Iehova*, *Imperator*, *Princeps fortitudinis*: idcirco Gloriam, quæ victoriam sequitur, alteri non dabo. Signatè dicitur *alteri*, non alicui, ne excludatur CHRISTVS, Imperator quoque noster. Huic enim suam Gloriam communicavit Pater, ut ipse profitetur Joannis XVII. Sed alteri: qui scilicet alterius est essentiæ, & naturæ, ut nos omnes sumus, ejus milites. Quibus victoriæ fructum, qui est pax & tranquillitas transcribit: sed gloriam sibi seponit. Hanc non affectemus, illa contenti *Tibi Domine, Tibi* Gloria *tua maneat illibata. Mecum benè agitur, si pa-*

cem habuero. inquit Victoriosissimus in Militia Christianâ Bernardus. (a) Qui illud versans animo & lingua, *Gloriam meam alteri non dabo*, quæ-rit solicitè: *Quid ergo dabis nobis, Domine, quid dabis nobis?* Et quasi re-spondenti: *Pacem do vobis, pacem relinquo vobis*: adplaudit, ingeminans: *Sufficit mihi: gratanter suscipio quod relinquis, & relinquo quod retines. Sic placet, sic mea interesse non dubito. Abjuro* GLORIAM *prorsus; ne fortè, si usurpavero non concessum, perdam meritò & oblatum. Pacem volo, pacem desidero, & nihil amplius. Cui non sufficit Pax, non sufficis* TU. *Tu es enim Pax nostra.* GLORIA *in excelsis* DEO, *& in terra* Pax *hominibus bonæ voluntatis.*

MEMBRUM VI.

MILES CHRISTIANUS

post benè fortiterq; patrata quam plurima. sit alienus. ab æstimatione sui, à sanctantia. ab inani gloria. fastu, & philautia.

MAGNOPERE cavendum est Christiano Militi, ne victorias ab hostibus reportatas sibi adscribat, ne honorem Imperatori, ob nomen subsidiaque debitum, decerpat, ne corporis, aut animi viribus præfidat, & glorietur, ut graviter monet Papa Gregorius. (*a*) Est hoc τῆς αὐτοφιλαυτίας vitium, ac superbiæ DEO invisæ; quæ facit, ut quis facillimè DEI signa deserat, & ad hostilia castra se conferat, vel ejiciatur. Alterutrum in hæreticis videre est, quos judicio Augustini, una omnes genuit mater Superbia. (*b*) Et qui de rebus Politicis scripserunt viri graves, ac eruditi, inter præcepta quæ dant administris Principum sive in pace sive in bello, & nominatim militaribus officiarijs, hoc minimè postremum existimant, & valdè abservandum, ut nihil ex gloriosè factis sibi adtribuant, sed omnia Principi. *Non ad famam tuam gestis exultes*, inquit Tacitus in Agricolo; *sed ad auctorem & Ducem, ut minister, fortunam referas. Hæc est conditio Regum*, scribit Æmilius Probus, *ut casus tantùm adversos hominibus* (sibi substitutis, consiliarijs, palatinis, belli ducibus) *tribuant, secundos fortunæ suæ*; prudentiæ, sapientiæ, fortitudini, molitioni suæ. *Luna esto*, monet non nemo ex recentioribus Politices Magistris, *& gloriæ tuæ, & omne lumen refunde illi Soli*, si sapis & gratus esse velis. Hoc Principes exigunt, hoc Regum est ingenium. Quod expressit in Philippo Macædone eleganter Demosthenes, de quo sic scribit Oratione ad Epist. Philip *Eum ita gloriæ cupidum esse dicunt familiares*, ut omnia

(a) *Lib. ult moral. cap. ult.* (b) *Lib. contra epistol. Fundamenti cap 6. lib. de Pastoribus cap. 8.*

omnia præclara facinora sua esse videri velit: & magis indignetur Ducibus, ac Præfectis, qui prosperè & laudabiliter aliquid gesserint, quàm ijs, qui infeliciter atque ignavè. Idem adfectus erat in filio ejus Alexandro, de quo Q. Curtius, lib. VI. *Alexander hostes vinci voluerat: Antipatrum vicisse ne tacitus quidem indignabatur; suæ demptum gloriæ existimans, quicquid cessisset alienæ.* Susurrant idipsum & instillant Antiocho Regi familiares palatini apud Livium, lib. XXXV. *Ipsam eam gloriam belli, quæ velut dote Annibal concilietur, nimiam in Præfecto regio esse. Regem conspici, Regem unum Ducem, unum Imperatorem videri debere.* Denique, hic Principum Regumque communis est sensus: vitiosus ille quidem, si nimis incitatus, & ex ambitione; ostendit tamen, quid ipsi in Milite suo desiderent: quod merito ac jure suo DEVS, *Regum Rex*, & supremus *Imperator* à Milite Christiano exposcit.

AGRIPPA duorum admonebat virum, (a) sive in togâ, sive sago Principi militantem; quæ compendium esse possunt præceptorum, in hoc genere militarium; unius, ut strenuè & fortiter agendo, difficultates rerum amoliretur: alterius, ut gloriam impositæ summæ manus, Principi relinqueret. Nimirum, sibi labores caperet: gloriam Domino transcriberet. Quæ necessaria sunt observatu Christiano Militi magis quàm mundano, aut ulli ex Aulicis Principum. Siquidem Imperatori DEO & CHRISTO, qui à se non avelluntur, quicquid præclarè agitur, non verbo solùm & ore, quod profani nonnunquam faciunt, sed corde etiam & factis tribuendum est. Commendat *Tacitus* Germanos hoc nomine, quod ad Principem suum referrent omnia. *Illum defendere, tueri, sua quaque fortia facta gloriæ ejus adsignare præcipuum sacramentum erat*, inquit historicus, lib. de moribus German. Simile quid habebant Gallorum DEVOTI, ut vocabantur. Imitandus esset Militi Christiano *Ioab* Magister militiæ Davidicæ, de quo Scriptor divinus libro Regum secundo, cap. 12. *Misit Ioab nuncios ad David dicens: Dimicavi adversus Rabbath, & capienda est Vrbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam, ne cùm à me vastata fuerit urbs, Nomini meo adscribatur Victoria.* Prudenter sanè.

ERGO breviter, quia Militiæ nostræ Imperator est DEVS, qui & CHRISTVS, gloria omnis partæ cujuscumque victoriæ, illi est vindicanda, & omnimodis adtribuenda. Dicendum semper cum Vate Regio Psalmo 43. *Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos. Non enim in gladio suo possederunt terram & brachium suum non salvavit eos. Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis. Tu es ipse Rex meus, & DEVS meus, qui mandas salutes Iacob. In Te inimicos nostros ventilabimus cornu: & in nomine tuo*

(a) Dio lib. 49. I. Lips. lib. 3. Polit. cap. 2.

tuo spernemus insurgentes in nos. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me. Salvasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti. Itaque, *in DEO laudabimur tota die, & in Nomine tuo confitebimur in seculum.* Quæ post Davidem usurparunt Christiani Principes, Constantini, Theodosij Mauritij, Henrici, Coroli, Ludovici, Stephani, & nostri temporis, si quis alius, FERDINANDUS II. qui in tot bellis, prælijs, victorijs, quibus DEO auspice potitus est, nihil sibi de gloriâ decerpsit, sed illam omnem semper supremo Imperatori transcripsit. cujus auspicijs & patrocinio fretus tam ardua ad DEI gloriam promovendam suscepit, & tam varia uno tempore perfecit, ut fidem vix apud posteritatem invenient.

MEMBRUM VII.

MILES CHRISTIANUS

nihil omninò potest, sine Imperatoris sui Auspicijs, Ope, Auxilio.

DUM DEUM CHRISTUMque, ut Imperatorem Militiæ Christianæ, cui nomen dedisti, contemplaris, in mentem tibi veniat necesse est, te non nisi illius auspicijs, præsidio, & adjutorio in bellis quicquam posse efficere. Est enim illud longè certissimum, non posse nos nostris viribus tantùm hostes saluti nostræ perpetuò insidiantes, & in omnem occasionem vigiles lacessere, nedum in fugam agere, aut prælio superare. Imperatoris ductu procedimus, Imperatoris ope hostilem aciem aggredimur: Imperatoris præsidio tentationibus ad peccatum protitantibus resistimus, insultus pravarum cogitationum sustinemus, *Mundi, Carnis, Cacodæmonis* insidias devitamus, vel vim infringimus, ac victoria potimur. DEUM, non ut Imperatorem considerabat Pelagius, impius & ingratus, hæresiarcha, qui Naturæ auspicijs fortiter se agere posse, & in fugam hostes convertere existimabat: ea propter exauctoratus illicò, & à Militiâ rejectus. Quod nobis quoque continget, si nostris vel alienis, ac non Imperatoris nostri viribus præfidamus. Stulta fuit superbia Constantij Imperatoris, de quo scribit Ammianus lib. XVI. eum edictis propositis, se solum, tametsi gestis non interfuisset, & dimicasse, & vicisse, & supplices Reges gentium erexisse, aliquoties enunciasse. O vanitas, & deliratio! quomodo hæc in illum conveniant, qui nec præsens fuerat, nec militibus vires addiderat, nec manus ad dimicandum erudierat, nec vitalem illis influxum communicaverat, nec in ijs pugnarat? Verissimè autem Imperator noster DEUS, cujus nos in superandis hostibus animata sumus organa, dicat & profiteatur, quoniam præsentissimus fuit omnibus, se dimicasse, se fugasse, se vicisse.

HANC persuasionem vult nobis medullitus inhærere, dum bella Domini bellamus Imperator noster. Quo fine olim, cùm fortissimus Dux GEDEON pugnaturus contra Madianitas amplissimum haberet exercitum, præcepissetque DEUS quam plurimos ablegari, ut paucissimi totam molem sustinerent, caussam addebat: *Ne glorietur contra me Israël, & dicat: meis viribus liberatus sum*, Judicum VII. Hebræa sonant: ne seipsum jactet, ne se gloriosum faciat, ostentet, dicatque: *Manus mea salvavit me*: manus autem in arcano sermone pro virtute, potentia, ac dexteritate usurpatur. Non vult Imperator DEUS, hominem habere ullam de suis viribus gloriandi ansam, ullam se extollendi. Graviter *Salvianus* Episcopus Massiliensis in dissertationibus de Providentia divina, postquam docuisset, voluisse non raro DEUM res magnas geri per paucos, & infirmos, ne opus cælestis dexteræ virtuti adsignaretur humanæ, illudque produxisset, post imminutionem exercitus Gedeonici à DEO prolatum: *Ne glorietur contra me Israël, & dicat, viribus meis liberatus sum*; hanc adjungit contra præfidentes invectivam. lib. VII. *Audiant hoc omnes improbi, audiant omnes præsumptuosi, audiant prapotentes, audiant cuncti quid DEVS dicit, audiant omnes contraria & blasphema tractantes, audiant hac spem suam in homine ponentes: loqui adversus se DEVS dicit, qui liberari se viribus suis posse præsumunt.* Et paullò post: *Si quando nobis prosperi aliquid, præter spem nostram, & meritum, DEVS tribuit, alius adscribit hoc Fortunæ, & alius Eventui, alius ordinationi Ducum, alius consilio, alius magistro, alius patrocinio. nullus DEO. Et miramur, si nobis cælestis manus aliqua non præstet, cui quicquid præstiterit, derogamus? Quid enim aliud facimus, cùm bona quæ præstat, nos vel eventibus casuum. vel virtutibus Ducum, vel quibuscumque alijs rebus frivolis deputamus?*

QUI superioris seculi memoriam animo repetit, & rerum militarium aliquam habet ex lectione historiæ notitiam, non potest non vel miserari sortem Christianorum, aut Catholicorum, iniquam dicere non audeo, acerbam adfirmo, vel indignari quibusdam Capitibus, vel obstupescere infelicissimos, post apparatum incredibilem, eventus. Erant multa millia lectissimorum militum, Duces fortissimi, & experientiâ clari, commeatus abundantissimus, instrumenta bellica omnis generis, belli nervus copiosissimus, alacritas Ducum, animositas bellatorum: quid desiderari posset? Ubi, quæso? in Pannonia contra Turcam, in terra contra hostes Atheos, in mari contra Anglos hereticos. Et tamen, vel re infecta redibāt dissipati Christiani; vel nullo operæ pretio facto, desidebant Catholici; vel ignominiosè hostibus terga dabant, vel internecione delebantur utrique. Quæ caussa? fingant alia Politici: capitalem dicere posset fuisse, Divinorum contemplator judiciorū, quod multi DEVM, ut Imperatorem, non ut par erat venerarētur, quod suis viribus, non illius auspicijs, se superiores fore confiderent, quod

illud fortasse tacitè immurmurent, aut facto testarentur : Non Tibi, Domine, non Tibi, sed Nomini nostro dabimus gloriam. Sunt in manibus duæ, sive orationes, sive conciones Joannis Olorij (a) è nostrâ Societate illustris Ecclesiastæ Hispani, quas ille habuit cùm Hispani redirent à bello contra Anglos hæreticos, re omninò infectâ, post classem illam, cui parem multa non viderunt lustra, fortasse nec secula, dissipatam : in posteriore, cùm illud perpendit, & admirabundi affectu versat: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quam petierint, fiet illis à Patre meo.* Matth. XVIII. quærit solicitè, cur, cùm non duo tantùm, sed millia millium consenserint & supplices DEO facti fuerint, ut victores essent, nihil obtinuerint. Oravimus, sed non impetravimus.

RESPONDET Orator, ne desperarent milites: dilatam esse victoriam, non negatam. Dilationis caussam dat, ut, cùm concessa fuerit victoria, „ DEO adscribatur, non potentiæ nostræ. *Vidimus*, inquit, *nos in omni-* „ *bus superiores inimicis*. Ita profectò erat. Superabant Hispani viris, ar- „ mis, apparatu: rem confectam putavimus, fidentes viribus nostris. Si „ victoria parta fuisset, quid diceret humana superbia, *Manus nostra ex-* „ *celsa, & non Dominus fecit hæc omnia* (b) Quomodo poterant An- „ gli resistere tantæ potentiæ ? Hæc diceremus saltem corde, & forsan „ ore: hoc autem non expedit nobis: immò, expediens est, ut dicamus. (c) *Non enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos: Sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. In Te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Ut hoc dicamus, pergit Exhor- „ tator, consolatorque dissipatorum militum, ut hoc partâ victoriâ con- „ fiteamur, ne in robore nostro bella consistere putemus ; quod magis „ nobis expediebat, quàm ipsa victoria, quid præstitit DEVS ? distulit vi- „ ctoriam, quæ nobis non esset proficua, donec hoc agnosceremus. Da- „ bit hoc agnito. Ostendit nobis DEVS hoc facto: nos non sufficere, ne, „ cùm factum erit, nobis adscribatur victoria.

MONITVM est præclarum Deuteronomij VIII. *Observa & cave, ne obliviscaris Domini DEI tui, qui postquam afflixit ac probavit, ad extremum misertus est tui, ne diceres in corde tuo :* Fortitudo mea & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt. *Sed recorderis Domini DEI tui, quod ipse vires tibi præbuerit.* Utinam hoc quilibet etiam faceret in *Militia spirituali*, in quâ strages eduntur miserabiles, quia sibi tribuunt aliqui, quod est DEI, & non recordantur Domini DEI sui, quod ipse vires ijs dederit. Est videre interdum adolescentem, aut virum, omnibus naturæ donis instructissimum, à divinis charismatibus perpolitum, magnis præditum gratiæ cælestis subsidijs, firmum multo tempore & victoriosum, post plurima prælia, ac debellatum sæpe hostem, à debili occasionum agmine, aut tentationum

(a) *Tom.* IV. *Concionum in Sylva p.* 41. (b) *Deut.* 32. (c) *Psal.* 43.

cationum non valdè gravium cuneo in fugam agi, sauciari, in servitutem redigi, servitutem deterrimam Cupiditatis, Peccati, & Cacodæmonis. Inde gravissima committere scelera, deserere virtutum officia, Religione per apostasiam egredi, bellum quoque, quod est maximè abominandum, Ecclesiæ indicere. An-non tales superioris ævi hæresiarchæ, Lutherus, Calvinus, Bucerus, & ante illos innumeri, hostes capitalissimi Religionis orthodoxæ? Audivimus annis aliquot elapsis, & horruimus, virum sexagenarium, Archiepiscopum Spalatensnm, (a) Dalmatiæ Primatem, qui diu in Ecclesiâ Catholicâ, sub Christi vexillo stipendia fecerat, qui in Ordine Religioso DEO militaverat, & qui in *Militiâ Ecclesiasticâ* per omnes munerum gradus, ad proximum summo pervenerat, ab ingenio eruditione, agendi dexteritate commendatum, post viginti annos in Episcopatu transactos, à Cacodæmonis satellitio, id est, vitiorum agmine, tentationumque, ut mihi quidem videtur, post diligentem lectionem caussarum, quas defectioni suæ prætexit miser, puerilium penè, superatum, in fugam actum, adversariorum signa sequutum Militiæ Cacodæmonis se addixisse. Profugiens enim in Angliam ad Lutheranos, & Calvinistas ibidem Hæresi fidem addixit Ecclesiæ DEI infidelis. Quæ caussa, in tanto, ut videre poterat, Heroë imbecillitatis, aut væcordiæ? Dum miles erat in Christi castris, quantum ex scriptis ejus colligere potui, non Imperatoris sui, sed suis potius nitebatur viribus. Itaque cecidit ab hoste impare victus. Similia exempla fugitivorum, tum ex Ecclesiâ, tum è Religioso statu sunt plurima, apud veteres recentesque scriptores, quibus stabilitur, DEVM deserere militem, qui alterius ope, & suis præsertim viribus hostem se superare posse existimat, ut *non glorietur omnis caro*, (b) ac dicat quilibet: (c) *Regi seculorum immortali & invisibili*, SOLI DEO HONOR & GLORIA.

(a) *M. Antonius de Dominis Anno 1618.* (b) *1. Corinth. 1. 31.* (c) *1. ad Timoth. 1. 17.*

MEMBRVM VIII.
NOMEN IMPERATORIS acclamandum, ante prælium, in prælio, post prælium.

SI Imperatorem Militiæ nostræ agnoscimus DEVM ac JESVM, ejusq; nos semper egere ac pugnare præsidijs, sequitur inde, nunquam nobis eundum esse in hostem, nunquam suscipiendam expeditionem ullam, pugnandum nunquam, nisi ejus inclamato, & invocato nomine. Usitatum olim fuisse, ut Imperatorum nomina invocarentur à milite initio maximè prælij ex historiâ notum est. Sic Justinus lib. XXIV de Macedonibus narrat, solitos Imperatorum nomina pro Numinibus in prælijs accla-

mare. *Nunc*, ait, *orbitatem amissorum filiorum dolebant, nunc excidia urbium metuebant, nunc Alexandri, Philippiq; Regum suorum nomina, sicuti Numina, in auxilium vocabant.* De Germanis Tacitus testis est, ubi mores ipsorum describit, memorare solitos, fuisse apud se Herculem, *primumq; omnium*, inquit, *ituri in prælia canunt*: nimirum, appellantes *Herculem*, ut ejus nomine animarentur in pugnam: cum cantu incipiebant pugnam Germani, ingeminantes magno confusoque sermone suum Herculem. Faciebant id Germani & gentes aliæ, ut virorum fortium apud se & hostes celebrium terrerent adversarios, magnis illis, quasi Numinibus objectis, quorum opem præsto sibi futuram invocantes non dubitabant, hostes ominari poterant. Faciebant idem, ut socios memoriâ magnanimorum illorum Heroum, & spe præsentis auxilij ad congressum animarēt.

HEBRÆI quoniam summum Militiæ suæ Imperatorem profitebantur esse DEUM, nomen illius acclamabant, eoque hostes terrebant, & suos ad pugnam incitabant. Ita Machabæorum secundo, capite XII. *Illis, qui cum Esdrin erant diutius pugnantibus, & fatigatis, invocavit Iudas* Dominum Adjutorem & Ducem *belli fieri. incipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incussit.* In eodem libro capite 8. hæc præcesserant, ad institutum nostrum accommodata. Cùm Judas in Joppitas moveret, ob crudelitatem in Judæos patratam, *Invocato justo Iudice DEO*, eos adgressus est, & superavit. Aggressus idem Judas Arabes, cùm pugna valida fieret, *Auxilio DEI prosperè* cesserunt omnia victiq; sunt Arabes. Castra deinde movens, & obsidione cingens *civitatem quandam firmam, pontibus, murisq; circumseptam, quæ à turbis habitabatur* Gentium *promiscuarum, cui nomen Casphin. Hi verò qui intus erant confidentes in stabilitate loci, ac murorum, & apparatu alimoniarum, remissius agebant, lacessentes Iudam, & blasphemantes, ac loquentes quæ fas non est. Machabæus autem* INVOCATO magno mundi Principe, *qui sine arietibus & machinis, temporibus Iesu, præcipitavit Iericho, irruit ferociter muris, & capta est civitas per Domini voluntatem.* Adhæc Machabæus ,, ordinatis circum se sex millibus, & constitutis per cohortes, adversus ,, Timotheum processit, habentem secum centum viginti millia peditum, ,, equitum duo millia quingentos. Cùmque cohors Judæ prima apparuisset, *timor hostibus incussus est ex præsentia DEI, qui universa conspicit, & in fugam versi sunt alius ab alio, ita ut magis à suis deijcerentur, & gladiorum suorum ictibus debilitarentur.* Deinde *movit exercitum ad Ephron, civitatem munitam, in qua multitudo diversarum Gentium habitabat, & robusti juvenes pro muris consistentes fortiter repugnabant: in hac autem machinæ multa & telorum erat apparatus. Sed cùm Omnipotentem* INVOCASSENT, *qui potestate suâ vires hostium confringit, ceperunt civitatem, & ex eis, qui intus erant viginti quinque millia prostraverunt.*

Hæc

HÆC *Invocatio* bellicosissimo Davidi fuit solennis in omnibus prælijs. Hinc illud Psalmi XIX. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini DEI nostri* INVOCABIMVS. *Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus.* Quid est autem *Invocare Nomen Domini DEI?* nisi Dominum Nomine suo, tanquam summum Imperatorem initio prælij, & deinde cum flaccessit miles, in auxilium vocare? illudque protestari frequentius. *(a) In Te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in* NOMINE *tuo spernemus insurgentes in nobis.* Nam ad ejus Nominis compellationem corruent hostes, & consternabuntur. Est enim *Nomen* ejus Gentibus horribile: *Rex magnus: Ego dicit Dominus exercituum, &* NOMEN *meum horribile in Gentibus*, Malachiæ *(b)* primo cap.

QVOCIRCA laudandus est ille *alalagmus*, quo Hungari Catholici, omniumque maximè Poloni etiamnum utuntur, dum ante prælium contentissimis vocibus inclamant salutare JESU Nomen, ut est in Polonico libello Lituanicæ victoriæ, quæ contigit, Anno M. DC. V. In bello Alfonsi Congi Principis contra fratrem rebellem Christiani armati inermesque, sublato pariter clamore, JESVM DEVM & S. JACOBVM, ex disciplinâ Lusitanicâ ingeminarunt, ac victoriam consequuti sunt, ut Joan. Petrus Masseius narrat. Sicut etiam Britones Christiani per *Alleluja* hostes fugarunt. *(c)* Et Henricus Auceps per *Kyrieeleison*, adversarios devicit. *(d)* Reprehendit autem gravissimus auctor, Arias Montanus morem illum, quo in bellis, præsertim dum res cedit è voto, acclamantur nationis nomina: *Espanna, Espanna: Francia, Francia: Italia, Italia:* perinde, inquit, quasi vel horum nominum efficientia, vel Nationis virtute, ac non potius voluntate & providentiâ DEI conficerentur omnia, quæ ubique fiunt fieriq; possunt; nedum ea, quæ ad singularem divinæ Providentiæ, Potentiæ, ac peculiaris protectionis, probationem pertinent.

MILITIBVS igitur CHRISTIANIS Imperatoris sui Nomen in bello quolibet, ad initium præcipuè conflictus, acclamandum est, illudque usurpandum: *DEVS in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.* Quotiescumque Juris Civilis primam partem, quæ *Digesta*, ut vocant, complectitur, in manus sumo, oblectat me mirificè Imperatoris Justiniani in hac re submissio, ac Christiano digna Principe confessio. Sic enim scribit Triboniano Quæstori, cui mandat, ut Pandectæ colligantur. *DEO auctore nostrum gubernante Imperium, quod nobis à cælesti Majestate traditum est, & bella feliciter peragimus & pacem decoramus, & statum Reipublicæ sustentamus; & ita nostros animos ad DEI Omnipotentis erigimus adjutorium, ut neque armis confidamus, neque nostris militibus, neque bellorum Ducibus, vel nostro ingenio, sed omnem spem ad solam referamus*

(a) *Psalm. 43. 6.* (b) *Malachiæ 1. 14.* (c) *Beda lib. 1. cap. 20.* (d) *Cranz. lib. 3. cap. 8.*

summa Providentiam TRINITATIS. Institutiones autem Juris Civilis ita orditur idem Imperator, dignus sanè, quem in omni operum exordio imitemur: *In Nomine Domini Nostri* JESV CHRISTI, *Imperator Cæsar Iustinianus.*

AD Nominis DEI JESUque invocationem tremore hostes nostri externi, internique, & hi maximè, dissolventur. Certè, quod dicit Paulus Apostolus ad Philippenses secundo: *Vt in nomine IESV omne genu flectatur, Cælestium, terrestrium & infernorum*, significat bonorum Interpretum sensu, tantam inesse virtutem in Imperatoris nostri Nomine, ut eo audito, inferi contremiscant, & quotquot ejus sunt hostes, solutis genibus in terram concidant tremebundi. Flecti autem genua, vel solvi, consternari ac debilitari, est animi dedititij symbolum. Quod etiam Cælestes ad genua provolvendos dicit Apostolus, haud malè ad dedititiorum morem refertur: quoniam ipsi quoque, Christum Regem & Imperatorem suum adorantes humillimè venerantur. Et est profectò vis planè admirabilis in Imperatoris nostri Nomine ad hostes perterrefaciendos, & momento subvertendos. Quod exemplis plurimis superius est confirmatum.

MEMBRUM IX
JESU CHRISTI
quà Imperatoris Militaris, cogitatio, fiduciam in prælijs spiritualibus admirandum ingenerat.

COGITARE seriò Militiæ sacræ Imperatorem esse CHRISTUM JESUM eundemque DEUM, qui, & potest hostes omnes superare, &, quâ est benevolentiâ, vult suis esse præsidio, firmat animum Militis Christiani, & fiduciâ roborat in omnibus præliorum discriminibus. Hunc fructum carpebat D. *Bernardus* ex contemplatione CHRISTI, tanquam belli Ducis, & Imperatoris. Sic enim vix natum in stabulo considerabat.
„ Jam adversus hostes tuos dimicat, Christiane Miles: jam superborum
„ & sublimium colla, tanquam DEI virtus, & Sapientia calcat. Duo sunt
„ tibi hostes, *Peccatum* & *Mors*: id est, Mors corporis & animæ. Utrum-
„ que debellaturus advenit: ab utroque salvabit te. Noli timere. Et jam
„ quidem *Peccatum* in propria persona vicit, quando humanam naturam
„ sine ulla contagione suscepit. Grandis enim Peccato facta est violen-
„ tia; & revera expugnatum esse cognoscitur, quando natura, quam se
„ totam infecisse, & occupasse gloriabatur, ab eo penitus aliena in Chri-
„ sto inventa est. De hinc persequetur inimicos tuos, & comprehendet
„ eos, nec convertetur, donec deficiant. Contra *Peccatum* dimicans in
„ conversatione sua verbis pariter & exemplis oppugnat: sed impressione
„ sua alligat illud; alligat planè fortem, & diripit vasa ejus.

EODEM verò ordine *Mortem* quoque superat: prius in se ipso, cum „ resurgit, *Primitiæ dormientium*, & *Primogenitus mortuorum*; postmo- „ dum debellaturus eam pariter in omnibus nobis: quando videlicet sus- „ citabit mortalia corpora nostra, & destruetur novissima inimica *Mors*. „ Propterea enim resurgens decorem indutus est; non sicut antea nascens „ pannis involutus est. Propterea qui prius sinu misericordiæ affluebat „ non judicans quemquam, resurgens præcinxit se, & justitiæ cingulo vi- „ detur quodammodo effluentem sinum misericordiæ collegisse: quo „ niam ex tunc præparatur ad judicium, quod in nostrâ resurrectione fu- „ turum est. „

(a) *S. Bernard Serm. 1. de Nativitate D.*

MEMBRUM X.
JESU CHRISTI
quà Imperatoris Militaris, meditatio ad imitationem efficaciter exstimulat.

ALIUM fructum, eumque saluberrimum ex consideratione Christi, ut Imperatoris Bellici colligebat *S. Ignatius Loyola* Ordinis nostri parens, cujus est pia meditatio in libello Exercitiorum spiritualium præferens titulum: *Contemplatio Regni* JESU CHRISTI *ex similitudine Regis terreni subditos suos evocantis ad bellum.* Proponit autem in eâ spiritualis ille Exercitator ob oculos Regem quendam humanum, divinitus electum, cui Principes, & populi omnes fideles reverentiam & obsequium præstare debeant. Tum jubet, ut imaginatione fingatur, haud secus ac si audiretur, Regem illum Milites mox conscribendos in hunc modum alloqui. In animo est mihi regiones infidelium universas ditioni meæ subjicere. Quicumque igitur comitari me apud se constituit, paratus sit oportet, non alio uti victu, vestitu, rebusque alijs, quàm me utentem conspexerit. In ijsdem quoque laboribus, vigilijs, & casibus quibuscumque mecum persistendum erit, ut particeps fiat victoriæ, & felicitatis unusquisque, prout laborum, ac molestiarum socius extiterit. Tandem præscribit, ut consideret quilibet, quid-nam respondere deceat amantissimo liberalissimoque Imperatori ad bellum tam justum, conditionibus æquissimis invitanti; & quàm promptè ad omnem ejus voluntatem se offerre accinctos debeant, quibus generosum est pectus. Contra verò, si quis non obaudiret, quanto is apud omnes vituperio dignus esset, & quàm ignavus Miles æstimandus. Post hæc singula Christo Domino accommodat, & ita ratiocinatur.

Si terrenus ille Imp[illegible] hac bellicâ suâ evocatione dignus est, cui at-

tentio & obsequium præstetur, quanto magis Christus, Rex Regnum, Æternus, Imperator summus, & mundo conspicuus universo, qui singulos „ his invitat verbis. Mea hæc est justissima voluntas, totius Mundi domi„ num mihi vendicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum „ in Patris mei Gloriam intrare: proinde, quisquis eò mecum venire cu„ pit, laboret mecum necesse est: labori enim præmium respondebit Ad„ jungit autem Exercitator, neminem sanæ mentis fore, qui non cupidis„ simè Christi servitio se totum offerat & addicat. Illos autem, qui se Im„ peratorijs obsequijs prorsus duxerint mancipandos, non seipsos tantùm „ ad laborum tolerantiam, verùm etiam majora & præclariora munera „ oblaturos esse expugnatâ Carnis, sensuum, Amorisque proprij rebellio„ ne, Christique, ut Imperatoris, maximè perfectam imitationem am„ plexuros.

In hac Contemplatione, sunt plurimæ optimi Imperatoris conditiones, quæ meritò moveant non ignavum Militem, ut se totum potestati tanti Principis committat, & exercitationibus militaribus se erudiendum tradat. Et primò quod sit *Æternus*, quippe DEVS. Permagni autem interest vitam Imperatoris, in quâ spes militum, & victoria plerumque consistit, in tuto esse. Certum nobis est, Imperatorem nostrum in prælio non occubiturum. *Christus* sive quà DEVS, sive quà homo, *jam non moritur: mors ei ultra non dominabitur.* Quod plurimum refert ad certam victoriam obtinendam, ad quam interdum conferre solet non parum, artificio inducta Imperatoris demortui vita: ea propter si cadat in prælio, vel corpus è conspectu militum subducitur, vel soleiter mors celatur. Deinde, idem est *Imperator Maximus*, & celeberrimus, quippe toti mundo conspicuus. Præterea, non voluntate solùm eligentium, sed naturâ. Solet autem major esse caritas & subditorum in genitum, ac sanguine Principem, & Principis in subditos, certo, ac vetere jure suos. Adhæc, nos illi obstricti sumus, ac subditi non solùm regiminis jure, sed & procreationis ac Redemptionis. Denique, illud est planè singulare, quod sit præsens in omnibus expeditionibus, & intersit omnibus prælijs, spectator & adjutor. Imperatores olim, & etiamnum, vel DVCTV, vel AVSPICIIS rem gerunt, & multum facere videntur, si Fortunam suam commodent exercitui. De Augusto Cæsare scribit Suetonius, capite XXV. *Domuit partim* Ductu, *partim* Auspicijs *suis.* Ductu, *quando interfuit:* Auspicijs, *cùm illo mandante, alius; & Fortunam ac Deos suos*, ita loquebantur Gentiles, *commodante.* Hoc intuitu Horatius ad Augustum de privignis Imperatoris, Lib. IV. Ode 14.

Te copias, Te consilium, & tuos
Præbente Divos. ——————

significat, ipsos duxisse, & jussisse, sed auspicijs suis. Ad eundem Imperatorem de Tiberio Ovid. lib. 2. Trist.

Per

Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas.
Auspicium cui das grande, Deosq; tuos.

Alexander quoque, licet ubique præsens esse conaretur, non potuit tamen: idcircò fatetur apud Curtium lib. VI. *Quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioq; perdomui.* Atque nostro tempore sæpius Auspicijs, quàm Ductu bella gesserunt Imperatores aliquot, inter quos aliqui nunquam armati in acie sunt visi. Quod in Honorio Imperatore sugillarunt olim nonnulli, qui objiciebant: nunquam fuisse visum in procinctu, per suos duces bella gerentem. Sed ejus patrocinium suscepit Cæsar Baronius, Anno Christi DXXIII. demonstrans, id à Rege non requiri: certè, non semper requiritur: & nonnunquam expedit Imperatorem *Auspicijs* tantùm pugnare. Et quidem Imperatorum Christianorum nullus est repertus qui plures tyrannos deleverit, quàm Honorius per suos Duces. Nullus etiam felicius pugnavit contra Religionis hostes, *Auspicijs* tantùm suis quam FERDINANDVS II. AVSTRIACVS.

CHRISTVS autem omnia *Ductu* quoque suo agit, omnibus prælijs interest, nunquam absens. Nec hortatur nisi ad ea, quæ ipse primus aggreditur: primus ipse ad labores se confert, primus difficillima pertentat, acerbissima quæque sibi adsumens. Efficacissima fuit illa Gedeonis cohortatio cùm in Madianitas duceret: Judicum VII. 17. *Quod me facere videritis hoc facite.* Idem semper sibi fidis ingerebat Imperator noster CHRISTVS. Nam alium sensum non habent ista Matthæi XVI. 24. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde* Matthæi XI. 23. *Ecce ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur,* Marci X. 33. præcedo, sequimini. Quod me videbitis facere, facite. Incredibile est quantum faciant, *Præsentia*, & *Exemplum* Imperatoris, ut in alijs: nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

tum in bellis potissimùm. Macedones olim ab Illyrijs superati, Regem in cunis prætulerunt ad prælium, quo facto docebant victores, non tam requiri virtutem in exercitu, quàm præsentem Imperatorem. Eodem strata-gemate victrix evasit animosissima *Fredegundis* Franca Clotarij Regis mater, *(a)* ut suo loco narratum fusius. Non est, quod nos fingamus, habemus præsentem Imperatorem: ille in aspectu, ille in oculis, modò eos non claudamus, versatur omnium. Notat & designat ad decus & dignitatem unumque nostrum. Felices nimium, quod talis nobis Imperator contigit, testisque virtutis: immò, felices amplius, si nos illius præsentiâ dignos præstemus.

(a) *Aimonius lib. 3. cap. 81. Ado ætate 6.*

MEMBRUM XI.
JESU CHRISTI
quà Imperatoris Militaris recèns nati conspectus, incitat, incendit, animat.

ALIQUEM etiam fructum percipit Miles Christianus ex contemplatione CHRISTI ut Imperatoris sui, quam ingeniosè ita formavit S. Fulgentius Episcopus Ruspensis in sermone de S. Stephano. Heri ,, celebravimus temporalem sempiterni Regis natalem: hodie celebra- ,, mus triumphalem Militis passionem. Heri enim Rex noster trabeâ car- ,, nis indutus de aulâ uteri virginalis egrediens, visitare dignatus est mun- ,, dum. Hodie Miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator mi- ,, gravit ad cælum. Ille sempiternæ Deitatis Majestate servata servile cin- ,, ctorium carnis adsumens in hujus seculi campum pugnaturus intravit: ,, iste depositis corruptibilibus corporis indumentis, ad cæli palatium pe- ,, renniter regnaturus ascendit. Ille descendit carne velatus: iste ascendit ,, sanguine laureatus. Heri Dominus exivit de utero Virginis: hodie Mi- ,, les egressus est de ergastulo carnis. Humiliavit se Rex noster, ut suos ,, Milites exaltaret.

MEMBRUM XII.
JESUS-CHRISTUS
quà Imperator Militaris gratiosus, Militum animos ad se potenter rapit.

QUI conciperet frequenter CHRISTUM, ut Imperatorem, ejusque humanitatem, & in omnes benevolentiam, beneficentiamque alijs Imperatorijs dotibus conjunctam, non se continere posset, nisi caudex esset, quin ad ejus Signa evolaret, illique potius, quàm adversariarum partium Duci deservire vellet. Est id notare in Romanorum historiâ, pronos tunc & spontaneos quàm plurimos in Militiam fuisse, quando Imperator erat gratiosus, adeò, ut citatione vix fuerit opus. Id de Q. Fabio Livius prodidit lib. x. Illo pro nulgato, *concursu*, inquit, *ad Consulem factus omnium fermè juniorum, & pro se quisque nomina dabant. Tanta cupido erat sub eo Duce stipendia faciendi,* Idem contingebat, cùm bellum aliquod esset in speluctri. Ut de bello Persico idem Livius tradit, lib. XLII. Nam cùm Licinius veteres quosque scriberet, multi voluntate nomina dabant, quia locupletes eos videbant, qui priore bello Macedonico, aut adversus Antiochum in Asia stipendia fecerant. At nullus ab orbe condito fuit Imperator, nec erit magis, aut æquè gratiosus, quàm CHRISTUS, in cujus

in cujus ore, labris, corpore, & anima Gratia sessitabat. *Diffusa erat gratia in labijs ejus*, haud minus in omnibus membris, & potentijs. Ille omnium sibi gratiam & favorem beneficentiâ, & morum comitâte conciliabat, humanitate erga cunctos incomparabili.

MAGNVM erat humanitatis indicium in Imperatore, quando Milites placidè honorificeque compellabat. Sic quosdam humanitatis & benevolentiæ caussâ appellasse *Socios* apud Virgilium legimus. Alij *Commilitones* dicebant, ut est legere in Orationibus militaribus, quæ occurrunt in historijs, ad milites habitæ ante prælium. Quare Augustus, quod scribit Suetonius, cap. XXV. orbe pacato, desijt milites appellare commilitones, quia militare desierat. Verùm nostro Imperatori non est satis, nos Socios appellare & Commilitiones, vocat etiam Amicos, & Fratres. *Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Et loquens cum Magdalena: *Vade*, ajebat, *ad fratres meos, & dic eis*, Joannis XV. Nullum etiam est magis lucrosum bellum, quàm quod sub Christi vexillo contra hostes animæ geritur, cùm in ejus victoria lucrum sit FELIX ÆTERNITAS.

MEMBRVM XIII.

MILES CHRISTIANUS

nihil aggrediatur, sine Dei *&* Christi, *quâ Imperatoris, mandato, consensu, nutu.*

DUM DEVM & CHRISTVM, ut Imperatorem cogito, in mentem venit summa in Militiâ potestas, quæ Imperatori propria. Et olim quidem in ejus potestate jus fuit dimicandi, oppugnandi, obsidendi: signum pugnæ, ac receptui dandi: castra locandi, & movendi: Milites in æstiva vel hyberna deducendi: inducias cum hostibus faciendi, obsidesque accipiendi. Quæ omnia aut ipse per se Imperator aut de concilij sententia statuebat.

HINC illa Ciceronis lib. I. de Oratore: si fortè quæreretur, quæ esset „ ars Imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset Impera- „ tor; qui cum esset constitutus administrator quidam belli gerendi: tum „ adjungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum colla- „ tionibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidijs „ faciendis atque vitandis: de reliquis rebus, quæ essent propriæ belli ad- „ ministrandi, quarum qui essent animo & scientiâ compotes, hos esse „ Imperatores dicerem. „

ITAQVE, qui DEVM CHRISTVMque Imperatorem suum agnoscit, & contem-

contemplatur, persuadeat sibi oportet, tunc pugnandum, dimicandum, obsidendum, cùm ab eo mandatum acceperit: accipit autem quotidie internis inspirationibus, quibus, ut nunquam hosti ocium relinquat, perurgetur. Sciat non esse sibi liberum desistere, nisi cum Imperator receptui signum dederit: quod non dabit, quamdiu in vitæ campo Miles consistet. Certus sit ad illa sive æstiva, sive hyberna migrandum, id est, ibi demorandum in hoc mundo, quò DEUS CHRISTUSque ablegarit. Denique, haud ambigat, fas sibi non esse ullas cum hoste inducias pacisci, nisi ad id potestatem, sive per se, sive per substitutos suos Imperator idem fecerit. Nunquam autem, de quo sit certus, faciet, nisi subactis devictisque adversarijs.

MEMBRUM XIV.
MILES CHRISTIANUS in controversijs militaribus, Deum & Christum Imperatorem *suum*, ut Judicem *respiciat:*

IMPERATORII muneris erat apud Romanos, Militum controversias, criminaque cognoscendi, & ea tum alijs pœnis, tum capitali supplicio, si id rei atrocitas postulabat, vindicandi. Hinc Juvenalis, Saty. XVI.

Legibus antiquis castrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul à signis.

Cæsarem in castris tam æquum Judicem esse censebant milites, ut quascumque ipsi inter se controversias haberent, suâ sponte ad eum referrent: quod testatur ipse dum narrat bellum civile. Refert etiam Gellius lib. VII cap. I. Scipionem die quodam in castris sedentem jus dixisse: tum à Militibus, qui in jure apud eum stabant, interrogasse quempiam ex more, in quem diem locumque vadimonium promitti juberet: Scipionem verò protendisse manum ad ipsam oppidi, quod obsidebatur, arcem, dixisseque, perendie sese sistant illo in loco: atque ita factum. Die tertio, in quem vadari jusserat, oppidum captum est: eodem die in arce ejus oppidi jus dixit. Ex quibus constat, jus esse dictum ab Imperatore in castris, Militumque controversias cognitas & compositas, ac punita crimina. Utinam mos apud Milites Christianos vigeret, ut ad DEUM CHRISTUMque, æquissimum, ut Imperatorem, ita Judicem sponte confugerent, & accusationes suas deponerent: nec alium controversiarum suarum cognitorem, & diribitorem postularent! utinam ad illum in calamitatibus quam primum accurrerent! utinam sententiæ illius semper starent! illudque frequenter versarent animo, Imperatorem suum crimina militum diligenter cognoscere, & porrò pœnis etiam capitalibus vindicare.

MEM-

MEMBRVM XV.
DEO & CHRISTO
Ornamenta Imperatoria convenientia.

CUM tanta esset Imperatoris in Militia Romana potestas, eam plurimis rebus ornabant Senatus Populusque, ut augustiorem facerent. Has ferè omnes enumerat Livius de Paulo Æmilio loquens lib. XLV. *Cum decem*, inquit, *Legatis in tribunal ascendit. Submotor aditus praco, accensus: insueta omnia oculis, auribus.* Et Cicero in Verrem: *Comites illi tui delecti manus erant tuæ, præfecti, scribæ, medici, accensi, haruspices, præcones manus erant tuæ.* Erat itaque propria Imperatoris, *Tribunal*, idque amplum: *Legati*, qui adsistebant: *Accensi*, qui circumstabant: *Lictores* XXIV. qui Dictatorem stipabant: XII. qui Consulem: *Præcones, Scribæ, Ministri* alij. Ipse Imperator paludamento chlamydatus erat visendus. Paludamentum vocabant, ut explicat Isidorus, Pallium Imperium, cocco, purpura & auro distinctum. Simili schemate non raro DEVS & CHRISTVS exhibetur in libris sacris, ut illum ceu Imperatorem Militiæ nostræ concipere adsuescamus. *Vidi*, inquit Isaias cap. VI. *Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum.* En Tribunal. Jobi primo cap. *Cum venisset filij DEI, ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.* En Lictorem, suo cum satellitio haud dubiè. De CHRISTO Imperatore Daniel cap. VII. *Ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat. Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum, quasi nix.* En Paludamentum: quod album quandoque fuisse habetur ex historia. *Millia millium ministrabant illi, & decies centena millia adsistebant ei. Judicium sedit, & libri aperti sunt.* En stipatores, legatos, scribas.

HAC pompâ concipiendum esse CHRISTVM, ut Imperatorem jus militibus suis dicentem docuit egregiè S. Basilius in Psalm. XXXIII. additque fructum *Si quando senseris te ad aliquod cieri peccatum, in mentem revoca nulli mortalium tolerabile Christi judicium: in quo quidem præsidebit Iudex in sublimi throno: adstabit porro omnis creatura ad ejus adventum contremiscens. Eo singuli sistentur examinandi de his quæ gesserint in vivis. Eos autem qui multa perperam in vita admiserunt, horrendi quidam circumstabunt Angeli ignem expirantes, & vultum nocti similem praferentes ex odio & hominum detestatione. Hæc tu time, & hujusmodi timore eruditus, quasi freno quopiam animam tuam ad vitiosam concupiscentiam cohibere stude* Faxit DEVS Pater, ut ejus Filium Imperatorem JESVM, semper ante prælium consolatorem, in prælio adjutorem, post prælium remuneratorem.

rem, atque in omni nostrâ expeditione propitium experiamur. Ad cujus honorem, & in cujus nomine, omnia quæcumque facimus in verbo aut in opere, facere monemur. (*a*)

(a) *1. Corinth. 10. 31. Coloss. 3 17.*

MEMBRVM XVI.

IMPERATRIX

Militiæ Christianæ

MARIA - DEIPARA.

NUlla-ne in *Militia Christianâ* est IMPERATRIX? Breviter. Voluit DEVS & CHRISTVS, ut, quam Matrem & Sponsam habuit, esset quoque Ipsa in Militiâ suâ Imperatrix. Celebrabant olim gentes à verâ fide alienæ, belli Sidera, Militiæ suæ Præsides, exercituum Ductrices, è fœmineo sexu, ut vocabant, Divas. Græcis erat *Mars*, & *Pallas*, quà armata: Romanis, *Gradivus* & *Bellona*. Nominabatur etiam *Penthesilea*, quæ pro Ilio in bello Trojano: ac *Camilla*, quæ in Latio pro Rutulis depugnasse ferebantur. Nobis non licet esse tam profanis. Christiana pietas detestatur falsa nationum, quæ non agnoscit, Numina, cùm sint vera propudia. Una nobis melior potentiorque omnibus fictitijs Dijs est IMPERATRIX, & bellorum, sub CHRISTO IMPERATORE, Præses ac Moderatrix MARIA. Quot myriades sub hac Imperatrice stipendia fecêre, & etiam-num generosi Milites equo aut pedibus merent? quot de hoste numerosissimo triumphatunt? illa pugnaturos duxit in prælium: illa confligentes juvit: illa victoriam à Filio impetratam dedit: illius currum triumphalem sequuti sunt, quotquot de superbissimo Zabulo, in hæreticis, schismaticis, infidelibus triumpharunt. *Gaude* MARIA *Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo,* IMPERATRIX MILITIÆ CHRISTIANÆ,

Ora pro nobis.



NOTÆ

NOTÆ.

In quibus Auctores, & Analecta.

§. NECESSITAS Ducis. *Legendi*, Iustus Lipsius *lib. 5. Politicor. cap. 14.* Ioannes Valtrinus, *lib. 2. de Militia, c. 1. quod est de Imperatore deligendo.* Adamus Conzen *lib. 10. Politic. cap. 22. Ducem bello utilem esse in confesso est, immò, necessarium: animam nempe exercitus, & vitam ipsam: adeò, ut verè scriptum sit:* Militiam sine Duce turbam, esse corpus sine spiritu. *Curtius libro 10. Et ut remiges sine gubernatore, ita Milites sine Imperatore nihil valere.* Quinctilianus *lib 5, Tanti esse exercitum, quanti Imperatorem scripsit* Florus *lib. 2. cap. 18. Benè & peritè Dux dirigi: ? Ille bonus. Malè malus. Itaque, Tu, quod rarissimum, nec sine ratione disciplinæ concessum, plus in Duce reponas, quàm in exercitu, ex monito Taciti, de moribus German.* Lipsius. *Exercitus sine Duce, est ut Polyphemus,*

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

§. CHRISTVS Archistrategus.] S. Hieronymus *in c. 1. Abdiæ* Ἀρχιστρατηγὸν *præliorum vocat.* Origenes *homilia IX. in lib. Iudic.* Principem Militiæ nostræ. *Ipse est revera* Agetor, *ipse* Hegemonius, *ipse* Stator, & Mars *verus, sive ut Græci nominant,* Ares: *quem dictum,* ἀπὸ τοῦ ἀρήγειν *à succurrendo putat Philo, de Legibus ad Cajum.*

§. MARIA IMPERATRIX.] *De hoc Titulo, aut æquivalenti frequenter egit* Sandæus *in Opusculis Marianis belli tempore in lucem editis. Legenda signatè,* Luna Mystica, *Oratione* V. Luna Dominatrix: & VI. Luna Bellatrix.

§. PALLAS. BELLONA.] *Lege quæ habentur initio hujus Voluminis in Proœmio,* §. V. Sapientia Divina Bellatrix. *Solet à gravissimis etiam Auctoribus, iisque sacris, & piis, quod magis est, scribentibus, aut ad meditandum præscribentibus, dum de Beatissima Virgine agitur, tanquam Præside vel armorum vel litterarum, nominari* Pallas, Minerva, Bellona, *sive per comparationem, sive simpliciter: quod semper intelligendum, cum adjuncto, aut expresso, aut sub intellecto, profanitatem excludente, secundum modos varios, quos tradit, & exemplis declarat* Sandæus *in Tomo 1.* Theologiæ, *quæ inscribitur* Theologia Varia, *libro secundo, qui totus agit de Theologia profana Gentilium, de Mythica ac fabulari Poëtarum, deque Ethico-Mythica Philosophorum. Quibus adjunguntur paucula, quæ hic subtexo ex auctoribus recentioribus diversis.*

Petrus Canisius *lib. 2. de Maria Deipara, cap. 7. Græci & Poëtæ ex nostrâ veréque solida Theologiâ nunc tandem discunt,* Novam, & Propriam *quasi* MINERVAM, *ut ipsorum more loquar, nobis divinitus dari* (MARIAM) *quæ illæsam omni tempore virginitatem tueatur: quæ præterea, licet Magistra non dicatur, sit tamen; cùm & parens existat Sapientiæ, & Inventrix non Artium, sed, quod multo est amplius, gratiæ & salutis humanæ: quæque filia est, non commentitij & adulteri Iovis, sed veri, summi, optimique, rerum omnium Parentis, & Principis DEI. Quod si rem paulò penitius inspiciamus (omnia enim sana sanis) annon

non Virgini nostræ competunt, quæ tria stulti Græci in suâ Minervâ, velut eximia & cunctu reverenda prædicant, Virginitas, Sapientia, Fortitudo?

Iacobus Canisius, *Petri nepos, ejusdem Societatis IESV Presbyter, in Hyperdulia Mariana* §.XXVI. *Quod* PALLAS *olim fuit Paganis, id est hodie B. Virgo* DEIPARA *Christianis. Fuit illa sic dicta, quod Pallantem giganta necarit:* At Christiana Pallas *stygium contrivit giganta, cui à* DEO Nostram Palladem *præsignante dictum:* Ipsa conteret caput tuum. *Illa fabulosi Iovis: Hæc veri Numinis filia. Illa nata fuit* Armata: *Hæc dicitur* Terribilis, ut castrorum acies ordinata. *Illa dicta ab Homero, Depopulatrix civitatum: Hæc dicitur ab Ecclesia Catholica* Victrix hæresum. *Illa immanissimam domuit belluam, cognomine Ægida: Hæc vitiorum monstra. Illi Scutum tribuitur à Poëtis omninò pellucidum, multis anguibus implicitum: Huic pro Vmbone Vigilantia, pro angue, seu dracone, qui videt acutissimùm, Prudentia minimè hebes adsignatur. Illi noctua, volucris in media cæca noctis caligine acutùm videns sacra: Huic Solertia, etiam medias inter errorum noctes oculata. Illi adsignata cuspis: Huic ingenij acumen. Illi vis omnis fingitur à Iove communicata; Huic à DEO potestas omnis impertita, quò verè queat dicere: Omnia possum in eo, quem genui: sicut Apostolus: Omnia possum in eo, qui me confortat. Illi tributa fuit crista & galea: Huic comitas & moderatio, veri animi ornamenta. Illius cassidi insidebat Gallus gallicaneus, temporum, horarumq; præcentor: Hujus capiti Spiritus-Sanctus Prophetarum Doctor. Illa fuit formidabilis Vranomachis: Hæc Theomachis. Illi creditæ claves Vrbium & domorum: Huic etiam cælestium thesaurorum. Illa poëtico proxima Iovi, secundum illud Venusini,*

Proximos illi tamen occupavit Pallas honores.

Hæc verissimo proxima Numini.

Incolumis tam diu Respublica, & civitas censebatur, quam diu Palladium, *Palladis nempe simulacrum servabatur. Sic tam diu felix speranda Respublica, quam diu in ea Matris Virginis viguerit cultus & hyperdulia. Probè norant id Tholosani Proceres, qui simul Christianis sacris imbuti, templum, quod habebant in urbe sua principalissimum, &* Palladi *anteà sacrum, postea* B. MARIAE *Deiparæ Virgini, verissimaq; Musarum & Bellorum in Militia Christiana Præsidi, dedicarunt. De quo sic scribit* Stephanus Forcatulus: *Cùm primum illuxit & invaluit splendor veritatis Christianæ, Tholosani proceres speciosum tectorio inaurato fanum, anteà* Palladi *consecratum* MARIAE VIRGINI *consultissimè transcripserunt. Tum quia Pallas Virgo ex Iovis parentis cerebro nata fingatur: tum quia consilio, & opibus abundè fortunet mortales: Et* MARIA *Virginitatem obstupendam retinuit: & in DEI Opt. Max. mente ante solem & tempora versabatur, aureamq; nobis ætatem prorsus reduxit, ac partu mirifico miseros ægrosq; prosperavit. Est autem ædes aurata situ opaca, & sancto quodam horrore venerabilis: quia Minervæ solitum erat templa Doricè construi, & sine delicijs propter virtutem.* Ita Stephanus Forcatulus, *lib. 1. & 2. de Gallorum Imperio Philosophia: Vbi templum memoratum prius Palladi, dein B. M. V. Sacrum, & Pantheo Romano, itidemq; Mariano vetustius esse docet.*

Christianus Mayer *Meditat. par. 5. in festo S. Catharinæ: Deus pia ejus obsequia remuneravit. Et quidem in altera vita essentialis beatitudinis coronâ; & triplici, Virginitatis, Martyrij & Cælestis Doctoratus aureola eam decorando, Præsidemq; studiorum Christianis, loco*

fabulosa

fabulosæ Palladis *constituendo. Plura habet* Sandæus *in Syntagmate de* Fortuna, *Articulo* v. *Vbi quæritur, & deciditur, an absque nota profanitatis*, Deus, Providentia Divina, Deipara. *possit dici* Fortuna, *& comparari cum* Fortuna.

§. PENTHESILEA.] *Virg.* 1. *Æneid.*

Ducit Amazonidum Lunatis agmina pellis
Penthesilea furens, medijsque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere Virgo.

Regina fuit Amazonum, quæ Ottera seu Orithia successit in regnum. Hæc muliebrem aspernata mollitiem, & operibus semper, quæ virum decent, innutrita, cùm bello Trojano adversus Græcos auxilium ferret, turmas equitum duxit, vexillo in altum elato visenda. A Virgilio dicitur Furens, Bellatrix, Martia: *similibusq; titulis ab alijs Poëtis, ut Imperatrix militaris celebratur. Sed tandem ante Trojam ab Achille trucidata.*

Petrus Canisius *in Mariali lib.* 2. *cap.* 7. *Ignorastis hactenus, ô Græci, semper pueri, veram* Penthesileam, *non quam vestri Poëta commemorant, bellacem, furentem, truculentam, ac sanguinariam; sed mitem, humanam, clementem, paciferam, atq; salutiferam, quam certè pij lætissimis animis, non possunt non libenter amanterq; complecti, quæ Virgo ipsa Amazonum, hoc est, fine mānu mulierum, optimam se Ducem præbeat.* MARIA *siquidem prima est, quæ hanc Virginitatis semitam ingressa sit, quamq; innumerabiles puellarum verè Amazonum copiæ sunt sequutæ. Hæ omnes* Ductricem *illam Deiparam Virginem, quocumque ierit, comitantur. Eadem libertate ibidem* Canisius: *Est (inquit, Virgo illa, de* MARIA *loquitur) aurei seculi renovatrix: est* VERA *illa* DIANA, *perpetuæ virginitatis tum altrix, tum exemplum. Est cui* LUCINAE *nomen unicè convenit; quæ & verum lumen extulit, & nobis, uti renasceremur, lucis æternæ fores aperuit.* Pro CERERE MARIA, *Panem verum, & vinum edendum mortalibus attulit, atq; monstravit.*

§ ACCLAMATIONES Militares] *Sunt istiusmodi apud* Dionysium Halicarnass. *lib.* 1. Dionem *lib.* 43. Livium *lib.* 4. *c.* 20. Suetonium *in Iulio, c.* 49. *&* 51. Paterculum *l.* 3. Plinium *l.* 19. *c.* 8. *Legendus* Barnabas Brissonius *de Form. p.* 394.

§. M. Antonius de Dominis.] *Nomen habet inter celebres avi nostri Apostatas, de quibus Liber integer extat. Hujus mira fuit metamorphosis. Nam rediyt ex Anglia: Romæ receptus fuit in gratiam à Pontifice. Deinde, suspectus de relapsu, captus, examinatus; post mortem exustò publicè cadavere, exemplum esse potest ad cautelam.*

§. IMPERATOR Militaris.] *Legendi*, Iustus Lipsius, *lib.* 2. *de Militia Romana, Dial.* 12. Ioan. Valtrinus, *l.* 2. *c.* 1. *l.* 3. *c.* 10. *l.* 7. *c.* 1. Julius Nigronius *Commentario in Regulas Societatis IESV, cujus Religiosi, Socij ac Milites sacri dicere possunt, & se mutuo hortari:* Meminerimus *nos sub IESV CHRISTO Imperatore militare, & merere stipendia. Dat animos militibus in pugna, dat alacritatem in laboribus militaribus Imperatoris summi, vel fortitudo cum peritia, felicitate, gloriaq; conjuncta, vel affluentia divitiarū, cum liberalitate sociata. Vnde milites expectare possunt, tum ex capite priore victoriam in prælijs; tum ex posteriore largam periculis vulneribusq; remunerationem. Quam nunquam suis denegat* IESVS CHRISTVS *ut* FELICISS. *ita* LIBERALISS. IMPERATOR.

tentio & obsequium præstetur, quanto magis Christus, Rex Regnum, Æternus, Imperator summus, & mundo conspicuus universo, qui singulos „ his invitat verbis. Mea hæc est justissima voluntas, totius Mundi domi-„ num mihi vendicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum „ in Patris mei Gloriam intrare: proinde, quisquis eò mecum venire cu-„ pit, laboret mecum necesse est: labori enim præmium respondebit. Ad-„ jungit autem Exercitator, neminem sanæ mentis fore, qui non cupidis-„ simè Christi servitio se totum offerat & addicat. Illos autem, qui se Im-„ peratorijs obsequijs prorsus duxerint mancipandos, non seipsos tantùm „ ad laborum tolerantiam, verùm etiam majora & præclariora munera „ oblaturos esse expugnatâ Carnis, sensuum, Amorisque proprij rebellio-„ ne, Christique, ut Imperatoris, maximè perfectam imitationem am-„ plexuros.

In hac Contemplatione, sunt plurimæ optimi Imperatoris conditiones, quæ meritò moveant non ignavum Militem, ut se totum potestati tanti Principis committat, & exercitationibus militaribus se erudiendum tradat. Et primò quod sit *Æternus*, quippe DEUS. Permagni autem interest vitam Imperatoris, in quâ spes militum, & victoria plerumque consistit, in tuto esse. Certum nobis est, Imperatorem nostrum in prælio non occubiturum. *Christus* sive quà DEUS, sive quà homo, *jam non moritur: mors ei ultra non dominabitur.* Quod plurimum refert ad certam victoriam obtinendam, ad quam interdum conferre solet non parum, artificio inducta Imperatoris demortui vita: ea propter si cadat in prælio, vel corpus è conspectu militum subducitur, vel solerter mors celatur. Deinde, idem est *Imperator Maximus*, & celeberrimus, quippe toti mundo conspicuus. Præterea, non voluntate solùm eligentium, sed naturâ. Solet autem major esse caritas & subditorum in genitum, ac sanguine Principem, & Principis in subditos, certo, ac vetere jure suos. Adhæc, nos illi obstricti sumus, ac subditi non solùm regiminis jure, sed & procreationis ac Redemptionis. Denique, illud est planè singulare, quod sit præsens in omnibus expeditionibus, & intersit omnibus prælijs, spectator & adjutor. Imperatores olim, & etiamnum, vel DUCTU, vel AUSPICIIS rem gerunt, & multum facere videntur, si Fortunam suam commodent exercitui. De Augusto Cæsare scribit Suetonius, capite xxv. *Domuit partim* Ductu, *partim* Auspicijs *suis.* Ductu, *quando interfuit:* Auspicijs, *cùm illo mandante, alius; & Fortunam ac Deos suos,* ita loquebantur Gentiles, *commodante.* Hoc intuitu Horatius ad Augustum de privignis Imperatoris, Lib. IV. Ode 14.

Te copias, Te consilium, & tuos
Præbente Divos. ————

significat, ipsos duxisse, & jussisse, sed auspicijs suis. Ad eundem Imperatorem de Tiberio Ovid. lib. 2. Trist. *Per*

Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas.
Auspicium cui das grande, Deosq; tuos.

Alexander quoque, licet ubique præsens esse conaretur, non potuit tamen: idcircò fatetur apud Curtium lib. VI. *Quorum alia ductu meo, alia imperio auspicioq; perdomui.* Atque nostro tempore sæpius Auspicijs, quàm Ductu bella gesserunt Imperatores aliquot, inter quos aliqui nunquam armati in acie sunt visi. Quod in Honorio Imperatore sugillarunt olim nonnulli, qui objiciebant: nunquam fuisse visum in procinctu, per suos duces bella gerentem. Sed ejus patrocinium suscepit Cæsar Baronius, Anno Christi DXXIII. demonstrans, id à Rege non requiri: certè, non semper requiritur: & nonnunquam expedit Imperatorem *Auspicijs* tantùm pugnare. Et quidem Imperatorum Christianorum nullus est repertus qui plures tyrannos deleverit, quàm Honorius per suos Duces. Nullus etiam felicius pugnavit contra Religionis hostes, *Auspicijs* tantùm suis quam FERDINANDVS II. AVSTRIACVS.

CHRISTVS autem omnia *Ductu* quoque suo agit, omnibus prælijs interest, nunquam absens. Nec hortatur nisi ad ea, quæ ipse primus aggreditur: primus ipse ad labores se confert, primus difficillima pertentat, acerbissima quæque sibi adsumens. Efficacissima fuit illa Gedeonis cohortatio cùm in Madianitas duceret: Judicum VII. 17. *Quod me facere videritis hoc facite.* Idem semper sibi fidis ingerebat Imperator noster CHRISTVS. Nam alium sensum non habent ista Matthæi XVI. 24. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde* Matthæi XI. 23. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur,* Marci X. 33. præcedo, sequimini. Quod me videbitis facere, facite. Incredibile est quantum faciant, *Præsentia,* & *Exemplum* Imperatoris, ut in alijs: nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

tum in bellis potissimùm. Macedones olim ab Illyrijs superati, Regem in cunis prætulerunt ad prælium, quo facto docebant victores, non tam requiri virtutem in exercitu, quàm præsentem Imperatorem. Eodem stratagemate victrix evasit animosissima *Fredegundis* Franca Clotarij Regis mater, *(a)* ut suo loco narratum fusius. Non est, quod nos fingamus, habemus præsentem Imperatorem: ille in aspectu, ille in oculis, modò eos non claudamus, versatur omnium. Notat & designat ad decus & dignitatem unumque nostrum. Felices nimium, quod talis nobis Imperator contigit, testisque virtutis: immò, felices amplius, si nos illius præsentiâ dignos præstemus.

(a) *Aimonius lib. 3. cap. 81. Ado ætate 6.*

MEMBRUM XI.
JESU CHRISTI
quà Imperatoris Militaris recèns nati conspectus, incitat, incendit, animat.

ALIQUEM etiam fructum percipit Miles Christianus ex contemplatione CHRISTI ut Imperatoris sui, quam ingeniosè ita formavit S. Fulgentius Episcopus Rufpensis in sermone de S. Stephano. Heri „ celebravimus temporalem sempiterni Regis natalem : hodie celebra„ mus triumphalem Militis passionem. Heri enim Rex noster trabeâ car„ nis indutus de aulâ uteri virginalis egrediens, visitare dignatus est mun„ dum. Hodie Miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator mi„ gravit ad cælum. Ille sempiternæ Deitatis Majestate servata servile cin„ ctorium carnis adsumens in hujus seculi campum pugnaturus intravit: „ iste depositis corruptibilibus corporis indumentis, ad cæli palatium pe„ renniter regnaturus ascendit. Ille descendit carne velatus: iste ascendit „ sanguine laureatus. Heri Dominus exivit de utero Virginis: hodie Mi„ les egressus est de ergastulo carnis. Humiliavit se Rex noster, ut suos „ Milites exaltaret.

MEMBRUM XII.
JESUS-CHRISTUS
quà Imperator Militaris gratiosus, Militum animos ad se potenter rapit.

QUI conciperet frequenter CHRISTUM, ut Imperatorem, ejusque humanitatem, & in omnes benevolentiam, beneficentiamque alijs Imperatorijs dotibus conjunctam, non se continere posset, nisi caudex esset, quin ad ejus Signa evolaret, illique potius, quàm adversariarum partium Duci deservire vellet. Est id notare in Romanorum historiâ, pronos tunc & spontaneos quàm plurimos in Militiam fuisse, quando Imperator erat gratiosus, adeò, ut citatione vix fuerit opus. Id de Q. Fabio Livius prodidit lib. x. Illo pro vulgato, *concursus*, inquit, *ad Consulem factus omnium fermè juniorum, & pro se quisque nomina dabant. Tanta cupido erat sub eo Duce stipendia faciendi,* Idem contingebat, cùm bellum aliquod esset in speluci. Ut de bello Persico idem Livius tradit, lib. XLII. Nam cùm Licinius veteres quosque scriberet, multi voluntate nomina dabant, quia locupletes eos videbant, qui priore bello Macedonico, aut adversus Antiochum in Asia stipendia fecerant. At nullus ab orbe condito fuit Imperator, nec erit magis, aut æquè gratiosus, quàm CHRISTUS,

in cujus

in cujus ore, labris, corpore, & anima Gratia sessitabat. *Diffusa erat gratia in labijs ejus*, haud minus in omnibus membris, & potentijs. Ille omnium sibi gratiam & favorem beneficentiâ, & morum comitate conciliabat, humanitate erga cunctos incomparabili.

MAGNUM erat humanitatis indicium in Imperatore, quando Milites placidè honorificeque compellabat. Sic quosdam humanitatis & benevolentiæ causâ appellasse *Socios* apud Virgilium legimus. Alij *Commilitones* dicebant, ut est legere in Orationibus militaribus, quæ occurrunt in historijs, ad milites habitæ ante prælium. Quare Augustus, quod scribit Suetonius, cap. XXV. orbe pacato, desijt milites appellare commilitones, quia militare desierat. Verùm nostro Imperatori non est satis, nos Socios appellare & Commilitiones, vocat etiam Amicos, & Fratres. *Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quecumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Et loquens cum Magdalena: *Vade*, ajebat, *ad fratres meos, & dic eis*, Joannis XV. Nullum etiam est magis lucrosum bellum, quàm quod sub Christi vexillo contra hostes animæ geritur, cùm in ejus victoria lucrum sit FELIX ÆTERNITAS.

MEMBRUM XIII.

MILES CHRISTIANUS nihil aggrediatur, sine Dei *&* Christi, *quâ Imperatoris, mandato, consensu, nutu.*

DUM DEUM & CHRISTUM, ut Imperatorem cogito, in mentem venit summa in Militiâ potestas, quæ Imperatori propria. Et olim quidem in ejus potestate jus fuit dimicandi, oppugnandi, obsidendi: signum pugnæ, ac receptui dandi: castra locandi, & movendi: Milites in æstiva vel hyberna deducendi: inducias cum hostibus faciendi, obsidesque accipiendi. Quæ omnia aut ipse per se Imperator aut de concilij sententia statuebat.

HINC illa Ciceronis lib. I. de Oratore: si fortè quæreretur, quæ esset „ ars Imperatoris. constituendum putarem principio, quis esset Impera- „ tor; qui cum esset constitutus administrator quidam belli gerendi: tum „ adjungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum colla- „ tionibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidijs „ faciendis atque vitandis: de reliquis rebus. quæ essent propriæ belli ad- „ ministrandi, quarum qui essent animo & scientiâ compotes, hos esse „ Imperatores dicerem. „

ITAQUE, qui DEUM CHRISTUMque Imperatorem suum agnoscit, & contem-

contemplatur, persuadeat sibi oportet, tunc pugnandum, dimicandum, obsidendum, cùm ab eo mandatum acceperit: accipit autem quotidie internis inspirationibus, quibus, ut nunquam hosti otium relinquat, perurgetur. Sciat non esse sibi liberum desistere, nisi cum Imperator receptui signum dederit: quod non dabit, quamdiu in vitæ campo Miles consistet. Certus sit ad illa sive æstiva, sive hyberna migrandum, id est, ibi demorandum in hoc mundo, quò DEUS CHRISTUSque ablegarit. Denique, haud ambigat, fas sibi non esse ullas cum hoste inducias pacisci, nisi ad id potestatem, sive per se, sive per substitutos suos Imperator idem fecerit. Nunquam autem, de quo sit certus, faciet, nisi subactis devictisque adversarijs.

MEMBRUM XIV.
MILES CHRISTIANUS in controversijs militaribus, Deum & Christum Imperatorem *suum*, ut Judicem *respiciat:*

IMPERATORII muneris erat apud Romanos, Militum controversias, criminaque cognoscendi, & ea tum alijs pœnis, tum capitali supplicio, si id rei atrocitas postulabat, vindicandi. Hinc Juvenalis, Saty. XVI.

Legibus antiquis castrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra,
Et procul à signis.

Cæsarem in castris tam æquum Judicem esse censebant milites, ut quascumque ipsi inter se controversias haberent, suâ sponte ad eum referrent: quod testatur ipse dum narrat bellum civile. Refert etiam Gellius lib. VII cap. I. Scipionem die quodam in castris sedentem jus dixisse: tum à Militibus, qui in jure apud eum stabant, interrogasse quempiam ex more, in quem diem locumque vadimonium promitti juberet: Scipionem verò protendisse manum ad ipsam oppidi, quod obsidebatur, arcem, dixisseque, perendie sese sistant illo in loco: atque ita factum. Die tertio, in quem vadari jusserat, oppidum captum est: eodem die in arce ejus oppidi jus dixit. Ex quibus constat, jus esse dictum ab Imperatore in castris, Militumque controversias cognitas & compositas, ac punita crimina. Utinam mos apud Milites Christianos vigeret, ut ad DEUM CHRISTUMque, æquissimum, ut Imperatorem, ita Judicem sponte confugerent, & accusationes suas deponerent: nec alium controversiarum suarum cognitorem, & diribitorem postularent! utinam ad illum in calamitatibus quam primum accurrerent! utinam sententiæ illius semper starent! illudque frequenter versarent animo, Imperatorem suum crimina militum diligenter cognoscere, & porrò pœnis etiam capitalibus vindicare.

MEM-

MEMBRVM XV.
DEO & CHRISTO
Ornamenta Imperatoria convenientia.

CUM tanta esset Imperatoris in Militia Romana potestas, eam plurimis rebus ornabant Senatus Populusque, ut augustiorem facerent. Has ferè omnes enumerat Livius de Paulo Æmilio loquens lib. XLV. *Cum decem*, inquit, *Legatis in tribunal ascendit. Submotor aditus praco, accensus: insueta omnia oculis, auribus.* Et Cicero in Verrem: *Comites illi tui delecti manus erant tua, prafecti, scriba, medici, accensi, haruspices, pracones manus erant tua.* Erat itaque propria Imperatoris, *Tribunal*, idque amplum: *Legati*, qui adsistebant: *Accensi*, qui circumstabant: *Lictores* XXIV. qui Dictatorem stipabant: XII. qui Consulem: *Pracones, Scriba, Ministri* alij. Ipse Imperator paludamento chlamydatus erat visendus. Paludamentum vocabant, ut explicat Isidorus, Pallium Imperium, cocco, purpura & auro distinctum. Simili schemate non raro DEVS & CHRISTVS exhibetur in libris sacris, ut illum ceu Imperatorem Militiæ nostræ concipere adsuescamus. *Vidi*, inquit Isaias cap. VI. *Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum.* En Tribunal. Jobi primo cap. *Cùm venisset filij DEI, ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.* En Lictorem, suo cum satellitio haud dubiè. De CHRISTO Imperatore Daniel cap. VII. *Ecce cùm nubibus cæli, quasi Filius hominis veniebat. Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum, quasi nix.* En Paludamentum: quod album quandoque fuisse habetur ex historiâ. *Millia millium ministrabant illi, & decies centena millia adsistebant ei. Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* En stipatores, legatos, scribas.

HAC pompâ concipiendum esse CHRISTVM, ut Imperatorem jus militibus suis dicentem docuit egregiè S. Basilius in Psalm. XXXIII. additque fructum *Si quando senseris te ad aliquod cieri peccatum, in mentem revoca nulli mortalium tolerabile Christi judicium in quo quidē præsidebit Index in sublimi throno: adstabit porro omnis creatura ad ejus adventum contremiscens. Eo singuli sistentur examinandi de his qua gesserint in vivis. Eos autem qui multa perperam in vita admiserunt, horrendi quidam circumstabunt Angeli ignem expirantes, & vultum nocti similem praferentes ex odio & hominum detestatione. Hac tu time, & hujusmodi timore eruditus, quasi freno quopiam animam tuam ad vitiosam concupiscentiam cohibere stude* Faxit DEVS Pater, ut ejus Filium Imperatorem JESVM, semper ante prælium consolatorem, in prælio adjutorem, post prælium remuneratorem

rem, atque in omni nostrâ expeditione propitium experiamur. Ad cujus honorem, & in cujus nomine, omnia quæcumque facimus in verbo aut in opere, facere monemur. (*a*)

(a) *1. Corinth. 10. 31. Coloss. 3. 17.*

MEMBRUM XVI.

IMPERATRIX Militiæ Christianæ MARIA - DEIPARA.

NUlla-ne in *Militia Christianâ* est IMPERATRIX? Breviter. Voluit DEUS & CHRISTUS, ut, quam Matrem & Sponsam habuit, esset quoque Ipsa in Militiâ suâ Imperatrix. Celebrabant olim gentes à verâ fide alienæ, belli Sidera, Militiæ suæ Præsides, exercituum Ductrices, è fæmineo sexu, ut vocabant, Divas. Græcis erat *Mars*, & *Pallas*, quà armata: Romanis, *Gradivus* & *Bellona*. Nominabatur etiam *Penthesilea*, quæ pro Ilio in bello Trojano: ac *Camilla*, quæ in Latio pro Rutulis depugnasse ferebantur. Nobis non licet esse tam profanis. Christiana pietas detestatur falsa nationum, quæ non agnoscit, Numina, cùm sint vera propudia. Una nobis melior potentiorque omnibus fictitijs Dijs est IMPERATRIX, & bellorum, sub CHRISTO IMPERATORE, Præses ac Moderatrix MARIA. Quot myriades sub hac Imperatrice stipendia fecêre, & etiam-num generosi Milites equo aut pedibus merent? quot de hoste numerosissimo triumpharunt? Illa pugnaturos duxit in prælium: illa confligentes juvit: illa victoriam à Filio impetratam dedit: illius currum triumphalem sequuti sunt, quotquot de superbissimo Zabulo, in hæreticis, schismaticis, infidelibus triumpharunt. *Gaude* MARIA *Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. IMPERATRIX MILITIÆ CHRISTIANÆ,*

Ora pro nobis.



NOTÆ.

In quibus Auctores, & Analecta.

§. NECESSITAS Ducis. *Legendi*, Iustus Lipsius *lib. 5. Politicor. cap. 14.* Ioannes Valtrinus, *lib. 2. de Militia, c. 1. quod est de Imperatore deligendo.* Adamus Conzen *lib. 10. Politic. cap. 22. Ducem bello utilem esse in confesso est, immò, necessarium: animam nempe exercitus, & vitam ipsam: adeò, ut verè scriptum sit:* Militiam sine Duce turbam, esse corpus sine spiritu. *Curtius libro 10. Et ut remiges sine gubernatore, ita Milites sine Imperatore nihil valere.* Quinctilianus *lib 5, Tanti esse exercitum, quanti Imperatorem scripsit* Florus *lib. 2. cap. 18. Benè & peritè Dux dirigi: Ille bonus. Malè malus. Itaque, Tu, quod rarissimum, nec sine ratione disciplinæ concessum, plus in Duce reponas, quàm in exercitu, ex monito Taciti, de moribus German.* Lipsius. *Exercitus sine Duce, est ut Polyphemus,*

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

§. CHRISTVS Archistrategus.] S. Hieronymus *in c. 1. Abdiæ* Ἀρχιστρατηγὸν *præliorum vocat.* Origenes *homilia IX. in lib. Iudic.* Principem Militiæ nostræ. *Ipse est revera* Agetor, *ipse* Hegemonius, *ipse* Stator, *& Mars verus, sive ut Græci nominant,* Ares: *quem dictum,* ἀπὸ τοῦ ἀρήγειν *à succurrendo putat Philo, de Legibus ad Cajum.*

§. MARIA IMPERATRIX.] *De hoc Titulo, aut æquivalenti frequenter egit* Sandæus *in Opusculis Marianis. bellis tempore in lucem editis. Legenda signatè,* Luna Mystica, *Oratione* v. Luna Dominatrix: *&* VI. Luna Bellatrix.

§. PALLAS. BELLONA.] *Lege quæ habentur initio hujus Voluminis in Proœmio,* §. V. Sapientia Divina Bellatrix. *Solet à gravissimis etiam Auctoribus, iisq. sacris, & piis, quod magis est, scribentibus, aut ad meditandum præscribentibus, dum de Beatissima Virgine agitur, tanquam Præside vel armorum vel litterarum, nominari* Pallas, Minerva, Bellona, *sive per comparationem, sive simpliciter: quod semper intelligendum, cum adjuncto, aut expresso, aut subintellecto, profanitatem excludente, secundum modos varios, quos tradit, & exemplis declarat* Sandæus *in Tomo 1.* Theologiæ, *quæ inscribitur* Theologia Varia, *libro secundo, qui totus agit de Theologia profana Gentilium, de Mythica ac fabulari Poëtarum, deq. Ethico-Mythica Philosophorum. Quibus adjungantur paucula, quæ hic subtexo ex auctoribus recentioribus diversis.*

Petrus Canisius *lib. 2. de Maria Deipara, cap. 7. Græci & Poëtæ ex nostrâ verâ, solida Theologiâ nunc tandem discunt,* Novam, *&* Propriam *quasi* MINERVAM, *ut ipsorum more loquar, nobis divinitus dari* (MARIAM) *quæ illæsam omni tempore virginitatem tueatur: quæ præterea, licet Magistra non dicatur, sit tamen; cùm & parens existat Sapientiæ, & Inventrix, non Artium, sed, quod multo est amplius, gratiæ & salutis humanæ: quæq. filia est, non commentitij & adulteri Iovis, sed veri, summi, optimiq. rerum omnium Parentis, & Principis DEI. Quod si rem paulò penitius inspiciamus (omnia enim sana sunt) an-*

non

non Virgini nostræ competunt, quæ tria stulti Græci in suâ Minervâ, *velut eximia & cunctu reverenda prædicant, Virginitas, Sapientia, Fortitudo?*

Iacobus Canisius, *Petri nepos, ejusdem Societatis IESV Presbyter, in Hyperdulia Mariana* §.XXVI. *Quod* PALLAS *olim fuit Paganis, id est hodie B. Virgo* DEIPARA *Christianis. Fuit illa sic dicta, quod Pallantem giganta necarit: At* Christiana Pallas *stygium contrivit giganta, cui à* DEO Nostram Palladem *præsignante dictum:* Ipsa conteret caput tuum. *Illa fabulosi Iovis: Hæc veri Numinis filia. Illa nata fuit* Armata: *Hæc dicitur* Terribilis, ut castrorum acies ordinata. *Illa dicta ab Homero, Depopulatrix civitatum: Hæc dicitur ab Ecclesia* Catholica Victrix hæresum. *Illa immanissimam domuit belluam, cognomine Ægida: Hæc vitiorum monstra. Illi Scutum tribuitur à* Poëtis *omninò pellucidum, multis anguibus implicitum: Huic pro Umbone Vigilantia, pro angue, seu dracone, qui videt acutissimùm, Prudentia minimè hebes adsignatur. Illi noctua, volucris in media cæca noctis caligine acutùm videns sacra: Huic Solertia, etiam medias inter errorum noctes oculata. Illi adsignata cuspis: Huic ingenij acumen. Illi vis omnis fingitur à Iove communicata: Huic à* DEO *potestas omnis impertita, quò verè queat dicere: Omnia possum in eo, quem genui: sicut Apostolus: Omnia possum in eo, qui me confortat. Illi tributa fuit crista & galea: Huic comitas & moderatio, veluti animi ornamenta. Illius cassidi insidebat Gallus gallicaneus, temporum, horarumq́ præcentor: Hujus capiti Spiritus-Sanctus Prophetarum Doctor. Illa fuit formidabilis Uranomachis: Hæc Theomachis. Illi creditæ claves Urbium & domorum: Huic etiam cælestium thesaurorum. Illa poëtico proxima Iovi, secundum illud Venusini:*

Proximos illi tamen occupavit Pallas honores.

Hæc verissimo proxima Numini.

Incolumis tam diu Respublica, & civitas censebatur, quam diu Palladium, Palladis *nempe simulacrum servabatur. Sic tam diu felix speranda Respublica, quam diu in ea Matris Virginis viguerit cultus & hyperdulia. Probè norant id Tholosani Proceres, qui simul Christianis sacris imbuti, templum, quod habebant in urbe sua principalissimum, &* Palladi *antea sacrum, posteà* B. MARIAE *Deiparæ Virgini, verissimæq́ Musarum & Bellorum in Militia Christiana Præsidi, dedicarunt. De quo sic scribit* Stephanus Forcatulus: *Cùm primum illuxit & invaluit splendor veritatis Christianæ, Tholosani proceres speciosum tectorio inaurato fanum, antea* Palladi *consecratum* MARIAE VIRGINI *consultissimè transcripserunt. Tum quia Pallas Virgo ex Iovis parentis cerebro nata fingatur: tum quia consilio, & opibus abundè fortunet mortales: Et* MARIA *Virginitatem obstupendam retinuit: & in* DEI Opt. Max. *mente ante solem & tempora versabatur, aureamq́ nobis ætatem prorsus reduxit, ac partu mirifico miseros ægrosq́ prosperavit. Est autem ædes aurata situ opaca, & sancto quodam horrore venerabilis: quia Minervæ solitum erat templa Doricè construi, & sine delicijs propter virtutem. Ita* Stephanus Forcatulus, *lib. 1. & 2. de Gallorum Imperio Philosophia: Ubi templum memoratum prius Palladi, dein B. M. V. Sacrum, & Pantheo Romano, itidemq́ Mariano vetustius esse docet.*

Christianus Mayer *Meditat. par. 5. in festo S. Catharinæ: Deus pia ejus obsequia remuneravit. Et quidem in altera vita essentialis beatitudinis coronâ; & triplici, Virginitatis, Martyrij & Cælestis Doctoratus aureola eam decorando, Præsidemq́ studiorum Christianis, loco fabulosæ*

fabulosa Palladis *constituendo. Plura habet* Sandæus *in Syntagmate de* Fortuna, *Articulo v. Vbi quæritur, & deciditur, an absque nota profanitatis,* Deus, Providentia Divina, Deipara, *possit dici* Fortuna, *& comparari cum* Fortuna.

§. PENTHESILEA.] *Virg. 1. Æneid.*

Ducit Amazonidum Lunatis agmina pellis
Penthesilea furens, medijsque in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere Virgo.

Regina fuit Amazonum, quæ Ottera seu Orithia successit in regnum. Hæc muliebrem aspernata mollitiem, & operibus semper, quæ virum decent, innutrita, cùm bello Trojano adversus Græcos auxilium ferret, turmas equitum duxit, vexillo in altum elato visenda. A Virgilio dicitur Furens, Bellatrix, Martia: *similibusq; titulis ab alijs Poëtis, ut Imperatrix militaris celebratur. Sed tandem ante Trojam ab Achille trucidata.*

Petrus Canisius *in Mariali lib. 2. cap. 7. Ignorastis hactenus, ô Græci, semper pueri, veram* Penthesileam, *non quam vestri Poëtæ commemorant, bellacem, furentem, truculentam, ac sanguinariam; sed mitem, humanam, clementem, paciferam, atq; salutiferam, quam certè pij latissimis animis, non possunt non libenter amanterq; complecti, quæ Virgo ipsa Amazonum, hoc est, sine mămis mulierum, optimam se Ducem præbeat.* MARIA *siquidem prima est, quæ hanc Virginitatis semitam ingressa sit, quamq; innumerabiles puellarum vere Amazonum copiæ sunt sequutæ. Hæ omnes* Ductricem *illam Deiparam Virginem, quocumque ierit, comitantur. Eadem libertate ibidem* Canisius: *Est (inquit, Virgo illa, de* MARIA *loquitur) aurei seculi renovatrix: est* VERA *illa* DIANA, *perpetuæ virginitatis tum altrix, tum exemplum. Est cui* LUCINAE *nomen unicè convenit; quæ & verum lumen extulit, & nobis, uti renasceremur, lucis æternæ fores aperuit.* Pro CERERE MARIA, *Panem verum, & vinum edendum mortalibus attulit, atq; monstravit.*

§ ACCLAMATIONES Militares] *Sunt istiusmodi apud* Dionysium Halicarnass. *lib. 1.* Dionem *lib. 43.* Livium *lib. 4. 5. 10.* Suetonium *in Iulio, c. 49. & 51.* Paterculum *l. 3.* Plinium *l. 19. c. 8. Legendus* Barnabas Brissonius *de Form. p. 394.*

§. M. Antonius de Dominis.] *Nomen habet inter celebres ævi nostri Apostatas, de quibus Liber integer extat. Hujus mira fuit metamorphosis. Nam rediit ex Anglia: Romæ receptus fuit in gratiam à Pontifice. Deinde, suspectus de relapsu, captus, examinatus; post mortem exusto publicè cadavere, exemplum esse potest ad cautelam.*

§. IMPERATOR Militaris.] *Legendi,* Iustus Lipsius, *lib. 2. de Militia Romana, Dial. 12.* Ioan. Valtrinus, *l. 2. c. 1. l. 3. c. 10. l. 7. c. 1.* Iulius Nigronius *Commentario in Regulas Societatis IESV, cujus Religiosi, Socij ac Milites sacri dicere possunt, & se mutuo hortari:* Meminerimus *nos sub IESV CHRISTO Imperatore militare, & merere stipendia. Dat animos militibus in pugna, dat alacritatem in laboribus militaribus Imperatoris summi, vel fortitudo cum peritia, felicitate, gloriaq; conjuncta, vel affluentia divitiarŭ, cum liberalitate sociata. Vnde milites expectare possunt, tum ex capite priore victoriam in prælijs; tum ex posteriore largam periculis vulneribusq; remunerationem. Quam nunquam suis denegat* IESVS CHRISTVS *ut* FELICISS. *ita* LIBERALISS. IMPERATOR.

COMMENTATIO II.

CHRISTVS CAMPI-DOCTOR.

Magister armorum. Militum veteranorum æquè, ac tironum Instructor, Exercitator, Promotor.

Filij Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem Iustitiæ. Ioel. 2. 23.

MEMBRVM I.

Quod fuerit olim in Militia profanâ officium Campi-Doctoris.

IN Militiâ Romanâ reperiebatur artis militaris peritus, qui tirones in disciplinâ bellicâ erudiebat, instruebat inexpertos, & omnes exercebat. Quod certum fuit officium inferiore ævo, non certum veteri, ut animadvertit Vir eruditus; *(a)* sed tunc Centurio aliquis, aut miles annorum, armorumque vetus docebat. Utrumque Plinius indicat in Panegyrico: *Postquam exercitationibus nostris, non veteranorum aliquis, cui decus, muralis, aut civica, sed Græculus magister adsistit.* Itaque posteà officio fuêre tales Græculi, anteà veterani milites. Et quoniam in campo exercebantur, dicebatur CAMPI-DOCTOR vel *Doctor armorum*, Græcis, ὁπλοδιδάκτης, qui instruebat. Hoc munus non erat Imperatoris, qui eo se non dimittebat, sed inferioris cujuspiam. In Sacrâ autem Militiâ CHRISTVS Dominus haud indignum Majestate suâ arbitratur, in nostri gratiam, *Campi-Doctorem* agere, quomodo præliandum sit docere, quibus & quo pacto armis sit utendum præscribere, in campo nos suo exercere.

QVO spectare potest Prophetia Joëlis, qui idcircò Christianis exultandum, & de certâ victoriâ gaudendum adfirmat, quod habeant cælitus missum Doctorem armorum. *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino DEO vestro* Qui quamvis communis omnium sit Dominus, tamen peculiariter se vestrum DEVM ostendit, ita vos curando, instituendo, ad omnia bona instigando, donis omnibus exornando, ac si vester tantùm esset parens, provisor, magister. Quo pacto Samaritanus ita curabat illum suum

(a) *Iustus Lips. lib. v. Mil. Rom. dial. 14.*

suum vulneratum, ac si unicus ille fuisset ejus proximus: Sion autem non carnalem, sed spiritualem intelligit, ut filij Sion sint omnes filij Ecclesiæ Christi, omnes fideles & Christiani.

MEMBRUM II.
CHRISTUS DOCTOR JUSTITIÆ.

AT, quæ caussa lætandi? *Quia dedit vobis Doctorem Iustitiæ.* Qui titulus non Ezechieli, non Nehemiæ, non Josue, non Regum ulli, aut Prophetarum, ut comminiscuntur Rabbini, quos sequitur Ruffinus, sed soli Messiæ in Paginis divinis tribuitur. Ut patet Isaiæ XXX. ubi dicitur: *Non faciet avolare Doctorem tuum.* Et cap. XLV. *Ecce testem populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem Gentibus.* Quo allusisse putatur Joël. Apud quem Doctor in Hebræo habet articulum *(Hammore)* (*a*) id est, ille eximius, ille singularis, ille excellentissimus *Orbis Doctor*, ille *Doctor Doctorum* ac Prophetarum omnium, quem singuli tam avidè expectamus: utpote à Prophetis omnibus promissum. Unde Jeremias cap. XXIII. loquens de Messia, *Hoc*, ait, *est nomen, quod vocabunt eum Dominus Iustus noster.* Et Daniel cap. IX. *Vt adducatur justitia sempiterna, & ungatur Sanctus Sanctorum:* nempe, Christus Messias noster. Qui unicus est noster *Doctor, Magister*, & *Rabbi*, per excellentiam, ut ipsemet testatur Matthæi XXIII.

SED quid hoc, inquis, ad *Campi-Doctorem militarem*, vel armorum *Magistrum*? Multum sanè. Nam synonyma sunt in lexico meo spirituali, *Doctor*, *Iustitia*, & *Armorum*. Siquidem, ut alibi demonstratur, arma Militiæ Christianæ sunt virtutes: at verò,


Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Qui ergo docet Justitiam, instruit Milites spirituales, quomodo congredi debeant, humilitate contra superbiam, largitate contra avaritiam, castitate contra luxuriam, benignitate contra invidiam, temperantia contra gulam, patientia contra iram, pietate contra acediam. Qui docet Justitiam, ostendit, quomodo *Milites Christiani* vibrare debeant *Gladium Spiritus*, qui est Verbum DEI; quomodo portare debeant *Scutum Spei*, ut inimici jacula retorqueant; quomodo aptare capiti *Galeam salutis*, ut diffidentiæ volitantes globos non pluris, quàm nivis floccos æstiment. Qui *Doctor* est *Iustitia*, tradit Auditoribus suis officia Justitiæ Christianæ, quæ sunt: *Declinare à malo*, sive peccato, &, *Facere bonum*, sive officia Justitiæ. In quo consistit tota ratio exercendi se, ac deinde bellandi cum hoste in campo virtutis.

(a) המורה. *More, Mir Doctor, Magister, Rabbi, Domina, unde Maria.*

QVI *Doctor* est *Iustitiæ*, ostendit suis, quomodo utendum sit armis Justitiæ à dextris, & à sinistris; in secundis, & adversis. Quomodo incedendum, velut inter hostium insidias, dextra sinistraque benè munitos ac protectos: inter gloriam & ignomineam: inter convicia & laudes. Quomodo nihil curandum, etiamsi hominum judicia, qui nihil, nisi humanum sapiunt, habeamur ut seductores, cùm tamen reverà nihil simus minus, sed veritatem, sinceramque doctrinam cunctis mortalibus, nulla spe præmij, aut mercedis in hac vita proponamus. Quomodo exultandum, dum quasi alieni & ignoti contemnimur: dum penè inter mortuos numeramur: dum omnium linguis, tanquam flagris excipimur, & castigamur. Quomodo gaudendum, cùm doloribus undique premimur, sed non opprimimur. Quomodo liberalitas exercenda in alijs locupletandis, dum quasi pauperes, ac rebus omnibus destituti vilipendimur, inopes, rerum omnium egeni. Nam in virtute, ac magisterio Christi, per hæc *Arma Iustitiæ* adversus Diabolum dimicamus, eundemque superamus. Christus igitur, quà Justitiæ, est *Magister Armorum*, & CAMPIDOCTOR. Illi quotidie nos supplices fieri convenit, ut doceat nos arma tractare spiritualia, ac hostes debellare, ijsque profligatis, debellatisque gratias agere, cantantes corde & ore suaviter: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum.*

AMEN.



COM-

COMMENTATIO III.

CHRISTVS CAMPI-DOCTOR
docens Manus ad prælium.

Quomodo in Militiâ Christianâ præliandum sit Manibus.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet Manus meas ad prælium: & Digitos meos ad bellum. Psalm. CXLIII. I.

MEMBRVM I.
VOTA PROBORUM
hoc diuturni belli tempore, turbato factionibus, & tumultibus Imperio.

VTINAM hoc tempore CAMPI-DOCTOR cælestis doceret manus Catholicorum Militum ad prælium, & digitos eorum ad bellum! Quas manus? quos digitos? ad quod prælium? ad quod bellum? Primò quidem, manus ac digitos corporis, ad prælium ac bellum corporeum. Hoc enim facere solet interdum, si reperiat, qui ipsius opem submisse, ac sedulò implorent; &, ut obtineant, illius se mandatis seriò accommodent. Nimirum, qui *diligunt*, vel conantur saltem diligere *Dominum* DEVM suum, *ex toto corde suo, & ex totâ animâ suâ, & ex omnibus viribus suis, & ex omni mente suâ, & proximum, sicut seipsum.* Hoc est, qui ita ad præceptorum ipsius observationem feruntur, ut nihil contra illa, sive per vires internas, sive per exteriora membra committant. Qui abstinent manus à rapina, furto, contactu turpi, & ab omni injuria. Qui continent os à contumelia, perjurio, diris, blasphemijs, & nefarijs, execrationibus. Qui cohibent pedes, ne evagentur, quò non deberent, ad aliorum agros, cum damno percurrendos, alienas segetes conculcandas, aliena horrea incendenda. Qui pedibus vincula inijciunt timoris divini, ne currant in omni pago, oppido, civitate, citius ad lupanaria, quàm ad templa, promptius ad prostibula, quam ad designata hospitia. Qui non concupiscunt animo uxorem proximi sui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa, quæ illius sunt. Qui non mæchantur, qui non occidunt injustè, qui sabbatum, ac

festum diem etiam in castris sanctificant, audiendo Sacrum, orando, confitendo, & communicando ante conflictum. Qui non assumunt nomen DEI sui in vanum. Qui non habent Deos alienos; & non adorant sculptile, id est, qui Ventrem, Bacchum, Venerem pro DEO non colunt, ijsque non supplicant. Denique, qui Joannis Baptistæ Concionatoris divini instructioni sese accommodant. Quem cùm Lucæ primo cap. interrogarent Milites dicentes: *Quid faciemus & nos?* respondit illis: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* Horum manus docet CHRISTUS DEUS noster ad prælium, & digitos ad bellum.

ITA docuit Davidem, qui carmen illud cecinit, post trophæum de Gigante reportatum, & post multas alias victorias divino auxilio ab hostibus gloriosè obtentas, laudans DEUM, quod singulari quodam dono peritiam cum robore concesserit, ad expugnandum, & sternendum Goliathum. *(a)* Præcipuè, peritiam ac artem, ut nimirum, prævaleret in fundâ & lapide adversus Gigantem, & ictu unico rectà frontem feriret. Roboris autem illud fuit quod adeò validè feriret, ut infigeret in fronte lapidem, atque cadere cum illam carneam cogeret in faciem suam; &, ut dejiceret exultatione ejus γαυρίαμα, seu superbiam, ut est apud Ecclesiasticum. *(b)* Nam *invocavit Dominum Omnipotentem*, inquit Auctor ille, *& dedit in dextra ejus tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ.* Sic quoque idem Dominus, ut bellandi & armorum Magister docuit Juditham animosissimam heroinam. Quæ idcirco, cùm armata Holofernem obtruncare statuisset, antequam id attentaret, suis orationem indixit, ut obtinerent peritiam utendi gladio: & cùm ad rem ipsam ventum esset, bis flagitavit *confirmari à Domino DEO Israël, &, ut ille respiceret ad opera manuum suarum, ut ipsa valido, certoq; ictu abscinderet hostis* sui ac totius populi *caput*. Ita etiam docuit *Gedeonem, Samsonem*, aliosque sibi caros militum proborum Ductores.

Hos inter è Christianis, fuit *Constantinus, Theodosius, Carolus Magnus*, & signatè, GODEFRIDUS BULLIONIUS, ille Catholicorum agminum in Palæstinam Antesignanus, terror hostium, suorum deliciæ: Castissimus *Bullionius*, Terræ Sanctæ idcirco recuperator gloriosus. Quem cùm Saraceni, missis quoque muneribus interrogassent, quomodo adeò doctas ad prælium haberet manus, ut hæ semper vincerent? respondit, quia easdem semper ab impudicis attactibus conservasset. Si plures hoc tempore in castris Catholicorum essent Bullionij, atque illi non dissimiles milites, felicius pugnaretur contra hæreticos, humani, divinique juris contemptores: non toties, nec tam fœdè cæderetur in optimâ caussâ propugnandâ Catholicorum exercitus: non tot clades passim audiremus tam propudiosas,

(a) *Lib. 2. Reg. 17.* (b) *Ecclesiast. 47. 5.* (c) *Judith 8. 9. 12. 13.*

diosas, &, ad æternum nostrum dedecus, tam funestas: doceret utique, & nostrorum Ducum ac Militum *manus ad prælium, & digitos eorum ad bellum.* Quod carmen Legatis à Clodoveo Francorum primo Rege Christiano missis ad S. Martini sepulchrum, ut is dignaretur de belli exitu respondere, Cantor ex improviso cecinit, quod Regi oraculi, felicisque ominis loco fuit. (*a*) Alibi Rex David præcinctum se virtute ad bellum à DEO gloriatur, & gratias agit Doctori suo, quod supplantatos insurgentes in eum sub eo viderit. Et Psalmo XVII. Laudat Dominum Exercituum, quod se eripuerit de manibus omnium inimicorum, & potissimùm Saulis, & cantat suaviter: (*b*) *Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti, ut arcum æneum brachia mea.*

(a) *Annal. Francor.* (b) *Lib. 2. Regum c. 22.*

MEMBRUM II.
MILITUM SCELERA
Bellorum infelicium caussa.

QUID miramur nobis idem favore DEI non contingere? Ad conflictum nos conferimus, pollutis non tantùm manibus, verùm etiam omnibus corporis membris, similes ijs, de quibus Jeremias cap. secundo: *Constupraverunt te usque ad verticem.* Nullum est intemperantiæ, nullum lasciviæ, nullum luxuriæ genus, quantumvis enorme & execrabile, quantumvis contra naturam, quantumvis bestiale, quod non committatur à nefarijs quibusdam impune. Isagoge ad Militiam, & magna paraskeve, ac rudimentum præliare, sunt scortationes, adulteria, aliaque nec dicenda, nec cogitanda: certè, sine horrore cogitationem nostram non attingunt, quæ referuntur, & proximè ante pugnam Hammeliensem, dum miles in his partibus moraretur, dicuntur patrata. Omitto sacrilegia in templis commissa, conspurcationes altarium, templorum violationes, contactum sacrorum, conculcationem Divinorum. Quæ à militibus tentata in occupatione Urbis Magdeburgensis fidem humanam penè superant. Horruisset Thrax, Scytha, Messageta, horruisset barbaries, horruisset Pentapolis.

ET istorum Orco dicatorum capitum inanitatem impleret Divinus Campi-Doctor scientia militari? illorum sacrilegas manus doceret ad prælium? illorum defædatos omni spurcitie digitos instrueret ad bellum? Maximè post conflictum prius inter ipsos poculorum armis commissum, post pergræcationem Macedonicam, compotationem Alemanicam, viscerationem Scythicam, vomitionem barbaricam. Mirum ne, tales dedecorosè ab hostibus concidi, velut pecora, qui vixerunt ut pecora? jugulari ut

sues,

sues, qui vixerunt ut porci? mactari ut canes, qui allatrarunt Lunam Mysticam Ecclesiam, ut molossi? Mihi mirum est, quod DEVS CHRISTVSque Judex justus & fortis superesse velit, ex tam infami contubernio, vel mingentem ad parietem. *Disperdet Dominus ab Israël caput & caudam, incurvantem & refrenantem die una* minabatur Propheta. (a) Et fiet aliquando, ut simul omnes pereant: non dubitate, nisi emendentur mores ac vita militum. Quæ quamdiu sceleribus erit inquinatissima, tam diu Imperium cædibus erit contaminatissimum. Nec speremus meliora.

AT quæ-nam tantorum origo malorum? pravitas Adolescentiæ. Si qui nunc sunt Milites, Signiferi, Duces, in adolescentia sua, & juventute fuissent moderati, temperantes, casti, pij; si non assuefecissent linguam ad mentiendum, jurandum, blasphemandum, Diabolum nominandum, utinam! non invocandum, ad turpia loquenda, membra alia ad obscæna facienda; si verarum virtutum posuissent solidum fundamentum, dum versabantur in Scholis Sapientiæ, vel officinis mechanicis nunquam in tam luxuriosos, sacrilegos, sceleratos evasissent Milites. Si Militiæ Christianæ, spiritualis ac tropologicæ, quam idcirco hic explicamus, præcepta hausissent, sibique impressissent, & secundum illa pugnare didicissent cum vitijs, & concupiscentijs, dum operam dabant adolescentes liberalibus disciplinis, ut vos omnes facitis (*Academici Christiani*) tot infamiæ notis maculatos non sustineret modò Imperium exercitus. Discite, Adolescentes, virtutem moniti, & in cujuslibet exercitatione, dum ætas est florida, præbete vos alacres, ac constantes: nunquam operæ benè locatæ vos pænitebit; & eritis vobis, familiæ, Reipublicæ, domi, militiæque utibiles ac fructuosi. Sic enim cùm ad maturam ætatem perveneritis, docebit CHRISTVS Dominus *DEVS noster manus* vestras *ad prælium, & digitos* vestros *ad bellum.*

(a) *Isaiæ capite* 9. 14.

MEMBRVM III.

CHRISTUS CAMPI-DOCTOR docet manus ad prælium spirituale, internum; mysticum. Ad quod Manus Symbolicæ, ac interiores necessariæ.

NEQVE solùm docebit manus vestras ad bellum illud temporale, externum, & corporeum, verùm & internum, ac spirituale, quod rationis ejusdem Manus ac Digitos postulat. Qua consideratione Dionysius Richelius per *Manus* intelligit Potentias operativas: *Intellectum* practicum, ut loquitur, & *Voluntatem*. Ut enim *Manus* est organum organorum: quippe, per quam conficiuntur omnia, ipsa quoque instrumenta,

ſtrumenta, quæ opera alia fabricantur: ita Intellectus & Voluntas, omnia, quæ ad internam rerum fabricam pertinent, efficiunt. Docet igitur CHRISTVS DEVS noſter, quomodo pugnandum cum adverſarijs *Intellectu*, quomodo *Voluntate*. Intellectu quidem, ſubijciendo illum, & captivando in obſequium fidei, firmiter aſſentiendo omnibus, quæ DEUS revelavit, & nobis per Eccleſiam credenda propoſuit, ſive ſcripta illa ſint, ſive non ſint. Sic, tanquam ſcuto æreo & impenetrabili, excipiuntur omnia Infidelitatis tela, & in ipſam retorquentur. Sic Infidelitatis exercitus unico velut gladij ictu, quaſi unicum tantum collum haberet, conficitur. Sic tentationes omnes contra fidem, tanquam flagello ſervili in fugam aguntur. Verùm, hoc pugnandi genus potius pertinet ad intellectum ſpeculativum.

ITAQUE docet etiam pugnare CHRISTVS Campi-Doctor Noſter *Intellectu practico*, per dictamina quædam ac decreta praxim ſpectantia, quibus, tanquam ſariſſis & gladijs in hoſtium cuneos irrumpimus, illoſque lædimus. V. C. incitat adverſarius membra corporis tui ad illa, quæ cum honeſtate non conveniunt: immò, quæ illi adverſantur, quæ turpia, obſcæna, laſciva. Occurrit ſubitò Intellectus practicus, antequam oculus ad vanitatem ſe flectat, antequam lingua verbum ſcurrile proferat, antequam manus ad mollitiem ſe extendat, antequam alia inſtrumenta ad illicita aptentur; & dictat lumine naturali illuſtratus: *Honeſtum eſt amplectendum: Inhoneſtum fugiendum.* Cave. *Nocet empta dolore voluptas.* Rurſus, E. G. incitatur impetus Concupiſcentiæ, ut vindictam de adverſario ſumat: ut talionem illi rependat, ac tantundem noceat adverſario, quantum is damni intulit. Advolat ante aciem Intellectus practicus, & intonat: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Mox corruit, tanquam fulmine ictus, adverſariorum cuneus. Iterum, E. C. impellit Avaritia, ut in contractu plus accipias, quàm des: duplici utaris menſurâ: defraudes proximum: mendacium perjurio copules: neges te accepiſſe depoſitum: clam vicino quidqiam detrahas: propalam rapias. Adeſt illicò Intellectus ille practicus, & præſcribit: Cuique dandum, relinquendum, admetiendum, quod ſuum eſt.

JAM verò *Manum* docet idem *Campi-Doctor* Noſter internam, id eſt, *Voluntatem* ad prælium, dum robur addit, artemque victoriam ab hoſte extorquendi ſuppeditat. In eo autem conſiſtit Voluntatis victoria, quod firmiter ſtringit, & retinet, velut manus ferrea, quod in ſe habet, & ejus eſt proprium. Quod-nam eſt proprium Voluntatis? *Conſenſus*, ſeu *Velle*: quod Philoſophi vocant actum ejus elicitum. Hunc nullis blanditijs, nullis promiſſis, nullis inſtigationibus, nullis tormentis permittat ſibi eripi, ſemper redibit ex conflictu cum hoſte quolibet triumphatrix. V. C. ingens in ſenſualitate tua, ut in camino ventis undique expoſito, oritur incendium, injecto à Venere igne, & concitatâ ab inſtigatore ſenſu, ceu Vul-

cano, flammâ, in aggestu straminis, fæni, stipularum, quem oculus ex Vanitatis agro congessit, ac in memoriæ infumibulo sepofuit. Occurrunt imaginationi venustissimæ species: inflammaris, æstuas, amas. Pater mi ardeo: non possum me continere. Falleris: in tuâ id est, cum divinâ gratiâ, potestate. Moveri me sentio. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mea* totus concutior: quo rapior? ah! ah! Pater: succumbo, quid remedij? Est-ne necessarium ad hoc, ut non peccem, linguam inter dentes premere, movere caput, convellere crines, pilos è barba extrahere, mordere ungues, aciculas cuticulæ infigere, tundere pectus, frontem in parietem impingere, currere, clamare, lacrymari? Nihil horum est necessarium, fili. Quid insanis? dic confidenter: *Benedictus Dominus DEVS meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Manus* tua est *Voluntas* tua: non permittat illa sibi extrahi, quem continet, consensum; quamvis caro titillet, appetitus anhelet, corpus æstuet, membra rebellent, sensualitas ardeat, hostis non te superabit. Nullum est peccatum, nisi voluntarium.

AT, inquis, quia inexpertus, periculum est, ne consensus violenter illi extorqueatur; nisi, cùm moveri incipit sensualitas, manus contorqueam, os diducam, pedibus supplosionem excitem: nisi sibilem, exclamem, aut saltem submurmurando dicam: non consentio: ita me DEVS amet, non consentio: aut me ipse horter, Sophronisce, non consentias. Ignare. Voluntas violentari non potest. Corporis membra, ad actum genere illicitum cogi possunt in prostibulo, si sint in manu raptoris: in voluntatem coactio ad consensum non cadit. Neque ad non-consensum ulla corporis motio est necessaria. Quo es quietior, dum ab hoste infestatur caro, eo firmius Voluntas, tanquam Manus, thesaurum suum conservabit. Dum insides equo, permittis illum naturæ operari, nec idcirco turbaris. Quæ est comparatio Urbani Papæ commentantis in Psalmum quinquagesimum. Eadem hic est ratio.

PORRO, pugnes hoc modo, Voluntate tanquam Manu (ut quod in uno hoc genere peccatorum est dictum, ad omnia extendatur) dum oppugnaris à Superbia, Gula, Ira, Invidia, Avaritia, Intemperantia, Acedia, semper victor evades: & CHRISTO DEO Campi-doctori gratias agens, occinere poteris canticum: *Benedictus Dominus DEVS meus, qui docet manus meas ad prælium.*

* * *

Men-

MEMBRVM IV.

MILES CHRISTIANUS
docetur pugnare duabus manibus.

OBSERVA, pluraliter diu à Pſalte, *Manus meas.* Non unam tantùm manum. DEI perfecta ſunt opera. Docet ille milites ſuos tam ſiniſtra pugnare, quam dexterâ. Non vult ſuos eſſe ſcævas, qui dexteræ loco, ſiniſtra utantur, ſed Ambidextros. Quales omnes in ſua Republica optabat eſſe Plato; modumque, ut fierent, præſcribebat, Exercitationem, crebramque aſſuefactionem. Et ſunt ſanè aliqui, qui à prima ætate ſtatim ſe exercent, ut *Ambidextri* fiant

MILITES AMBIDEXTRI.

CELEBERRIMVS in hoc genere eſt AOD Judex, cujus heroicum facinus deſcribitur Judicum tertio cap. Hic, ut inibi dicitur, *utraque manu pro dextra utebatur*, ideoque dexterrimè interfecit Tyrannum populi Iſraëlitici Eglon; cui, cùm ſecretò loqui vellet admiſſus ad auriculam, & ad ſolitariè agentem, *extendit ſiniſtram manum, ac tulit ſicam de dextero femore ſuo, infixitq; eam in ventre ejus tam validè: ut capulus ſequeretur ferrum in vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur. Nec eduxit gladium* Aod, *ſed ita, ut percuſſerat, reliquit in corpore.* Quod optimè ceſſit Duci Aod, quia erat Ambidexter. Sunt multi in Militia ſpirituali, quales eſſe vellet Milites omnes ſuos CHRISTVS Imperator, Ambidexteri, de quibus fusè ſanctiſſimus, doctiſſimusque Abbas Theodorus apud Caſſianum in Collationibus Patrum hunc in modum diſſerit. (*a*)

MILITES AMBIDEXTRI

Qui fortes in Proſperis, & Adverſis.

QVEMADMODVM de perfectis ac ſapientibus dicitur: (*b*) *Diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum*; Ita de infirmis pronunciatur ac Stultis: *Omnia adverſa viro inſipienti.* Nec enim proſperis rebus proficit, nec emendatur adverſis. Ejuſdem namque virtutis eſt, triſtia fortiter tolerare, cujus etiam ſecunda moderari, Et eum, qui in uno eorum ſuperatur, neutrum ſufferre certiſſimùm eſt. Facilius tamen quis elidi poteſt proſperis, quàm adverſis. Hæc enim interdum etiam invitos retinent, atque humiliant, & compunctione ſaluberrima vel minus peccare faciunt, vel emendant. Illa verò mollibus mentem ac perniciofis extollentia blandimentis ſecuros felicitatis ſuæ proventu ruina majore proſternunt. Iſti ergo ſunt, qui figuraliter in Scripturis Sanctis Ἀμφοτεροδέξιοι, id eſt, *Ambidextri* nuncupantur. Ut ille Aoth in libro Judicium deſcribi-

(a) *Collat.* 6. (b) *Romanor.* VIII. 28.

describitur, qui utraque manu utebatur pro dexterâ. Quam virtutem ita poterimus nos quoque intellectualiter possidere, si ea, quæ prospera sunt, Dexteraque censentur; & ea, quæ adversa sunt, ac Sinistra dicuntur, bono rectoque usu ad partem fecerimus dexteram pertinere, ut quæcumque fuerint illata, fiant nobis, secundùm Apostolum ARMA Justitiæ.

DUABUS namque partibus, &, ut ita dixerim, *Manibus*, interiorem hominem nostrum subsistere pervidemus. Nec quisquam Sanctorum carere hac sinistrâ, quam dicimus, potest: sed in hoc virtus perfecta discernitur, si utramque in *Dexteram*, benè utendo convertat. Et, ut manifestius hoc, quod dicitur, possit intelligi; habet Vir Sanctus *Dexteram*, successus videlicet spirituales: in qua tunc subsistit, quando fervens spiritu, desiderijs & concupiscentijs omnibus dominatur: quando ab omni Diabolica impugnatione securus, absque ullo labore, ac difficultate vitia carnis vel respuit, vel abscindit: cùm sublimatus à terra universa præsentia atque terrena, velut inanem fumum, umbramque vacuam contemplatur, & mox transitura contemnit. Cùm futura per excessum mentis non solùm ardentissimè concupiscit, verum etiam clarius intuetur: cùm efficacius spiritualibus pascitur theorijs: cùm lucidius sibi reserata conspicit cælestia Sacramenta: cum orationes purius atque alacrius emittit ad Dominum: cùm ita Spiritus ardore succensus, ad ea, quæ invisibilia sunt & æterna tota animi alacritate transmigrat, ut nequaquam se jam credat in carne consistere. Habet similiter & Sinistram, cùm tentationum turbidinibus implicatur: cùm ad desideria carnis incentivorum æstibus inflammatur: cùm ad iracundiæ furorem perturbationum igne succenditur: cùm superbiæ, seu cenodoxiæ elatione pulsatur: cùm Tristitia mortem operante deprimitur: cùm machinis acediæ, & impugnatione concutitur: cùmque omni spirituali fervore subtracto, quodam tepore, atque irrationabili mærore torpescit; ut non solùm cogitationibus rectis ac ferventibus deseratur, sed etiam psalmus, oratio, lectio, remotio cellæ simul horreant, & intolerabili quodam teтroque fastidio universa sordeant instrumenta virtutum. Quibus dum pulsatur Monachus, sinistris partibus se cognoscat urgeri.

QUISQUIS igitur in illis, quæ dexteræ partis esse prædiximus, minimè fuerit, sub intrante gloria vanitatis, elatus; & in istis, quæ sinistræ partis sunt, viriliter dimicans, nulla desperatione conciderit; aut potius de contrarijs Arma quædam patientiæ ad exercitium virtutis adsumpserit, utraque manu utetur pro dextera, & in utroque actu triumphator effectus, tam de sinistro statu, quam de dextro palmam victoriæ consequetur: illudque identidem poterit ingeminare: Benedictus Dominus DEUS meus, qui docet manus meas ad prælium. Talem B. Job legimus meruisse, qui utique per *Dexteram* coronabatur, quando septem filiorum pater opulentus, ac dives incedens, quotidiana pro eorum purificatione sacrificia

Domino

Domino offerebat; non tam sibi eos, quàm Deo susceptos, ac familiares »
cupiens exhibere; quando janua ejus omni venienti patebat: quando e- »
rat pes claudorum, & oculus cæcorum: quando de velleribus ovium illius »
humeri calefiebant infirmorum: quando erat orphanorum pater, & vir »
viduarum: quando nec in corde quidem suo super inimici sui ruina gavi- »
sus est. Idemque rursus per *Sinistram* partem sublimiore virtute de ad- »
versitatibus triumphabat, cùm septem filijs uno orbatus momento, non ut »
pater, acerbo luctu conficiebatur, sed ut verus DEI famulus super Creatoris »
sui voluntate gaudebat: cùm ex locuplete pauperrimus, nudus ex divite, ex »
valido tabidus, ex inclyto, & glorioso ignobilis, atque despectus, incor- »
ruptam animi fortitudinem retentabat: cùm denique omni substantiâ, at- »
que opibus destitutus, sterquilinij erat factus habitator; & veluti quidam »
corporis sui severissimus carnifex, testâ radebat saniem profluentem, atque »
ex omni parte membrorum glebas vermium, mersis in profunda vulnerum »
digitis, detrahebat. »

IN quibus cunctis nullam desperando prolapsus est in blasphemiam, nec »
adversus Creatorem suum in aliquo murmuravit. Quinimmò nequaquam »
tantâ tentationum mole, atque acerbitate conterritus, ipsum quoque, »
quod ex omni pristinâ facultate suo corpori superfuerat, indumentum, »
quodque solum, quia ipso vestiebatur à Diaboli poterat vastitate salvari, »
rescindens, atque abijciens, adjecit, super illam, quam dirissimus prædo »
intulerat, spontaneam nuditatem. Comam quoque capitis, quæ sola de »
prioris gloriæ reliquijs intacta remanserat, vexatori suo projecit abscissam, »
& amputans etiam id, quod sæviens reliquerat inimicus, illa cælesti adver- »
sus eum voce tripudiat & insultat: *Si bona suscepimus de manu Domini,* »
mala cur non sustinebimus? Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus »
revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit: quomodo Domino pla- »
cuit, sic factum est. Sit nomen Domini benedictum. Ambidexterum me- »
ritò dixerim & Joseph Patriarcham, qui in prosperis gratior patri, religio- »
sior fratribus, acceptior DEO: in adversis castus, Domino fidelis, carceris »
mitissimus vinctus, injuriarum immemor, beneficus inimicis; invidis, & »
quantum in ipsis fuit, interfectoribus fratribus, non solùm pius, sed etiam »
munificus invenitur. »

HI ergo, eorumque consimiles rectè *Ambidexteri* nuncupantur, utra- »
que pugnantes manu, ut *Dexterâ*; & inter hæc, quæ Apostolus denume- »
rat, (a) transeuntes pariter dicunt: *In verbo veritatis, in virtute Dei, per* »
Arma justitiæ, à dextris, & à sinistris. Per gloriam, & ignobilitatem; per
infamiam & bonam famam: ut seductores & veraces: sicut qui ignoti &
cogniti. Quasi morientes & ecce vivimus: ut castigati, & non mortificati.
Quasi tristes, semper autem gaudentes. Sicut egentes, multos autem locu-

(a) *Epist. 2. ad Corinth. 6. 7.*

" pletantes. *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Omnia igitur " quæ *Prospera* reputantur, & dextræ, dicuntur partis, quæ S. Apostolus " gloriæ, & bonæ famæ vocabulo designavit; illa etiam, quæ existimantur " *Adversa*, quæ per ignobilitatem, & infamiam evidenter expressit, quæque " à sinistris esse describit efficiuntur Viro perfecto *Arma justitiæ*, si illata sibi " magnanimiter sustentaverit. Quod videlicet per hæc dimicans, & istis " ipsis, quibus impugnari putatur adversis, tanquam armis utendo; eisque " velut Arcu, & Gladio, Scutoque validissimo, contra illos qui hæc ingerunt, communitus, profectum suæ patientiæ, ac veritatis adquirat gloriosum constantiæ triumphum; ex ipsis quæ lethaliter inferuntur capiens hostium telis: nec prosperis dumtaxat elatus, nec dejectus adversis; sed itinere plano, ac via regia semper incedens, ab illo tranquillitatis statu, nequaquam lætitiâ superveniente, quasi in dexteram motus: neque adversis " ingruentibus, tristitiaque dominante, velut ad lævam rursus impulsus.

" DE utraque hac *Manu* ita Salomon ex persona Sponsæ loquitur in Cantico Canticorum: (a) *Leva ejus sub capite meo, & dextera ejus amplexabitur me.* Quas licet utrasque esse utiles significet, tamen *Levam* sub capite suo ponit, quia subjacere debeut adversæ partes principali. Ad hoc " siquidem tantùm utiles sunt, ut pro tempore nos exerceant, & erudiant " ad salutem, ac perfectos ad patientiam reddant. *Dexteram* verò ad confovendam se, ad perpetuò conservandam salutari amplexu Sponsi sibi cohærere, atque insolubiliter ei optat innecti. AMBIDEXTRI erimus igitur, " quando nos quoque rerum præsentium copia, vel inopia non mutarit: & " nec illa ad voluptatis noxiæ remissionem impulerit, nec ista ad desperationem attraxerit, & querelam: sed similiter DEO grates in utroque referentes, parem fructum de secundis, adversisque capiemus. Ita *Ambidexter* " fuit Paulus Apostolus, qui se tam in secundis, quàm in adversis animi æquabilitatem, ac constantiam retinuisse significat. Ideoque DEO gratias agens cantare potuit: *Benedictus Dominus DEVS meus, qui docet manus meas ad prælium.*

EST autem illud minimè negligendum, quod non solùm Theodorus Abbas apud Cassianum, verum etiam D. Chrysostomus, cui ceteri consentiunt Græci Interpretes, habet: res adversas, itemque secundas, *Arma Justitiæ* vocari: & Adversas quidem Sinistræ, secundas verò Dextræ nomine significari. Dicuntur autem *Arma Iustitiæ*, vel quia valent ad Justitiam retinendam, & conservandam: vel quia ipsa sunt quodammodo justa. Virorum enim justorum proprium est, neque efferri secundis, neque deprimi prosperis. Sic nos decet esse Ambidextros.

MILITES

(a) *Canticorum* 2. 6.

MILITES AMBIDEXTRI.

Qui Prudentes & Providi. Qui Natura & Gratia dotibus excellentes. Qui Sanctitate & Doctrinâ, Quiete & Motu: Dictis & Scriptis: Litteris sacris & profanis Eximij. Qui Æquanimes.

ALIO modo in Militiâ Christianâ. ac spirituali sunt *Ambidextri* non pauci, quia prudenter instituunt omnia; sunt homines cauti, qui ne peccent, offendantque uspiam, ad præterita cogitationem reflectunt, & in futura providentiam suam extendunt. Sunt multis, non solùm Naturæ ac ingenij, sed etiam Gratiæ divinæ præsidijs ad benè agendum, & pugnandum fortiter instructi. Præterea, *Ambidextri* bellatores sunt in CHRISTI D. exercitu, qui vitæ Sanctitate, & Doctrinæ copiâ: Qui contemplationis quiete, & actionis labore. Qui sacrarum Litterarum scientiâ, & profanarum peritiâ. Qui linguarum variarum cognitione: Qui dicendi, scribendique facultate hæreticos, atheos, pseudopoliticos oppugnant, confundunt, sternunt. Qui Religionis arcem defendunt. virtutis propugnaculum protegunt; qui heterodoxos ad Christi signa adducunt, & infernalibus sese hostibus opponunt. Hi decantare possunt laudem Altissimo: *Benedictus Dominus DEVS meus, qui docet manus meas ad prælium.* AMBIDEXTRI bellatores sunt, qui adversis gaudent, tanquam prosperis: maledictis exultant, tanquam encomijs: paupertatem perferunt, tanquam divitias: morbos, tanquam sanitatem: denique mortem, tanquam vitam.

MILITES DEXTRI.

Qui una, non pluribus dotibus insignes.

DEXTRI sunt, non *Ambidextri*, qui solam aut theoreticam, aut practicam: solam contemplativam, aut activam; solam interiorem non exteriorem vitam sectantur. Qui aut sine sanctimoniâ eruditionem, aut sine eruditione sanctimoniam comparant. Qui benè agunt, sed ad proximos muti sunt, aut contrà Qui benè quidem loquuntur, sed minus quàm possent, bona faciunt. Hos cantare convenit in singulari: *Benedictus Dominus DEVS meus, qui docet* MANVM *meam ad prælium.*

MILITES SINISTRI.

Qui circa Intentionem & Exequutionem: circa Finem & Media: circa Deum & Proximum errant.

SVNT quidam toti SINISTRI, seu, ut Græci dicunt, Ἀμφαρίστεροι, *Ambilævi.* Qui & in animo finem malum, & in opere actionem habent pravam, cùm neque in DEVM neque in proximum caritate ulla feruntur: ideoque à Christi castris proscripti.

MEMBRUM V.

PUGNANDUM MANIBUS.

Nimirum, omnibus animæ atque corporis facultatibus.

VERUMENIMVERO, cùm *Manus* audio in plurali: non duas tantùm manus in duali, sed plures concipio. Quare nomine Manuum, quas DEUS, & CHRISTUS Campidoctor docet ad prælium, intelligo, quicquid in Evangelio de dilectione apud Matthæum, Lucam & Marcum multiplicatis verbis exprimitur. (*a*) Dum enim dicitur, diligendum DEUM *ex toto corde, & tota anima: ex omnibus viribus, & omni mente*, significatur imprimis Corpus & Anima: Caro & Spiritus: homo exterior & interior: tum potentiæ externæ & internæ: facultates animæ, membra omnia corporis; ut nihil sit, quod ad digendum DEUM super omnia non conspiret: id est, ad mandata illius perfectè exequenda. In hoc enim consistit perfectus DEI amor, ut ipsius Legem servemus: ut virtutem colamus, in fide firmi, in spe constantes, in caritate fervidi: sobrij, humiles, mansueti, casti. Ad quæ utimur intellectu, voluntate, memoriâ; sensibus omnibus corporis, ac viribus animi, tanquam manibus. Itaque nomine Manuum intellige omnia, quæ in nobis sunt, ad conservandum Caritatem DEI ac proximi; & consequenter ad præliandum contra Carnem, Mundum, Cacodæmonem; contra vitia & concupiscentias, instrumenta omnia: nimirum, Corpus & Animam, sensum & spiritum, hominem exteriorem & interiorem; tum potentias externas & internas, facultates animæ, membra corporis. Nam sive dum oppugnamur; sive, dum illum invadimus, ut oppugnemus, utendum nobis est corpore & anima, utendum intellectu, voluntate, memoria, utendum sensibus corporis ac viribus animæ, tanquam Manibus, ut victoriam consequuti cantare DEO grati, & gratulantes possimus: *Benedictus Dominus DEUS noster, qui docet manus nostras ad prælium.*

(a) *Matth. 22. Lucæ 10. Marci 12.*



NOTÆ

NOTÆ.

In quibus Auctores, & Animadversiones.

S. QVI docet Manus meas ad prælium.] *Agnoscit David DEVM, ut suum in armis Magistrum, ideò gratias agit & laudat, Psal.* XVII. 35. *lib. secundo Reg. c.* 22. *Cum pax non obtineatur sine bello, Pacificus & Pacificans Noster Salomon, ut consequi possint; quos amat asseclæ, pacem firmam, ad bella facit doctissimos: ideò docet Manus & Digitos: illis enim tractantur arma, eâ arte, quâ inferuntur, ictus, declinanturq́, quam vulgus vocat* Scrimiam. *Cujus Magistrum appellabant veteres* Campi-Doctorem, Doctorem armorum, ὁπλοδιδακτήν. *Vide Valtrinum de re Militari lib.* 1. *cap.* 4. *& Lipsium lib.* 5. *de Milit. Rom. dial.* 14. S. Hilarius *de solo Christo Bellatore intelligi putat, quod manus habuerit edoctas ad bellum, cùm vicit Seculum, prout ipse dicit, Joann.* XVI. 33. Ego vici Mundum. *Cùm extensus in Cruce, invictissimis armis Passionis instructus fuit. Manus illi extensa fuerunt, & digiti confixi in palmis, ac simul deletum affixum Cruci chirographum vetus peccatorum nostrorum.*

S. Augustinus *Enarratione in Psalm.* CXLIII. *explicans Manus cum Digitis doctas ad bellum, & prælium, observat, in Digitis designari divisionem operationis cum radice unitatis, propter Manum eandem, sive propter eundem Spiritum, à quo sunt divisiones gratiarum ab Apostolo enumeratarum,* 1. *ad Corinth.* XII. *Monet etiam, ut pugna sit adversus carnem à Spiritu,* (a) *& ita totius hominis, adversus* Principes ac potestates tenebrarum, (b) *per gratiam DEI, in quo exultamus, tanquam in Adjutore.* (c) Præliaris vis, *ait,* indoctus, damnaberis victus. Primùm ergo subdas te DEO; deinde, illo docente te, & adjuvante, *prælieris, & ducas*: Qui docet Manus meas ad prælium, & Digitos meos ad bellum.

Cassiodorus *scribit, Manus tunc à DEO censeri doctas ad prælium, quando promptè operationes bonas exercent: Digitos autem ad bellum, cùm salutaribus consiliis obsequuntur. Consilia enim istiusmodi de corde nostro, velut quidam radii prosiliunt, dum aliqua subtilitate caussas necessarias obtinere contendunt, ac Spiritui-Sancto peculiariter attribuuntur, ut dicatur Digitus DEI, Exod.* VIII. 13. *cap.* XXXI. 18. *Luc.* XI. 20.

S. Bruno *Carthusianus*, ac B. Remigius *per* Manuum prælium, *quod fit cominus, ac gladiis, intelligunt conflictum contra majores tentationes; per* Digitorum bellum, *quod agitur eminus, ac sagittis, aliisq́; missilibus contra minores suggestiones.*

Dionysius Richelius, *per* Manus *vult significari symbolicè potentias operativas; Intellectum practicum, ac Voluntatem; per* Digitos, *virtutum habitus, & discretionem. Licet etiam accipere* Manus, *ut sonant, Manus corporis, quas sæpe DEVS in milite docet ad prælium, si sint castæ. Quò spectat exemplum Bullionii, quod est in textu. Lege Thom. Sail. in Praxi Spirit. cap.* 8.

Mich. ël Aigvianus *in Ps. scribit non* impu-

(a) *Galat.* 5. (b) *Ephes.* 6. (c) *Psalm.* 82.

impugnari à Diabolo Digitis, quando à remotis, sub colore virtutum de vitijs tentat: nobis verò tunc astutias illius distinctè considerandas. Impugnari Manibus, *quando propè, apertèq; de vitijs tentat: nos autem tunc debere gladio caput ejus abscindere, principio tentationis contradicendo.* Idem Auctor *admonet, ut exemplo Christi Ducis Nostri simus audaces in aggrediendo, sapientes in protegendo, constantes in congrediendo.* Primum *facimus, cùm E. C. jejunamus non tentati de gula: humiliamus nos non tentati de superbiâ: atque ita de alijs virtutum operationibus.* Secundum, *cùm opponimus tentationibus testimonia, & exempla, quæ nobis suppeditantur ex Scripturis.* Tertium, *quando in pugnâ perseveramus.*

S. Bonaventura *in Psalm.* CXLIII. *militaria quadam immiscet Theologicis contemplationibus. Inter alia. Pugnaturo hæc esse necessaria:* Arma, Scientiam, Fortitudinem, Audaciam, Perseverantiam. *Ad scientiam spectat, quod Manus doceantur ad prælium, & Digiti ad bellum: ad fortitudinem, quod in eodem Psalmo paullò post DEVS appelletur Misericordia, & Refugium. Constantiam innuit, quod David cantat:* In Te speravi. *Victoriam respicit, quod sequitur:* Qui subdit populum meum sub me.

Arnobij *est ista Commentatio:* Doceri manus in prælio, *non armis, sed precibus pugnaturas. Quemadmodum cùm levabat Moses manus ad DEVM, vincebatur hostis. Digitos ad bellum doceri, ut digitis armemus frontem, securiq; dimicemus adversus hostes visibiles & invisibiles.* Vid. Exod. XVII. 11. Lege Gretzerum, *de Cruce Tomo 2. lib. 3. cap. 1.*

Hugo Cardinalis *varia prælia enumerat, ad quæ Manus doceri debeant. Nimirum, Prælium tentationis, disceptationis spiritualis, Diabolicæ impugnationis, extremæ persequutionis, Divinæ severitatis. Item, Bellum bonorum quod* DEVS *docet, dicit esse contra peccata & concupiscentias, ut* ignea inimici tela *extinguamus, ad Ephesios* VI. 16. *id est, Cacodæmonis suggestiones:* Portas hostium *subvertamus Iudic.* V. 8. *hoc est, Mundanorum astutias:* Castra exterorum vertamus, *Hebræorum* XI. 34. *In hoc bello exigit Magnanimitatem in aggrediendo: Prudentiam in progrediendo: Constantiam in sustinendo: Fortitudinem in expugnando. Bellum malorum, ductore Diabolo, cui datum est id facere cum Sanctis, Apocalypsis* XIII. *distinguit in bellum iniquitatis per linguam, persequutionis corporalis, carnalitatis in membris regnantis. Digitos, quibus benè pugnetur; recenset, Gratiæ, Intentionis bonæ, Iustitiæ, Discretionis. Et sex digitos nominat: fortasse allusione facta ad Gigantem, de quo mentio in historia Regum libro secundo, qui senos in manibus pedibusq; habebat.*

Philippus Greveus *Cancellarius Pariensis sermone* XIX. *in Psalmos hunc ferè in modum differit: In* Manibus *operationem designari, in* Digitis *discretionem. Vt sit operatio discreta, & discretio operativa. Dexteræ attribui posse Opera fortitudinis, vigorem severitatis, exercitiaq; Iustitiæ. Officia verò mansuetudinis, lenitatem pietatis, impendia misericordiæ, sinistræ. In quinque Digitis totidem spectentur gradus discretionis, qui sunt: dijudicatio inter licitum & illicitum: deliberatio inter commodum & incommodum: dispositio inter ordinatum & inordinatum: dispensatio inter opportunum & inportunum: moderatio inter moderatum, & inmoderatum. Singulis autem gradibus vocabula singulorum digitorum scitè applicantur: pollicis, indicis, medij, auricularis, minimi. Vide Commentationem sequentem, ubi hæc exponuntur fusius.*

S. MAR-

S. MARTINVS *sine galea, clypeoq́, soloCrucis signo protectus hostium cuneos penetrare non dubitabat; doctas nimirum à DEO Manus habens ad prælium, & Digitos ad bellum.*

S. FRANCISCVS *initio conversionis vidit palatium augustum ac speciosum cum militaribus armis Crucis Christi signaculo insignitis, eaq́, sua & militum suorum fore audivit. Vide Opusculum* Sandæi, *cui titulus*: Religio S.Francisci Amatrix, Cultrix, Imitatrix CRVCIFIXI.

S.Hieronymus *præfat. l. 2. Commentariorum in Isai. rogat Eustochium,ut se in Scripturarum explanatione certante cum Mose elevet Manus, ut qui exiens de AEgypto, mare transivit rubrum,vincat Amalec, qui interpetratur* devorans, & elingens,*ut possit cum ipso dicere:*Benedictus Dominus DEVS meus,qui docet *Manus* meas ad prælium, & *Digitos* meos ad bellum. Idem *docet in Eccl.* IV. *Manus accipi pro operibus.*

§. AMBIDEXTRI.] Plato *suos optabat fieri* Ambidextros, *modumq́, præscribebat, exercitationem, crebramque assuefactionem, ut notat* Marsilius Ficinus *in argumento Dialogi 5. de* Iusto. *Apud Homerum Iliade 2. laudatur* Asteropæus, *quod esset* Ambidexter: *est enim id signum virilitatis & fortitudinis. Quare nulla fœmina talis est visa, teste Galeno Aphorism. 7. Hipp. & Plinio lib. 7. cap. 11. Apud* Athenæum *etiam libro 1. initio Asteropæus vocatur Laurentius quidam, doctissimus, potentissimusque civis Romanus, quod Græcorum, patriorumque rituum, & Græcæ Latinæque linguæ esset peritissimus. Apud* Libanium, *præfat. in Demosthenem Proconsul Montius: & apud alios, qui pluribus vel natura, vel ingenij, vel fortuna bonis instructi fuerunt ad bene agendum, vocantur* Ambidextri. *Meminit Galenus lib. in Hipp. Aphorism. ad 43. Certè, Milites optimi & pugiles, utraque manu digladiantur, & in orbem præliantur.*

Apud Hypponactem, *qui prudenter instituit omnia, &, ne peccet, offendatque usquam, ac proinde, præterita respicit, futuraque prospicit sapienter, is, ait,*

Ἀμφιδέξιος γάρ εἰμι κ᾽ οὐχ᾽ ἁμαρτάνω.

Ambidexter sum, nec aberro percutiens:

sicut aberrant aliquando, qui sola dextera feriunt. Monitum fuit Platonis, quod recitat Aristoteles libro 2. Politiæ viros debere studere, ut Ambidextri evadant, quo aptiores reddantur ad bellum. Id autem fit assuetudine: si quis sinistra utatur, eamque frequenter exerceat, aptabit eam, quasi dexteram. Sic videmus, qui assuescunt scribere sinistra, hac assuetudine fieri, ut tam commodè deinde pingant litteras sinistra, quàm dextera.

§. SCÆVA.] σκαιὰ, sinistra. *Qui sinistra manu utitur pro dextra, & dextra pro sinistra, dicitur Scæva. Hoc nomine dictus fuit fortissimus quidam Cæsaris miles, qui apud Dyrrachium magna Pompeianorum vi oppugnatus, multisque vulneribus acceptis, adduci tamen non potuit, ut castelli commissi sibi custodiam desereret. Sueton. in Cæs.* Scæva excusso oculo, transfixus fæmore, & humero, centum & viginti ictibus scuto perforato, custodiam sibi cõmissi castelli obtiquit. *Mutius ille Romanus, qui dexteram coram Porsena Rege Hetruriæ animosè exussit, ideoque deinceps sinistra est usus pro dextrâ, cognominatus est Scævola, id est, Sinister, qui Italis dicitur mancino.*

5. DILIGENDVS DEVS ex toto corde, anima, viribus, mente.] *Ioannes Maldonat. Matth.* XXII. *sunt, qui hæc nimis subtiliter meo judicio distinguunt. Mihi omnia unum hoc videntur significare, ut DEVM, quantum possimus diligamus, & omnia quæ habemus isti impendamus. Quod* D. Augustinus *l. 1. de Doctrina Christ. cap. 22. his verbis exposuit. Cùm ait,* toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re frui velit: sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. *Denique, quæ diversis verbis Deuter.* VI. 5. *dicuntur uno continentur verbo, quod Lucas cap.* X. 27. *posuit:* Diliges Dominum DEVM tuum ex omnibus viribus tuis.



COMMENTATIO IV.

CHRISTVS MAGISTER ARMORVM *docens Digitos ad bellum.*

Quomodo in Militiâ Christianâ bellandum sit Digitis.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet Manus meas ad prælium; & Digitos meos ad bellum. Psal. CXLIII. 1.

MEMBRVM I.

DISCEPTATIO PARABOLICA

super controversiâ: Quomodo differant, doceri Manus ad prælium, & Digitos ad bellum?



IVCVNDA fuit proximè superioribus diebus, ac erudita disceptatio inter duos nobiles Adolescentes Academicos mihi percaros, quippe, non tantùm assiduos mearum Commentationum Auditores, quales multi; sed simul attentissimos, quales fortasse pauci. Nam dicunt illi repetere posse, ac solere domum regressi, quæ audiverunt, tam accuratè, ac si singula in memoriæ tabellâ insculpsissent: nomen uni est *Theophilus*, alteri *Eusebius*. Hi, cùm audivissent in Sermone hunc antegresso bellicosissimum Principem Davidem egisse DEO, tanquam Campidoctori gratias, quod docuisset *Manus suas ad prælium, & Digitos suos ad bellum*, disputarũt acriter: An quis doctas possit habere *Manus*

ad prælium, & non doctos *Digitos* ad bellum? An inter ea sit nonnulla diversitas? &, quæ-nam illa? An potius sint idem?

THEOPHILVS dicebat: idem sibi videri. Et sanè, accuratus Psalmorum Interpres Joannes Lorinus, meus olim Romæ (*a*) in Bibliacis Magister: videri, scribit, synonyma posse: *Doceri manus ad prælium*, &, *Doceri digitos ad bellum*. Quocirca in Hebraico contextu, & Græco, haud reperitur particula conjunctiva, *&*, psalmo illo CXLIII. sed habetur ita: *Qui docet manus meas ad prælium: digitos meos ad bellum*: nimirum, docendo manus ad prælium, aptat digitos ad bellum. Adjungo, quod in Psalmo XVII. quem cecinit David, quando eripuit eum Dominus de manibus omnium inimicorum ejus; & signatè de manu Saulis hostis capitalissimi, reperiatur, solùm pars prima: *Qui docet manus meas ad prælium*: quasi in eâ posterior contineatur. Quod etiam fit libro secundo Regum cap. XXII. ubi legitur eadem gratiarum actio. Suffragatur ad idem asserendum ratio. Quid enim aliud est *Manus*, quàm extremitas brachij constans digitis? Nec alio modo utimur manu in armorum tractatione, quàm digitis ea stringendo.

EVSEBII mens fuit alia, qui diversum quid indicari existimabat alterutro carminis illius membro. Et primò quidem, certum esse ajebat, posse Manum arma tractare tametsi digitos non habeat. Nec idem sunt Manus & Digiti. Tam distinguuntur digiti à manu, quàm manus à brachio. Manus à manando dicitur: sive quod ex brachio manet; sive quod ex ea manent digiti. Sit manus sine digitis. Contingit sanè in quibusdam digitos aliquot concrescere; concrescant omnes, & Manus sit una caro aut cartilago, moveri habilis, non minus tunc, quàm modò, arripere poterit, & stringere ensem, sarissam portare, jaculari telum. Manum habet elephas, nullos digitos. Ea autem utitur dexterrimè, arma apprehendendo, versando, vibrando. Græcis *Proboscis* dicitur, Latinis simpliciter *Manus*, quâ elephantem resolvere nodos, auctor est Plinius.

AT, qui manum habet cum digitis, ut habebat David, obij[...]bat THEOPHILVS, is non nisi doctas manus habet ad prælium, quia d[...]tos doctos ad bellum. Negabat hoc constanter EVSEBIVS. Et quon[...]m non est ex ijs Adolescentibus, qui, dum vacatio datur à litterarijs [...]cupationibus, hyeme illatebrant se in hypocaustum, & tempus pome[...]ianum fallunt, post fornacem, scurrilibus fabulis, aut, ad focum, & m[...]ulam, chartarum, alearumque lusu, optimas horas corporis exercit[...]oni dandas comburunt; æstate verò matutinum tempus somno iner[...]erdunt; diurnum languido ocio trajiciunt; aut inter domesticorum g[...]es, fortasse servos & ancillas, vel in gramine & umbrâ, ut Tityrus & [...]psulus sub fagi tegmine. Sed exercet corpus per ferias, & vacation[...]ies, cùm ocium est à litteris,

(a) *Romæ*, *Anno* M. DC. III.

literis, nunc ambulando, & in campo cursu certando cum æqualibus, nunc pilam minorem manu, aut reticulo datatim proijciendo, & recipiendo; nunc majorem, & vento inflatam, instrumento brachiali in altum mittendo; nunc pugillando, nunc innocuè versando gladium, nunc sine periculo jaciendo sagittas, nunc rotando fundam; in quibus, sicut & in saltu virili, Martiali, ac honesto; item, in cantu, musicaque, tum assæ vocis, tum instrumentorum variorum est exercitatissimus. ut suæ sortis nobilibus Adolescentibus omnibus exempli facem præferre possit EVSEBIVS.

IS ajebat: dicebat ad quædam arma rectè tractanda requiri Manum, nulla distinctionis digitorum habitâ ratione: ita gladius manum præcipuè postulat. Ad quædam alia exposci Digitorum auxilium, ac penè argutias. Id cerni potissimùm in fundâ, ad quam aptandam, distringendam, circum caput agitatione, ac rotatione artificiosè ducendam, Digiti singulariter doceri debent, ajebat, addens, ut docebo vos, sequenti vacationis die, si mecum in campo exercitationis fueritis. Et quoniam David fundâ circumductâ ictu unico Gigantem immanem straverat, & gladio ei caput absciderat, agit Campidoctori suo ut armorum peritissimo Magistro gratias, quod ad hoc Manus, ad illud Digitos docuisset. *Benedictus Dominus DEVS meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Illustri nobis documento & ad stimulum, ut quando præclarum aliquid à nobis est patratum, & beneficio aliquo à DEO donati sumus, gratias mox illi, ut donatori munifico agamus. Quod, ut faciendum doceret Dominus commendat in Evangelio Samaritanum (a) alienigenam, qui unus ex decem leprosis sanatis magnificavit DEVM magna voce, & cecidit in faciem, gratias agens.

(a) *Lucæ capite* XVII. *16.*

MEMBRVM II.
NECESSITAS DIGITORUM in bello spirituali. Digitorum singulorum nomina: & significatio.

EST autem multo major differentia in modo pugnandi *Manibus* ac *Digitis*, dum agitur de bello spirituali, quàm in prælio corporeo. In eo autem quomodo doceat CHRISTVS DEVS, & CAMPIDOCTOR Manus nostras ad præliandum contra Cacodæmonem, Mundum, Carnem, seu, contra Vitia & Concupiscentias, proximè declaravimus; nunc quomodo Digitos erudiat, exanimemus. Et, quia in singulis manibus quinque sunt digiti communiter (nam monstrum fuit Gigas ille, (a) qui, ut est in Regum secundo, senos in manibus pedibusque habebat digitos, id est,

(a) *Lib. 2. Reg. 21.*

id est, viginti quattuor (Quod Paulinus memoria, ut reor, lapsus, *(a)* Goliatho, quem David superavit, tribuit: nam illum alium occidit filius fratris David Samaa, nomine Jonatham.) ne obscurior sit nostra commentatio, de Digitorum prælijs; nominemus initio singulos Digitos cum declaratiunculâ.,

PRIMUS in manuum digitis dicitur *Pollex*, quod vi ac potestate inter ceteros digitos polleat. Hinc apud Græcos ἀντίχειρ *(b)* vocatur. Alio nomine appellatur *Hallux*, ἀπὸ τοῦ ἅλλομαι, *salto*: quod constrictâ manu, proximum digitum solus scandat. Qui pollici proximus nominatur *Index*: λιχανὸς δεικτικός: propterea, quod in indicandâ re quapiâ eo uti soleamus. Veteribus etiam dicebatur *Salutaris*. Unde illud: *(c) Ad os compresso digito salutari silentium commonebat. Medius* ceteris longior, satis est eo nomine noscibilis. *Quartus* à pollice, dicitur *Anularis*, *(d)* quod in eo antiquissimis temporibus anuli gestari consueverint. Item, *Medicus*, aut *Medicinalis*, quod prisci Medici miscerent eo pharmaca. *(e)* Ultimus est *Auricularis*, qui & à quantitate dicitur *Minimus*. *(f)*

(a) *Epistola 23.* (b) *Quod æqui polleat manui.* (c) *Capell lib. de Nupt Phil.* (d) μέσος. (e) ἰατρός. (f) μικρός.

MEMBRUM III.
POTENTIA DIGITI,
ideoq; significationes symbolica.

JAM verò, admirandæ potentiæ ac fortitudinis est *Digitus*. Quare DEUS, quando cum hostibus suis congreditur, eosque profligat, delet, vel gravissimis afficit supplicijs, *Digito* pugnare dicitur. Certè, Exodi VIII. immittens Pharaoni plagam sciniphum quas producere non potuerunt Magi, dixerunt ad Pharaonem: *Digitus DEI est hic.* Qui scilicet Mosi adsistit, illumque juvat, ac pro illo pugnat; sed nos invadit, ac compescit, & cogit nos illi cedere. Quamvis autem aliqui existiment, *Digitum* ibi significare plagam, quam DEUS levi motu, & quasi digito suo infligebat: sicque, ut decem digitos habet homo, ita decem fuisse plagas Ægypti; tamen illo significari non dubito DEI POTENTIAM, virtutem, operationem. Brachio enim ac Digitis, quæ actionis sunt instrumenta, potentiam, actionemque denotant Hebræi. Et est in DEO unica virtus operativa: unus Digitus. Qui tamen est multiformis & multiplex, ratione multorum effectuum. Unde vocatur *Digitus*, vel *Digiti*. Sic Psalmo VIII. *Videbo cælos tuos: opera digitorum tuorum.* Ita ferè commentantur, Rupertus, Cajetanus, Lyranus, Lipomanus, Cornelius. Adde, *Digitum* DEI ingentem quandam *Potentiam* indicare, ut significetur, virtutem, quâ operabatur

perabatur Moses, fuisse eximiam, ac insuperabilem. Sic vocantur *Montes Dei, Cedri Dei*, id est, altissimæ.

MYSTICE autem, *Digitus DEI* est *Spiritus Sanctus*. Et quidem *Digitus*, præclarum est *Sancti-Spiritus Symbolum*. Tum quia, sicut Digitus à brachio & manu; ita Spiritus-Sanctus à Patre Filioque procedit. Tum quia, quemadmodum multi sunt digiti; ita multa sunt dona S. Spiritus. Tum quia, tot sunt digiti dexteræ manus, quod sinistræ: quoniam pari fortitudine, ac gratiâ Sancti Spiritus indigemus ad sustinenda prospera, atque adversa. Sic ferè differit in Exodum S. Augustinus, Hieronymus, Gregorius Nyssenus. Et sanè, accommodatè ad Novi Testamenti arcana. Siquidem, quod S. Lucas capite XI. scribit, dixisse Christum: *Si in digito DEI eijcio Dæmonia*, Matthæus cap XII. refert dixisse: *Si in Spiritu DEI eijcio Dæmonia*. Itaque, *Digitus Dei, & Spiritus Dei* una res sunt, ut rectè infert Maldonatus Marci VII. ubi sanaturus surdum ac mutum misit Christus digitos suos in auriculas ejus: nempe, duos, ut interpretatur Euthymius, dexteræ manus digitum in dexteram, sinistræ in sinistram mittendo: fortasse transversâ in figuram CRUCIS ponendo brachia. Quod Patriarcham Jacob filijs Joseph benedicentem fecisse legimus Genesis XLVIII.

NEC absurdè Tertia in Trinitate Persona symbolicè *Digito* exprimitur, cùm hic Symbolum etiam sit Primæ, ac Secundæ; Patris, ac Filij. Cujus rei gratiâ, veniat vobis in mentem, quod habet Isaias de DEO, cap. XL. *Appendit tribus digitis molem terræ.* Quod ad tria DEI attributa, seu perfectiones quidam referunt, ut designentur, *Sapientia, Bonitas, Potentia*. Sed Paschasius (a) per ternos illos Digitos, haud insulsè Sanctissimam Trinitatem accipit: *Nonne*, ut ait, *hic in tribus* Digitis *potentia unius æqualitatem sub quadam mysterij lance libravit*? Sic & Glossa: *Sunt*. inquit, *tres Digiti*. Quid, quod ipse Christus Dominus mysterium Sanctissimæ TRINITATIS, per Manum tres digitos continentem repræsentavit S. Annoni Archiepiscopo Coloniensi? Visionem narrat Sigebertus in ejus vita: *Christus*, inquiens, *radiantibus oculis in ora stupentis comem se, & placidum ingerens, protensis coram eo tribus sinistræ manus digitis, primum eorum dextero tetigit indice, dicens*: Ecce Pater. *Moxq; secundum*: Ecce Filius. *Post hac & tertium*: Ecce Spiritus-Sanctus. *Et voces intra fauces paullulum cohibens*: Ecce Tres, ait, in una Deitate similiter adorandæ Personæ. *Quibus gloria par dicitur ab universali semper Ecclesiâ. Mediam inter Patrem & Spiritum Sanctum Personam Filius habet. Nec ullam habet divisionem, Majestatis ejusdem & gloriæ.*

(a) *Lib. 1. de Spiritu Sanct. cap. 2.*

MEMBRVM IV.

USUS DIGITORUM BELLICUS.

Tribus Digitis mysticis, Augustissimam Trinitatem denotantibus. Et quinque Symbolicis, Prudentiæ Christianæ administris, feliciter bellatur.

FELICES nos, si tribus Personarum Divinarum symbolis addicti, obtineamus à DEO VNO TRINOque, ut suis pro nobis ipse pugnet *Digitis*, & ut hi nos tueantur *Digiti*; his nostrum stringatur ferrum *Digitis*, ut dicere cogantur adversarij nostri, turpiter in fugam acti, atque prostrati: *Digitus DEi est hic.* Pugnabunt autem pro nobis Digiti illi Divini, si humanis nos nostris utamur dextrè, ac fortiter, nec DEO repugnemus, qui docet *Manus nostras ad prælium, & Digitos nostros ad bellum.* Qui nam autem isti nostri sunt Digiti? Si Theologiam symbolicam consulamus, reperiemus, per *Manus*, operationem designari, per Digitos, Discretionem; quæ in nobis separari non debent, cùm semper esse debeat omnis nostra operatio discreta, & omnis discretio operativa. De manibus est illud Psalmi LXXV. *In die tribulationis meæ* DEVM *exquisivi Manibus meis.* Nimirum, oculis interdum DEVS investigandus est, id est, contemplandi studio; interdum manibus, id est, operationibus bonis, quibus illustratur vita activa. Manus & Digiti nominantur Canticorum V. *Manus meæ distillaverunt myrrham, & Digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.* Myrrha probatissima est pœnitentia discreta, ad quam concurrunt Manus & Digiti.

AT, quomodo docentur ab armorum Magistro CHRISTO ad bellum *Digiti*? DIGITVS, ut ajebam, Discretionem significat, seu Prudentiam. Hujus quinque sunt partes, sive gradus, sicut quinque sunt Digiti. His, si dextrè arma spiritualia tractemus, idonei erimus, ut cum hoste quolibet congrediamur, ac victoriam facile reportabimus. Et sanè, omne nostrum exitium, & quod tam sæpe ac turpiter superemur, oritur ex eo, quod Digitis illis in pugnâ non periè utamur. Ex quinque autem Digitis, quos è gradibus, seu partibus Prudentiæ aut Discretionis desumimus, PRIMVS est *Dijudicatio*, quo discernimus inter licitum & illicitum. Hujus imago apparuit statim Mundi à DEO conditi initio, quando divisit DEVS lucem à tenebris, Genesis primo capite. Est hic *Digitus* valde necessarius. Unde in Lege maledicitur, & reijcitur animal, quod non ruminat: *Omne, quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus comedetis*, inquit Lex Levitici XI. Hujus utilitatem Digiti in bello spirituali indicat Paulus Apostolus in priore ad Corinthios XI. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Ecce, quam utile Dijudicationis est officium, quod nos in conspectu Judicis severissimi à Judicij rigore subducit.

SECVNDVS *Digitus* vocatur *Deliberatio*. Hic discernit inter commodum, & incōmodum: non enim omnia, quæ licent, expediunt, ut dicitur in priore ad Corinth. VI. c. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Quocirca monet Ecclesiasticus cap. XXXII. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pænitebit*. Et Salomon Proverbiorum IV. *Palpebræ præcedant gressus tuos*. TERTIVS est *Dispositio*. Hic discernit inter ordinatum & inordinatum. Quoniam etsi aliquid sit licitum, & expediens, tamen, ulterius est in rebus utilibus prospiciendum, Quomodo, & quo ordine sit quidpiam, dicendum, aut faciendum, ut

Singula quæque locum teneant sortita decenter.

Iucundus homo, qui miseretur & commodat: disponit sermones suos in iudicio, inquit Psalmista Psal. CXI. Et Sponsa, Canticorum secundo. *Ordinavit in me caritatem*. QVARTVS nominatur *Dispensatio*: nempe inter opportunum & importunum. Postquam enim gerenda disposuimus, & quidlibet suo loco collocavimus, plerumque pro vario rerum, quæ emergunt, eventu, *Dispensationi* locus est. Quia secundum opportunitatem occasionum, aliquid de propositi tenore, ac Dispositionis ordine aliquando necesse est demere, aut immutare. Præclarè Seneca; *Sapiens non se mutat, sed aptat tempori. Sicut eadem est* Manus, *cùm in pugnum constringitur, & cùm in palmam extenditur*. Ideò dici solet: Mitto Sapientiam, & nihil ei dicas: nimirum, ipsa sibi est doctrix, nec alia indiget instructione. Siquidem, ut pronunciat Ecclesiastes cap. VII. *Tempus & responsionem cor Sapientis intelligit. Omni negocio tempus est, & opportunitas*. Nam *Omnia tempus habent, & suis spacijs transeunt universa sub cælo*, ut idem Ecclesiastes capite III. enunciat. Dicebat quidam à Sapientia instructus:

Consilium nobis resq; locusq; dabunt.

QVINTVS denique est *Moderatio*, inter plus, & minus: nimium, & nimis parum. In omnibus enim quæ ordinatè, & circumspectè agimus, modum congruum tenere debemus. Verissimum est illud Poëtæ:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultrà citraq; nequit consistere rectum.

MEMBRVM V.

DECLARATIO PRACTICA

Quomodo in bello spirituali pugnandum sit Digitis.

HACTENVS nominavimus & descripsimus *Digitos*, quos docet Dominus, Campidoctor noster ad bellum, contra Cacodæmonem, Mundum, Peccatum, Vitia ac Cupiditates. Quibus si peritè uteremur, ac secundum artem à Domino Exercituum traditam, semper evade-

remur superiores. Omnis mali origo, omnis nostra perditio oritur ex eo, quod nesciamus bellare *Digitis*, aut quamvis sciamus, tamen ad usum praximque non veniamus. Quod etiam in bello isto externo accidit. Possem ego demonstrare in omnibus prælijs, ab anno XVII. quo jactatis, barbaro ritu, è fenestris aulæ regiæ Proceribus Bohemiæ, incepit bellum Bohemo Germanicum, in omnibus, dico, prælijs subsequentibus, quæ scripto signata habemus, usque ad proximum, superatos, qui non peritè bellarunt digitis, tametsi manibus arma versando, essent expeditissimi. Sed hoc modò non agimus, qui bella spiritualia tractamus: in quibus quomodo Digitis sit utendum, ostendam ad praxim clarissimè. Diligenter attendite & in opus redigite, quotiescumque vos animi hostes ad certamen provocant.

INTEMPERANTIA contra te ducit exercitum, & primò te aggreditur in campo Gulæ, ubi aciem instruit ex varijs dapibus. Quot sunt missus, tot cogita phalanges: quod patinæ, tot milites: quot esculentorum species. tot insidiatores. Pocula verò sunt hostes acerrimi, ac astutissimi: aut potius hi latent in ijs, ut dolosè pedes invadant, ac deijciant minus incautum. Vel concipe pocula, tanquam sylvulas, & specus, in quibus subsidiarij hostium latrunculi. Deinde, ad conflictum invitat in Campo Veneris, ubi illius copiæ sunt, sensuum quidem omnium, sed oculorum potissimùm, & tactus oblectamenta, elegantes formæ, suavissima confabulatio, illecebrosa insinuatio, blanditiæ, munera, lenocinia, nugæ, & quæ has sequuntur, plurima, subticenda melius, quàm proferenda, quia dedecorosa. Pugnandum est, nisi turpiter cedere velis, ac superari. Sed quibus est instrumentis agendum? *Digitis*. O Domine! doce *Digitos meos ad bellum*.

MEMBRVM VI.

USUS POLLICIS

Qui est Dijudicatio, *in bello spirituali*.

POLLEX Digitorum est primus, cujus hîc magnus est usus, ut in quolibet primo conflictus impetu, cum quocumque Vitio. Quæ caussa, cur peccetur gulâ, infarciatur venter, obruatur stomachus, inferatur vis naturæ, debilitetur, dum nimium impletur, corpus? Cur certetur poculis, bibatur contra sobrietatem, ultra satietatem, supra possibilitatem? Quæ caussa, cur dentur manus Voluptati, committantur gravissima scelera, oculis, linguâ, tactu? cur tot fiant stupra, fornicationes, adulteria? Quia non utimur ad repellendum Pollice. *Pollicem* diximus esse *Dijudicationem*, quæ si adhiberetur, speculativè & practicè, antequam se quispiã accingit ad peccandum, non deijceretur ab hoste. Itaque dum alliceris ad

comedendum amplius, quàm natura requirit, ad bibendum largius, quàm ratio præscribit, ad ludendum diutius, quàm lex permittit. Dum incitaris ad iracundiam, vindictam, rixas, contentiones. Dum impelleris ad mentiendum, jurandum, peierandum, ad conviciandum, ad detrahendum, ad blasphemandum. Sume tibi tantum temporis, ut dividices, an sit licitum, vel illicitum, an bonum, vel malum? an contra legem divinam, vel non? an non adversetur naturæ, rationi, bonæ educationi, statui tuo, conditioni tuæ, personæ tuæ? Hoc si feceris, nunquam facilè vinceris. Nam peccatum omne oritur minimùm ex practicâ aliquâ ignorantiâ, in advertentiâ, defectu judicij, aut *Dijudicationis*.

UNDE in Scripturâ Divinâ, epithetum peccatoris est *Stultus*, aut *Insipiens*: *Deuteronomij* XXXII 6.21. *Iob* secundo, 10. & V. 2. *Psalmo* LXXIII. 18. *Romanorum* X. 19. *Iudith* XIX. 23. *Ieremiæ* XIX. 25. *Zachariæ* XI. 15. *Oseæ* IX. 7. *Ezechielis* XXXIV. 4. *Proverbiorum* XIV 1. 17. & XIX. 3. Peccatores, quia non benè adhibent *Pollicem Dijudicationis*, sed sepositâ Dijudicatione, perperam æstimant, idcircò temerariè malum, tanquam bonum: vetitum, tanquam probatum: illicitum, tanquam concessum, arripiunt. Quod quoniam passim fit à majori hominum parte, *Stultorum*, inquit Sapiens, Ecclesiastæ I. *Infinitus est numerus*. Hebraicè, & Græcè, *Defectio*, vel *imminutio non potest numerari*. Vocabulum Hebræum (*a*) propriè significat defectum, inopiam, penuriam: nempe, considerationis, dijudicationis, sapientiæ, quæ est in stultis peccatoribus, qui vacui sunt prudentia ac cerebro, &, ut vulgo dicitur, inanes. Quod significat nomen Syrum (*b*) *raca*, Matthæi V. & Hebræum, *nabal*, I. Regum XXV. sicque verè dici potest, quod habet Cicero in Epistolis familiaribus: (*c*) *Stultorum plena sunt omnia*. Et quod Cleo apud Dionem: *Stultitia majore ex parte omnibus dominatur*. Certè, cùm nemo feratur in malum, quà malum; seu, quod malum sibi judicat, si rectè adhiberet *Pollicem Dijudicationis*, non ferretur in malum, & multo minus illud amplecteretur, sed illud omitteret, ac detestaretur; proindeque non peccaret, quia malorum maximum, ideoque magis, quàm quodlibet aliud abominabile, est peccatum.

HINC apparet, quàm benè *Dijudicatio* dicatur *Pollex*, quia præ ceteris pollet, ac positione præcedit. Oportet enim ut Dijudicationis examen antegrediatur omnia alia. Quoniam nisi licitum sit, quod proponitur faciendum, aut omittendum, non potest esse expediens, quod pertinet ad Deliberationem: nec ordinatum, quod spectat ad Dispositionem: nec admittit relaxationem, quæ cadit in Dispensationem: nec mensuram, quæ petitur à Moderatione. Itaque, prima consideratio est, An sit licitum? sequuntur deinde reliquæ. Hunc ordinem animadverto haud neglectum à Pharisæis Matthæi XXII. qui *ut caperent Dominum in sermone*, interrogaverunt.

(a) חסרון, *Chesron, defectus*. (b) רקא, *raca*. נבל, *nabal*. (c) *lib. 9. 22.*

runt. *Dic, quid tibi videtur? licet censum dare Cæsari? an non?* ita nobis interrogatio instituenda esset. Licet-ne mentiri, an non? Licet-ne in his rerum circumstantijs jurare, an non? licet-ne blasphemare, an non? licet-ne Dæmonem invocare, an non? licet-ne Diabolum, sibi, vel alteri imprecari, an non? licet-ne conviciari, an non? licet-ne lascivire, luxuriari, fornicari, mæchari, an non? Expedita hæc est quæstio, quæ si benè resolvatur, in proclivi sunt cetera. Cùm sciscitarentur Pharisæi, *licet-ne censum dare Cæsari, an non?* non dissimulavit Christus, sed ipsorum-met ipsos judicio convicit, dum proferri jussit nummum cum imagine ejus, quem, ut Dominum in temporalibus agnoscebant. Itaque dijudicabant hoc licitum esse. Monet igitur, ut nihil aggrediantur, nisi quod commodum, ordinatum, opportunum, moderatum esset: quæ ad reliquos Digitos spectant: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO.*

SED hic notate admirandam quandam, & in Militiâ spirituali cavendam adversarij nostri Cacodæmonis astutiam. Hic quoniam animadvertit, actum esse de victoriâ, atque exercitum suum certò profligandum, si *Pollex Dijudicationis* contra se vertatur. Et tamen difficile est Adolescentem benè institutum, conscientiæ suæ curam præcipuam habentem, DEI timore præditum, propositis ijs, quæ contra legem divinam, ac conscientiæ rationes sunt, in nassam suam attrahere: scit enim Digitis illum bellaturum, ne vincatur. Quid facit? ut Dijudicatione uti possit, substituit umbras quasdam, quarum specie decipiatur. Clarius. Invertit statum quæstionis, mutatis terminis, vel transpositis propositi membris, ut *Dijudicatio* versetur, circa illa, quæ affirmationem admittunt, certo quodam sensu, non omni, ideóque fallit astutissimè. Exempli caussa. Dijudicandum esset: Licet-ne mentiri, vel non? inebriari, vel non? pejerare, vel non? Adolescens, cui perspecta est Lex DEI & Naturæ, cui salus sua sibi cordi, qui mori mavult, quàm DEUM lethaliter offendere; ad negativam detorquet *Pollicem*: non licere statim pronunciat interius animo. Itaque Cacodæmon, non hoc dijudicandum suggerit; sed, sit-ne jucundum, an non inebriari, pergræcari, subare, lascivire? Sit ne utile, vel non, ut appetitui satisfiat, mentiri, jurare, pejerare? Sit-ne commodum marsupio, auferre clam, rapere palam, furari occultè? Magis generatim idem proponit, ut magis tectè decipiat. Sit ne bonum, aut non? Per bonum autem intelligit jucundum: cùm tria sint bonorum genera, Honestum Utile, Jucundum. Adolescens ignarus technarum, *Dijudicationem* adhibet, & annuit. Tum ad id, quod propositum, tanquam bonum, manum extendit: atque ita vincitur, capitur, labitur, præcipitatur. Quæ mali caussa? Quia non pugnavit, ut oportuisset, *Digitis*: non benè usus est *Pollice*.

MEMBRVM VII.
USUS INDICIS
Qui est Deliberatio, *in pugnâ morali.*

POLLICEM sequitur INDEX, cui nomen *Deliberatio*, quæ non versatur, vel non debet nisi circa Licita. At, non omnia. quæ sunt licita, facere convenit. Hic jam oritur novus conflictus. Qui benè pugnavit *Pollice*, statuit apud se firmiter, nihil facere, nisi quod licitum, id est, non prohibitum: mori se malle, quàm fœdari: nihil se velle agere, dicere, moliri, quod sit contra amorem DEI, aut proximi: quod contrarium sit legi divinæ, aut humanæ, ad peccatum obliganti. Verùm, multa sunt per sese adiaphora, ac indifferentia, quæ simpliciter non vetantur, sed nihilominus ea facere cuilibet non convenit, ob alia quædam, quæ, vel adnexa sunt, vel consequentia. Hic autem *Indice* opus est, ne in fraudem ab adversario inducamur. Hoc se *Digito* pugnasse animosè & pugnandum nobis esse, insinuat Paulus Apostolus, priori ad Corinthios VI. cap. *Omnia mihi licent.* inquit, *sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate.* Quo loco agit Apostolus contra quorundam nimis laxam, ac periculosam sententiam, ut observat Benedictus Justinianus, qui cùm liberum rerum à DEO creatarum usum agnoscant; nihil ex ijs repudiandum, quolibet utendum, ac fruendum, cujuscumque amœnitate corpus animumque reficiendum liberè, pronunciant; illique se conformant dictamini: quasi id naturæ, sit consentaneum; & res à DEO in eum usum sint conditæ, ut ijs homines oblectentur. Itaque in hunc ferè modum Apostolus videtur disserere. Esto, liceat vobis, id est, nullâ lege sit prohibitum, multa ad corporis commoditatem sumere, liceat comedere, bibere, ludere, convivia celebrare, symposijs interesse, alia quoque sedulò curare, quibus corpus, ut sustentetur, curetur, aut recreetur, indiget; nihilominus videndum quatenus: deliberandum, an expediat? an sit boni exempli? an-non nimium caro foveatur? an-non sequatur inde scandalum? quomodo id populus interpretetur?

D. CHRYSOSTOMVS, Doctoris Gentium dictum illud pertinere putat ad homines intemperantes, & nominatim ad helluones, ac eos, qui gulæ & ventri serviunt. Quasi dicat: licet cibum sumere, licet potu sitim extinguere: at verò, id cum luxu & profusione facere non expedit. *Est quidem*, inquit aureum illud Os. *in potestate tuâ, cibo ac potu recreari, sed vide, ne per libidinem, aut impotentiam ejus te nimiæ cupiditati, quasi mancipium constringendum prabeas. Nam, qui ad id, quod oportet, ea utitur, ipse eam habet in potestate. Qui autem exit ad exuperationem, & immoderatio-*

derationem, non est amplius dominus, sed ejus servus voracitate, & ingluvie tyrannidem in illum exercente. Ex quo colligas, Chrysostomum id intelligere, de ijs, quæ vocantur indifferentia, quæque benè ac malè usurpari possunt; sed *Deliberatione* utendum, an usurpare expediat? Talia sunt, cibo ac potu sapido lautoque vitam tueri & producere: vestitu Gallico, Hispanico, Italico, Britannico, Alemanico, corpus involvere, comam alere, bysso ac purpurâ indui, fenestratum habere thoracem, foraminatos calceos, follicantes caligas, similia sexcenta. Quæ si per se ac suapte naturâ spectentur, nullâ lege divinâ, vel humanâ sunt prohibita, ideoque absolutè licent: sed non tamen omnibus expediunt.

ITAQVE videndum, quatenus, quibus, ubi, quomodo uti ijs liceat? Non enim licet vesci cibo, cum aliorum offensione, & scandalo. Non licet unquam indulgere gulæ, aut genio, ut ventri tantùm servias. Non licet Ecclesiastico in vestitu, quod militi. Non expedit plebeium in cultu corporis eminere, ut patricium. Plus licet in hoc genere nobili, quàm ignobili. Non licet Religioso in verbo, opere, habitu, quod seculari *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: & non omnia ædificant*, inquit alio loco Apostolus. (a) Ob quam caussam ait S. Bernardus: (b) *Spiritualis homo omne opus suum trinâ consideratione præveniet.* Primò, *An liceat?* Deinde, *An deceat?* Postremò, *An expediat? Nam etsi constat in Christiana utiq; Philosophia, non decere, nisi quæ licent; non expedire, nisi quæ decent, & licent. non continuò tamen omnia, quæ licet, decere, aut expedire consequens erit.* Recurrendum est igitur ad INDICEM, & audies, quod est Micheæ VI. *Indicabo tibi ô homo quid sit bonum*; honestum videlicet & expediens: *& quid Dominus requirat à te. Vtique facere judicium, & diligere misericordiam*: hôc est, secundum expositionem S. Hieronymi, Haymonis, Remigij, Dionysij. ut omnia facias discretè, ac prudenter, juxta præscriptum legis: *& solicitè ambulare cum DEO tuo.* Quæ, ut Franciscus Vatablus monet, significant tria, & omnia Christiani hominis officia, quibus totidem respectibus ac debitis suis satisfacit. Debet enim rectè se gerere, & componere se, suaque erga seipsum, ergo proximum, & erga DEVM. *Iudicium* rectè componit hominem erga seipsum: *Misericordia* erga proximum: *Solicitudo* erga DEVM. Nam sibi ipsi debet homo *Iudicium*, ut omnia cum ratione, ac prudentiâ agat: proximo *Misericordiam*: DEO solicitam cum Domino suo *Ambulationem*. Ita suggerit S Bernardus serm. LVII, in Cant. qui in tribus ponit perfectionem hominis plenam. Nimirum, ut sit *placens DEO, cautus sibi, utilis proximo.* Atque ita pugnatur INDICE, Digito ad Bellum spirituale aptissimo, modò, ut benè docetur à CHRISTO CAMPIDOCTORE, ita disciplinam promptè admittat Christianus Miles.

(a) *1. Corn. 2.* (b) *Lib. 3. Consider.*

MEMBRVM VIII.
USUS DIGITI MEDII
Qui est Dispositio, *in certamine mystico.*

INDICEM juvat *Digitus tertius*, sive *Medius*, cui nomen *Dispositio*. Quamvis enim nihil faciendum, nisi quod licet, atque expedit, tamen plurimum refert, maximè in bello, ut nihil fiat tumultuariè, sed omnia ritè ac ordine. Si turbetur ordo in exercitu, hosti cedit victoria. Adsit igitur *Digitus Medius*, qui Rectoris munere, cujus est ordinare, fungitur. Unde Dominus ac Magister Noster, tanquam Rector, in medio fuisse legitur. Joannis I. *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Lucæ secundo. *Inventus est in medio Doctorum, audiens eos.* Matthæi XVII. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Joannis XIX. Crucifixerunt duos hinc & inde, *Medium autem IESVM.* Utpote, qui Latroni à dexteris gloriam, ei, qui à sinistris, disponebat pœnam. Joannis XX. *Stetit in medio Discipulorum.* Et in Judicio supremo Medius, statuet agnos à dextris, hædos à sinistris, Matthæi XXV. Disponens singulis pro dignitate meritorum. Unde Lucæ XXII. pronunciat: *Ego dispono vobis Regnum.*

PLVRIMI turpissimè hosti terga vertunt, & vincuntur, quia non rectè utuntur Digito medio. Per *Pollicem Dijudicationis* sciunt, quid sit bonum, quid malum: per *Digitum Deliberationis* statuunt facere bonum. Nempe, dolere de peccatis, agere pœnitentiam, confiteri, emendare vitam, virtutes colere, DEO perfectè se tradere. Verùm, imperitè applicant *Digitum* medium *Dispositionis*. Cùm enim bonus Ordo requirat, ut quæ magis necessaria sunt ad aliquem finem, & propius illum contingunt, præcedant, sequantur deinde reliqua. Sunt autem maximè necessaria hominibus, quæ ad animæ salutem spectant, eademque sunt viciniora fini, ad quem conditi sunt. Hinc ante omnia alia, istis vacandum esset, & deberent, sepositis tantisper cæteris, reconciliare se DEO, cum illo quam primùm redire in gratiam, ipsius solicitè ambire amicitiam, peccatorum detestatione, confessione, humiliatione, mortificatione, omnique alia virtutum Christianarum exercitatione. Tum ad curandum corpus cogitationem deflectere, disponere de familiâ, valetudinem resarcire, œconomiam administrare, testamentum condere. Contrarium quia fit sæpe, dum benè valemus, postponendo officia pietatis omnibus aliis actionibus, ideoque differendo reconciliationis Sacramentum; idem frequentissimè contingit in morbo. Quando primò vocatur Medicus corporis, qui secundum Concilium Lateranense, iterum adire decumbentem non deberet, nisi confessus

confessus esset æger. Tum si vitæ periculum advertatur, accersitur Notarius, qui ultimam voluntatem vel concipiat, cognatorum rogatu, vel conscribat. Deinde agitur cum domesticis, quibus reculæ commendantur. Ultimò tandem, post Confessarij, aut Parochi monitiones repetitas, post obtestationes apud aliquos, apud alios post minas, diras, interminationes, dum anima migratura, in linguæ est acumine , ut loqui amplius haud lubeat, Confessio inchoatur , quæ antequam à moribundo ad umbilicum perducatur imperfectis rerum signis, anima corpus deserens, ab infernalibus monstris rapitur, devicta , quoniam nescivit pugnare *Digito Dispositionis.*

COMMENDANDVM est in Militibus, quod habetur primo Machabæorum sexto cap. *Distincta est pars exercitus Regis per Montes excelsos, & alia per loca humilia & ibant cautè & ordinatè.* Quare Paulus Ductor exercitus Christiani, Ordinem frequenter commendat, aut præcipit. 1. ad Corinth XIV. *Omnia honestè, & secundum ordinem fiant.* Et ad Thessalonicenses secundo scribit, se gaudere, quod videat ordinem illorum. Græcè, *ἐυταξίαν*, bonum ordinem, quo benè, ac ordinatè omnia fiant. *Sicut enim*, ut commentatur Theophylactus, *in acie militari bona ordinis constitutio, ac conservatio, phalangem firmam efficit; sic & in Ecclesia quando bonus ordo caritatis fuerit, omnia constituentis.* Ordo autem maximè spectat, & proximè ad *Dispositionem* præsuppositâ Discretione. Siquidem, *Discretio* remotè quidem Ordinem præscribit. Quomodo expono illud S. Bernardi Sermone XLIX. in Cantica *Discretio omni virtuti Ordinem ponit: Ordo modum tribuit & decorem, etiam & perpetuitatem. Denique, ait Psaltes*: ordinatione tuâ perseverat dies, *diem virtutem appellans.* Unde *Discretionem* dicit idem Sanctus esse *moderatricem virtutum, ordinatricem affectuum, & morum doctricem.* Optimè omnia. Sicut & istud, quod addit: *Tolle hanc & virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminumq; naturæ.* Nihilominus proximè *Dispositio* ordinat, *Medio* indicata *Digito.*

MEMBRVM IX.

USUS DIGITI QUARTI.

Qui est Dispensatio , *in conflictu tropologico.*

QVARTVS DIGITVS designat illum Discretionis gradum , qui appellatur *Dispensatio.* Contingit enim nonnunquam, ut quæ deliberavimus benè, & disposuimus, ordinavimusque rectè, conveniat mutare, ob caussam aliquam rationabilem, melioremque, quam tempus aperuit; aut differre, vel omninò intermittere ratio suadeat. Quod vocatur

tur *Dispensare*. E. C. Disposuisti facere fructus dignos pænitentiæ, quoniam hoc peccata tua merentur, proponis jejunare totâ vitâ, semel qualibet hebdomade in pane & aqua, feria VI. ad honorem Passionis Dominicæ; flagellationem spontaneam subire quot septimanis, ad recordationem Christi crudeliter flagellati; ire peregrinatum ad Aspricollem, in Belgium, vel Lauretum in Italiam; non vesci carne diebus Mercurij; portare cilicium ter mense quolibet: dormire in stramine diebus sabbatinis. Sunt hæc probanda, si ex afflatu Spiritus Divini suscipiantur. At interim infirmaris: judicat Medicus, sine notabili damno valetudinis hæc amplius non posse perfici: sentis te quotidie magis magisque deficere. Adhibendus est Digitus, *Dispensatio*. Qui *Digitus* dicitur *Medicus*, seu *Medicinalis*. Est enim illius Digiti lenior attactus, & leniter palpando membris ægris medetur. Haud sequus *Dispensatio*, dum urgente necessitate de rigore propositi subtrahit, quasi Medicus infirmo consulere videtur.

SED hoc ad Superioris spectat judicium, ac potestatem. Illius enim propriè est dispensare, secundum personarum, rerum, ac temporis circumstantias. Sic vulgo dici solet. *Fragilitas nostri temporis non patitur tantam manere censuram*. Quò facit illud S. Augustini, qui dixisse fertur: *Malo manere claudos, quàm nullos*. Mirus in hac re fuit Paulus Apostolus qui ad Corinthios suos scribens, capite I. usurpabat dictum amantissimi Patris: *Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucri faciam: Omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos faciam.*

MEMBRUM X

USUS DIGITI QUINTI.

Cui nomen, Moderatio, *in Campo Virtutis.*

TANDEM, ad bellum spirituale est necessarius quintus *Digitus*, *Moderatio*. Siquidem post omnia, operi licito, & expedienti, & benè ordinato, ac secundum opportunitatem dispensatione mitigato, *Moderatio* tandem congruum modum imponit. Et hic *Digitus* dicitur *Auricularis*, ab aure, per quam intelligitur Obedientia. Tum etiam, quia auribus purgandis est accommodatus. Auris autem tunc benè purgatur cùm in omnibus agendis obedientiæ modus debitus servatur. Unde Proverbiorum XXIII. *Prudentia tua pone modum* inquit Sapiens. Sine *Modo* non est Virtus. Si plus facias, quàm rationis regula præscribit, si minus operetis, quàm eadem dictat, ex virtute non operaris. Virtus in medio est inter excessum & defectum. Qui exorbitat à Virtutis medio, malè ambulat. Tritum est, sed verum apophthegma, unius è VII. Sapientibus, Μέτρον ἄριστον: *Modus optimus*: & alterius, qui dixit Μηδὲν ἄγαν: *Ne quid nimis.* (a)

(a) *Laert. in vit. Phil.*

Cujus

Cujus parœmiæ Auctor censetur Bias ab Aristotele, (a) Pythagoras à Laërtio: ab alijs Solon.

Est Modus in rebus. sunt certi denique fines,
Quos ultra citroq; nequit consistere rectum.
Modus omnibus in rebus, Soror, est optimum,

ajebat illa, quam, ut sapienter loquentem inducit Plautus.

——————— *Medio tutissimus ibis,*
Inter utrumque vola. ———————

præscribebat Phaëtonti benè consulens juveni magister, quem si audisset, nec se nec mundum juisset perditum in Vniverso Poëtico. Denique, *omnibus in rebus mediocritas est optima*, ut rectè pronunciat Tullius; (c) etiam in Pietate ac Religione, in qua, ut abesse debet contemptus Numinis, ita & superstitio, ac scrupulositas. Qui sic pugnat cum inimico omnibus suis Digitis, DEO gratias agens, cantare potest: *Benedictus Dominus DEVS meus, qui docet manus meas ad prælium: & digitos meos ad bellum.*

(a) *Terent. Andr. Arist.* 2. *Rhe. Horat. Saty.* 1. *Plaut. Penu.* (b) *Cic. lib.* 3. *off.*

MEMBRVM XI.
NECESSITAS QUINQUE DIGITORUM utriusque Manus ad bellum spirituale.

OBSERVO utramque manum habere quinque Digitos: sinistram æquè ac dexteram. *Dextera* est Justitiæ symbolum: *Sinistra* Misericordiæ. Quoniam tam in operibus Misericordiæ, quàm Justitiæ, quinque Discretionis gradus sunt necessarij. Manus ad operandi Constantiam, Digiti ad Prudentiam referuntur. Cavendum est imprimis ne rigor Justitiæ ad crudelitatem perveniat. Sunt quidam naturâ austeri, severi, rigidi, crudeles, qui omnia plagis ac tormentis emendare volunt. Hi minimè sunt idonei ad regendam hominum Societatem: ad pecora gubernanda ablegandi, quæ cornua habent, ut cum ijs arietent. Sit rigor non exasperans monet Papa Gregorius. *Noli esse justus multum*, id est, nimis justus, inquit Sapiens, Ecclesiastæ VII. Quod S. Ambrosius torquet in durissimos Novatianos hæreticos, qui certos peccatores ob gravitatem criminum commissorum, à pænitentiâ excludebant, nec admittebant ad reconciliationem, docens omnium penè pulcherrimam virtutem esse Moderationem, cùm virtutum ille finis sit maximus, qui plurimorum spectat profectum. Et adducit exemplum Christi, ovem lassam vehentis ac portantis, non abijcientis Lucæ XV. Tum recitatâ Ecclesiastæ sententiâ, subdit: *Debet enim Justitiam temperare* Moderatio. *Nam quemadmodum se tibi*

sibi curandum præbeat, quem fastidio habes, & qui contemptui se non compassioni Medico suo putet futurum? Et Oratione in obitum Theodosij hinc deducit, neque sine Justitiâ Misericordiam, neque sine Moderatione Justitiam esse. D. Hieronymus autem (*a*) *Justum nimis* vocat, qui sit in Religione superstitiosus. At Isidorus Pelusiota, (*b*) qui vel jus suum rigidè persequitur, vel est superstitiosus, vel exorbitat à medio virtutis. Porrò, ut à nimio est rigore cavendum in Justitiâ, ita curandum, ne lenitas Misericordiæ, usque ad dissolutionem emolliatur. Sunt enim quidam paullò ante descriptis è diametro oppositi, homines naturâ lenes, molles, phlegmatici, mulierosi; nihil habentes acrimoniæ, nihil severitatis, qui cùm ad regimen perveniunt, omnis labascit disciplina. Ponatur talis quispiam in scholâ grammaticali, vix dies octo elabentur, & saltitabunt pusiones illi in humeris, ac capite sui Magistri, sicut simiæ in theatro, pulcherrimo sanè spectaculo. *Multi homines misericordes inveniuntur, fidelem autem quis inveniat?* inquit Sapiens, Proverbior. xx.

CETERVM, omnis sive excessus, sive defectus (deordinationem vocant Theologi) oritur ex *Concupiscentia*, aut *Ignorantia*. Concupiscentia vitiorum pugnat contra voluntatem, ex qua fiunt opera. Et ita pugnat contra Manus, operum instrumentum. Ignorantia & error contra Rationem, atque ita contra Digitos. Dominus autem JESVS CHRISTVS, cùm sit Virtus, ac Sapientia DEI; secundum quod est Virtus instruit Manus: secundū quod Sapientia, Digitos. Atq; ita superant Manus, id est Opera, Concupiscentiā; & Digiti, id est, Discretio Rationis, vincit Ignorantiā, & Errores: ut Christi Miles hostium suorum Victor gloriosus cantare possit hilariter. *Benedictus Dominus DEVS Israël*, qui interpretatur Vir videns DEVM, id est, DEVS operatis & intelligentis, *quia docet Manus meas ad praliū, & Digitos meos ad bellum.* Atque hic pugnandi *Manibus* ac *Digitis* modus non videtur omnibus communis, certè, haud facilis. Quis enim, præter doctos ac speculationi addictos, Prudentiæ, vel Discretionis gradus illos discernat & operantioni applicet? Id à quolibet vestrum, qui Sapientiæ estis candidati, fieri posse haud ambigam, si minimè vagi mentem advertere volueritis. Docebo tamen pro omnibus modum alium haud paullò faciliorem.

(a) *Lib. 16. in Isa. cap. 57.* (b) *Lib. 3 epist. 3.*



MEM-

MEMBRVM XII.

EXAMEN CONSCIENTIÆ

Quotidianum peragens, pugnat Digitis.

AUDISTIS frequenter de *Examine* Conscientiæ *Quotidiano*, quod est in Militia Christianâ armorum genus expeditissimum, tum ad se defendendum ab inimici insultibus, tum ad illum territandum, & offendendum. Nam læditur gravissimè hoc instrumento. Quid autem est examinare Conscientiam? Est cum Cacodæmone pugnare Manibus ac Digitis. Id non tam verbis explicandum esset, quàm demonstrandum in tabulâ, & oculis subjiciendum. Sed quid opus tabulâ, cerâ, ac circino, vel penicillo? Extat imago de hac re omnibus visa: vellem ut unam haberet quilibet, ac ea uteretur quotidie. Duæ sunt manus depictæ, ad indicandum bis quotidie conscientiæ rationes esse constituendas, Mane, ac Vesperi. Utraque quinque habet Digitos. DEXTERA, quæ est matutina, Pollici inscriptum exhibet istud: *Sis gratus*: Indici, *Cor offer*: Medio, *Opus dispone futurum*: Annulari, *Vita peccatum*: Auriculari, *Subsidiumq; pete.* SINISTRA, seu vespertina in Pollice præfert monitum: *Solve DEO grates*; in Indice, *Pete lumen*; in Medio, *Discute mentem*; in Annulari, *Delicti veniam posce*; in Auriculari, *Recide malum.* Quæ sunt *quinque puncta* Examinis vespertini; quod præcedere debet matutina præparatio, totidem punctis indicata. Hisce *Digitis* utere quotidie peritè ad superandum peccatum, abigendum Cacodæmonem, tuendam contra hostium insultus, animam & victor occines: *Benedictus Dominus DEUS meus, qui docet manus meas ad prælium & Digitos meos ad bellum.*

Gloria Tibi TRINITAS
Æqualis una DEITAS
Et ante omnia secula.
Et nunc & in perpetuum.

MEMBRVM XIII.

ROSARIUM MARIANUM

Qui piè pervolvit, Digitis pugnat.

VULTIS modum alium bellandi *Digitis* faciliorem hactenus dictis? Attendite. Soletis quotidie, qui Mariani estis, Virginis Matris Clientuli & Sodales, Patronæ vestræ recitando *Coronam Virgineam*, seu ut vocatur à pijs *Rosarium*, globulis admetiri Dominicas orationes, &

Angelicas Salutationes. Quod non semper & ubique ab omnibus commodè fieri potest. Nam non omnes deferunt secum *Corollam* sphærulis distinctam. Alicui fortasse tam est domi curta supellex, ut emere non possit. Dicit quidam, fractum est mihi sertum, & globuli dissipati. At, est-ne aliquis, cui non adsint semper & ubique decem *Digiti* per binas manus distributi? Per hos, tanquam precatorios paxillos numeret oratiunculas, & distinguat Marianorum mysteriorum considerationes. Hoc erit bellare Digitis. Quod ut faciatis constanter, rogo, elevatis in cælum oculis manibusque, ut CHRISTVS Campidoctor Noster, idemque *Dominus DEVS Israël, doceat Manus vestras ad prælium, & Digitos vestros ad bellum.*

MEMBRVM XIV.

COMINVS. - EMINVS.

Pugnat Manibus, qui Cominus. Pugnat Digitis, qui Eminus cum hoste congreditur.

EST etiam tempus aliquando, cùm peculiariter pugnandum est *Digitis*, Quod-nam illud? Quando adversarius nobiscum *Digitis* pugnam init: tunc enim simili pugnandi generi illi occurrendum est. Hujus rei gratiâ observat Michael Ayguanus Carmelita, præclarus Davidicorum Psalmorum Interpres: Davidem revera bellasse contra Goliam digitis, & manibus. *Digitis*, quando lapides in fundâ posuit, ac projecit: *Manibus*, quando arrepto gladio Giganti caput amputavit. Quæ si consideres attentius, animadvertes, *Digitis*, quibus fundâ rotatur ac trahitur, bellari à longinquo, ex loco remoto, seu eminus: *Manibus* verò, quibus gladius educitur, ac hostis invaditur coram, bellari cominus.

VTRVMQVE modum usurpat Cacodæmon in suum commodum. Aliquando enim nos impugnat *Digitis*, videlicet, à longinquo sub colore virtutum ad vitia procitat. Tunc autem necesse est, ut MILES CHRISTIANVS occurrat, dimicetque vicissim Digitis, id est, distinctè consideret illius astutias, & signatè singulis occurrat. Interdum verò invadit nos *Manu*, hoc est, è proximo, cominus, quando scilicet apertè tentationem instituit de vitijs, & ad peccata manifesta allicit. Tunc autem oportet similiter Manu pugnare, ac gladio fidei caput abscindere: scilicet, principio tentationis contradicere illamque ex animo eijcere. Quoniam tentatio, cui non statim resistitur, roboratur. Qui hunc in modum, pro occasionum diversitate, cum hoste suo congressus fuerit, victor rediens è prælio Campidoctori suo peritissimo, & experientissimo cantare poterit, cum Davide, epinicium: *Benedictus Dominus DEVS meus, qui docuit Manus meas ad prælium, & Digitos meos ad bellum.*

NOTÆ

NOTÆ.

In quibus Auctores, & Adversaria.

DIMICO *idem est quod pugno. Ejus verbum simplex est mico: micare autem est digitis sortiri.* Micare digitis *est quoddam genus belli ludicri, quod apud Italos est frequens. In eo repentè, porrectis digitis certantium uterq; numerum pronunciando divinat. Ejus meminit Cicero lib. de* Divinatione. *Quid enim Sors est? idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod tesseras. Ab hoc genere præliaris ludi tractum est, ut qui certissimâ esset fide. quiq; vir fidelis, justus, & bonus existimaretur, eum antiqui dignum dicerent, qui cum in tenebris micaretur. Cicero lib. 3. de officiis.* Hæc nonne turpe est dubitare Philosophos, quæ ne rustici quidem dubitent? A quibus natum est id, quod jam tritum est vetustate proverbium. Cùm enim fidem alicujus, bonitatemque laudant, dignum esse dicunt, qui cum in tenebris mices. *Porro, quicum in tenebris mices, & uberum est, si velit, fallere. Proinde* Dignus quicum in tenebris mices, *dicitur, qui sit usque adeò certâ fide, ut nec si tuto possit, velit quempiam mendacio fallere.* Erasmus. *Certè, nullus est ludus magis obnoxius fraudi, quam iste, & decipitur, quamvis peritissimus, nisi diligentissimè attendatur, & fit, ut videatur, dies.*

MICO *propriè est, subinde, & per intervalla, ut mica faciunt, fulgeo, resplendeo, corusco. Virgil. 1. AEneid.*

------ Crebris micat ignibus æther.


Et quoniam talis quædam variatio dum digitis sortimur apparet, per translationem Micare capitur, pro digitis sortiri. Præterea, quia splendor tremulus est, & intermissis vicibus movetur, hinc Micare *etiam accipitur, pro certis interpositis intervallis moveri. Virgil. lib. 3. Georg.*

------ Linguis micat ore trisulcis. ---

Porro, mica, unde mico, *est pulvisculus ille, qui in arena, quasi argentum fulget: à quo & panis, & rerum omnium frustula, quæ tractantibus nobis aliquam rem emicant, micas appellamus.*



COM-




COMMENTATIO V.

S. MICHAEL
sub Christo Imperatore supremo
PRINCEPS EXERCITVS DOMINI.
ARCHISTRATEGVS.

Hic est Michaël Archangelus, Princeps Militiæ Angelorum: cujus honor præstat beneficia populorum: & oratio perducit ad regna cælorum.

Breviarium Romanum, Festo S. Michaëlis.

MEMBRVM I.
S. MICHAELIS
Memoria, Cultus, Festivitas.



VNIVERSARIA S. MICHELIS Archangeli memoria; & festivitas, bis signatur in fastis Ecclesiasticis: octavo Maij ob illustrem prodigiosamque in vertice Gargani montis apparitionem; & vigesimo nono Septembris ob admirandam templi in eodem monte, ipsius Archangeli ope conditi, quodque magis mirum, ab eodem dicati consecrationem. Utraque est in Ecclesiâ Catholicâ, quamvis non æquè, celebris. Celeberrima posterior, tum ubique per orbem Christianum, tum signatè Coloniæ Agrippinæ. In quâ Vrbe, & per totam Vbiorum diœcesim occurrunt templa, oratoria, statuæ, imagines, inscriptiones, Archangeli Michaëlis monumenta. Quibus moti, non semel diximus ad Auditores nostros Academicos de Patroni optimi, & tantoperè à majoribus nostris culti dignitate, titulis, beneficijs, indeque debita, sed nunquam satis exsolvenda veneratione. Et dignus sanè est Angelorum Princeps MICHAEL, de quo sæpius ex altiore loco dissferatur. Cùm autem infinita penè sint, quæ de hoc Ecclesiæ Præside, & bonorum omnium defensore tutelari dici possint, nos hoc tempore, quo ubique de bello, & rebus

rebus militaribus tractatur, ac studiosè quæritur idoneus belli Dux supremus, ea tantùm adducemus in medium, instituti nostri memores, quæ ad disciplinam militarem spectare videbuntur, & bellicæ sunt consideratio-nis. Quorum plurima varijs Archangeli apparitionibus continentur.

MEMBRUM II.
S. MICHAEL
PRINCEPS EXERCITUS DOMINI.
I. Copiarum Angelicarum.

PRINCIPIO igitur hoc statuatur: Exercitus Domini, infra DEVM, CHRISTVMque, esse Principem maximum, ac Ductorem MICHAELEM. Exercitus Domini, inquam, qui & Militiam cælestem, seu Equitatum Angelicum, & in hac terrâ DEO CHRISTOque militantes, tanquam Peditatum Equitatui immixtum complectitur. Hunc, tanquam proprium, & maximè honorificum titulum, usurpavit ipsemet, apparens Israëlitici exercitus Ductori Josuæ. *Qui cùm esset in agro urbis Iericho levavit oculos, & vidit Virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium*: ut refertur Josue v. 13. En virum militarem. Non adduntur quidem hic alia arma, tamen ex militis illa forma, & habitu bellatoris nec non ex Archistrategi, quæ paullò post indicatur persona, cùm augustam apparentis speciem, tum ceteram omnem Ducis panopliam colligimus. Et omninò verisimile est, in capite habuisse galeam, pectus fuisse munitum lorica, in cinctu non defuisse baltheum, neque in cruribus ocreas ferreas, aut caligas militares, neque in sinistrâ scutum, aut clypeum. Sic stabat visibili schemate Angelus, ad quem *perrexit* interritus Josue, *& ait: Noster es, an adversariorum? Qui respondit: nequaquam. Sed sum* PRINCEPS EXERCITUS DOMINI: *& nunc venio. Cecidit Iosue pronus in terram: & adorans ait, Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Fuisse autem, qui hîc apparuit Josue, MICHAELEM Archangelum, disertè scribunt, ex antiquis, Theodoretus. (*a*) Pantaleon Diaconus & Chartophilax Constantinopolitanus, (*b*) Rabbini aliquot apud Nicolaum Lyranum, (*c*) quos is sequitur; ex recentioribus Blasius Viegas, (*d*) Joannes Baptista Villalpandus, (*e*) Nicolaus Serarius, (*f*) Cornelius de lapide: (*g*) & ante hos Cajetanus, (*h*) quibus adde Concionatores omnes, tum Latinos, tum Germanicos, inter quos disertissimus Georgius Scherer Concione secundæ Germanicâ in festo S. MICHAELIS. Sed quid anxiè authoritates corradimus?

(a) *q. 4. in Iosue.* (b) *Or. in S. Micha.* (c) *Iosue 5.* (d) *Apoca. cap. 12.* (e) *In Ezech. 40. cap. 7. p. 264.* (f) *Iosue 5. q. 41.* (g) *Ios. 5.* (h) *Ios. 5.*

AN-non descriptio illa: *Princeps exercitus Domini*, veluti propria quædam periphrasis, & quasi tesseraria nota tribuitur MICHAELI apud Danielem Prophetam? Et quidem ter capite x. versu 13. Ecce *Michael unus de Principibus primis.* deinde versu 21. *Michaël Princeps vester*, Israëlitarum scilicet. denique cap. XII. versu 1. *Michaël* Princeps Magnus, *qui stat pro filijs populi.* Energiam peculiarem habent articuli præfixi apud LXX. Μιχαὴλ ὁ ἄρχων. ὁ μέγας. Item illud ὁ ἑστηκὼς ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τοῦ λαοῦ σοῦ: *Ille stans super filijs populi sui*; Sive, ille *Præpositus populi sui.* Addit Abenezra, eum expressè appellari iterum cap. IX. versu 11. *Principem Exercitus Domini.* Et quidem, intuitu Exercitus Angelici, vocatur, phrasi militari, *Angelicarum copiarum Dux*, à S. Basilio, (a) Pantaleone, (b) Sophronio, (c) Menelogio Græcorum, (d) Laurentio Justiniano. (e) Atque ita ipse se MICHAEL nominat apud Nicephorum. Immò, Ecclesia Christi ita eum nuncupat in illius festo suaviter occinens:

Collaudamus venerantes
Omnes Cæli Milites.
Sed præcipuè PRIMATEM
Cælestis Exercitus,
MICHAELEM *in virtute*
Conterentem Zabulon.

Hic est MICHAEL *Archangelus, Princeps Militiæ Angelorum.* Geminis compellationibus scatent hymni, & antiphonæ Ecclesiasticæ In quibus nunc dicitur, *Præpositus Paradisi, quem honorificant Angelorum cives:* nempe, ut suum Principem, belli, pacisque tempore: nunc datur illi comitatus, veluti satellitium ad stipandum suum Primatem, multitudo Angelorum: *Venit* MICHAEL *Archangelus cum multitudine Angelorum*: nunc inducitur, tanquam magnalium Patrator, quod est Ducis: nunc exhibetur ut fortis in prælio, cujus ductu, hortatu, primoque incursu habeatur Victoria, quod est Archistrategi: *Multa magnalia de* MICHAELE *Archangelo, qui fortis in prælio fecit victoriam*: nunc producitur congrediens cum Lucifero, ut caput bonorum ac fidelium DEO Angelorum, cum primario malorum, ac rebellium: *Dum præliaretur* MICHAEL: *Archangelus cum* Dracone, *audita est vox dicentium: salus DEO nostro.* Iterum. *Factum est silentium in cælo, dum Draco committeret bellum: & MICHAEL pugnavit cum eo, & fecit victoriam.* Et quoniam Cæli Milites concipimus, & sunt sæpe, quando apparent, Equites; quorum tres decuriæ faciunt turmam; propriè in fastis Baptista Mantuanus cecinit, profeiens MICHAELEM, tanquam ἵππαρχον, vel ἱπποστρατηγὸν, qui Latinè à Livio vocatur Magister Equitum:

MICHAEL

(a) *Homilia de Angelis.* (b) *Serm. de S. Michaële.* (c) *In Encomio Angelico.* (d) *Die 6 Sep.* (e) *Ser. de S. Micha.*

——— MICHAEL *celeberrimus inter*
Cœlituum turmas, templum sibi fecit in alto
Vertice Gargani, factumq́, dicavit. ———

Ita MICHAELEM Angelorum bonorum omnium Principem, malorum omnium Domitorem sæpe veneror, & exclamo: *Princeps gloriosissime, MICHAEL Archangele, esto memor nostri: hic & ubique semper præliare pro nobis, cum subjectis Tibi Cœlituum turmis, donec plenam reportemus de hostibus omnibus nostris Victoriam.*

MEMBRVM III.
S. MICHAEL
PRINCEPS EXERCITUS DOMINI.
II. Copiarum humanarum.

VERVM, non cælestis tantùm Militiæ, quæ est Angelorum, sed terrestris etiam, quæ est Hominum; & sic duplicis Exercitus DEI Dux ac Princeps est MICHAEL Archangelus: Immò, posteriorem potius spectasse, cùm se Josuæ, Principem Exercitus Domini est professus, haud incongruè existimatur. Siquidem terrenum Exercitus Israëlitici Ductorem, totumque illum exercitum, per eum consolari, ac in primo aditu bellorum, per quæ in terram promissam tendebatur, confirmare, atque erigere volebat; addicens, se fore Patronum ac defensorem populi, curæ suæ commendati. Et quidem hoc etiam nomine commendatur Danielis x. ubi, cùm Propheta afflixisset se ob calamitates populi, territus ac tremens confortatus fuit divinitus MICHAELIS adjutorio dixitque ei Vir, vestibus lineis, qui ibidem describitur patronus Synagogæ: *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus: & ecce* MICHAEL, *unus de Principibus primis venit in adjutorium meum.* Et iterum: *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi* MICHAEL PRINCEPS VESTER. Nimirum, non Cælitum tantum, sed vester in terris agentium mortalium.

S. MICHAEL

Princeps Protector Synagogæ Iudæorum.

FVISSE Archangelum MICHAELEM Synagogæ veteris Principem afferunt omnes isti. Patres Orthodoxi, Doctores, scriptorés-ve. S. Dionysius Areopagita libro de hierarchia cælesti, (a) ejusque Commentatores egregij, Pachimeres, & Maximus. Auctor Operis imperfecti. (b) D. Hieronymus in Danielem, (c) D. Gregorius Papa in Moralibus. (d) Theodoretus in epist. S. Pauli ad Coloss. (e) Haymo in Epist. ad Eph. (f) S.Tho-

(a) *Cap.* IX. (b) *Hom* 48. (c) *cap.* X. (d) *lib.* XVII. *cap.* 8. (e) *c.* I. (f) *cap.* VI.

mas frequenter. (*a*) Pantaleon nominatissimus Michaëlis Encomastes. (*b*) Rabanus Maurus lib. de Cruce, Cæsarius Heisterbachensis, (*c*) & juniores alij sine numero.

S. MICHAEL

Princeps Defensor Ecclesiæ Christianorum.

NUNC verò æquè Ecclesiæ Christi Princeps Defensor & copiarum militarium Dux ac Patronus est idem Archangelus. Quocirca, quod Gentibus fuit (ipsorum fictione) MARS, ille bellator, ille armipotens, ille indomitus, invictus, fulmineus, ille semper victoriosus bellorum Præses, Christianis verè est S. MICHAEL. Quâ de caussâ templa ac delubra, fanaque, quæ olim Ethnici Marti dedicaverant, in multis orbis partibus Christianorum pietas, Marte deturbato, in oratoria ac basilicas commutavit, & D. MICHAELIS memoriæ consecravit.

(a) *Isaia* x *in* 4. *dist*.43. *q*. 4. *ar*. 3. *ad* 2. 1. *Thess*. 4. (b) *Ser*. 1. *&* 2. (c) *Lib*. 1. *par*. 7. *&* *declar*. *par*. 2. *figura* 3. (d) *lib*. 8. *hist*. *qui est de Angel*. *cap*. 45.

MEMBRUM IV.

Quod Martis delubra, jure sint conversa in templa sacra D. MICHAELI.

SCRIPSIT ante annos aliquot volumina Urbium, & in ijs descripsit plurimarum ædes, palatia, curias, aliaque in ijs visenda G. Braunius Agrippinas. Is tomo v. ita de hoc argumento disserit. Quemad-„ modum olim extra urbes in portis ac editioribus locis, Martem, ut ur-„ bis & Communitatis Protectorem infideles colebant, qui in prælijs & „ bellorum expeditionibus ipsis opitularetur; ita majores nostri, primi „ Christiani impium *Martis* cultum detestantes, ejus aras DEO vero ac „ vivo consecrantes, Divi MICHAELIS memoriæ ac tutelæ attribuerunt. „ Qui ut olim à DEO Danieli adsignatus est Hebræorum Ecclesiæ De-„ fensor, ita Militantis Christianorum Ecclesiæ aciem, & fluctuantem „ exercitum, ut ARCHISTRATEGUS, DUX, ac PRÆFECTUS, per gratiam „ DEI tueretur ac defenderet. Multarum Urbium Christiana ac pia „ consuetudine ita observatum confirmari facile potest.

MARTIS delubrum in Ducatu Slesvvicensi, *Luna-burgi* & *Iulini*, substituta *S. Michaëlis* Ecclesiâ, sanctius nomen adeptum, sciunt partium illarum antiquitatis Ecclesiasticæ periti. *Antuerpiæ* fanum Martis in *D. Michaëlis* honorem & memoriam, prima populi Pastoribus in eo emporio sedes fuit. Nunc magnifica est *S. Michaëlis* Ordinis sacri Præmonstratensium

DVCIS in Militia boni τεκμήρια, sive *Notas*, qui eruditè inprimis & prudenter de Politicis, ac re militari scripsisse nostro tempore putantur, ponunt omninò *Quinque*, quas in legitimo, ut loquuntur, Duce requirunt: *Scientiam*, *Virtutem*, *Providentiam*, *Auctoritatem*, *Fortunam*. Quibus ego plures quinis adjungam: ostendamque nullam prorsus desideratam in Nostro Copiarum Duce IGNATIO. Prima sit INDOLES. Admirabile quid est in homine, quod vocatur *Indoles*; è quâ, quam sit quis in aliquâ disciplinâ futurus excellens facilè dignoscitur. Ab aliquibus dicitur *Ingenium*, quia est naturæ cujusque ingenita. Et in pueris statim se prodit. *Galenus* Pergamenus, tantum non excedens ex ephebis, methodo operam dabat: magis methodicum Galeno Medicinæ Doctorem orbis nō vidit. *Asclepiodorus* Alexandrinus summ⁹ deinde Physicus, à puero miracula naturæ observabat, eademq; solicitè inquirebat ab artificibus. *Andreas Vesalius* superiori seculo, excellentissimus postmodum Anatomicus, vix evaserat ex infantiâ, cùm mures dissecaret. *Origenes* Adamantius laboriosissimus Scripturæ divinæ Interpres, cū adhuc esset puer, de abditis Scripturæ sensibus inquirēs Leonidam parentem suū: de caussis verò atq; instrumentorum usu opifices fatigabat. (a) *Nicolaus* Myræ Episcopus in Lycia adolescentulus ad lectiones sacras itabat, cùm ceteri lusibus vacarent. *Thomas Aquinas*, quoties infans librum aliquem conspexisset, eum arripiebat avidissimè, & chartas volvendo mirè se oblectabat. Hinc lacrymanti si libellum obtulissent, statim fletum comprimebat. Natus annos quinque à Magistro, cujus disciplinæ traditus erat, importunis precibus extorquere solebat, ut diceret, Quid est DEUS? audita tenacissimè retinebat.

(a) *Euseb. lib. 6. cap. 3.* (b) *Vita Decemb. 6.*

tinebat. (*a*) *Walericus* à primâ ætate oves patris pascebat, propensione nativâ ferebatur ad litteras: tabellam sibi conficiebat, supplicabat Ludimagistro, in ea ut alphabetum pingeret, litterarumque audita expositione gestiens, regressus ad gregem litteras totumque Psalterium perdidicit. (*b*) *B. Hermannus* Coloniensis, quoties puerorum more, fabulas Poëtarum ediscere jubebatur, vel legere, non ferebat: immò, ipsos suos Ludimagistros, à quibus ob indolis sanctitatem suspiciebatur, reprehendebat. Alij ostendunt nativam inclinationem ad picturam, egregij futuri pictores: quidam ad sculpturam: nonnulli ad agriculturam: an non etiam aliqui ad sutoriam, sartoriam, aleatoriam, potatoriam? viles animæ. Generosa est *Indoles Militaris*, quam deprædicant antiqui in Alexandro Macedone, quem etiamnum propè puerum, equorum vel ferocissimorum domitorem fuisse scribit in ejus Vita Plutarchus. Eandem videor animadvertere in IGNATIO.

VIX natus fuit, & illuxit in illo, qualis futurus esset Miles, primò, profanus, tum Sacer, denique Sacræ DVX Militiæ. Nam cùm idem sit DEVS, idemque auctor naturæ & gratiæ, ut dixit alicubi Tertullianus, ita naturam disposuit, ut ea gratiæ aptissimum fundamentum existeret. Quare *Ignatio* indolem dedit ad Militiam profanam, ut illam Militiæ sacræ substerneret, cùm magna inter utramque sit affinitas, facileque sit, ab illâ ad hanc, ob præceptorum convenientiam, ac analogiam transitus: facilis ex „ una in alteram transmigratio. Apparebant in IGNATIO, ut scribit Ni- „ colaus Orlandinus, initio Historiæ Societatis, ut in Electis plerumque „ DEI documenta non levia, unde prudens rerum æstimator, etiam si quid „ præstans ille ordiretur Opifex ignoraret, intelligeret tamen quotus is „ esset aliquando futurus ad meliora conversus. Nam & in Apostolo Pau- „ lo, etiam tum, cùm DEI persequebatur Ecclesiam & in Discipulos Do- „ mini minas spirabat & cædes, non erat difficile conijcere, quantus & „ ipse futurus esset, traductus ad Christum. Quippe, idem ac semper sui „ similis animus est, & eandem vim suam ubique prodit, sive in tutelâ „ versetur erroris, sive in patrocinio veritatis. Nam post acceptam gra- „ tiam, ut scriptum reliquit B. Macarius, natura manet eadem. Et sicut „ membrana, in quâ suo quisque scribit arbitrio, quamcumque scripturam „ recipit, ita gratia qamcumque naturam.

„ Ac profectò, pergit Historiographus noster, si quis in ipsis profanæ „ Militiæ castris, tanquam ex aliquâ specula contempletur IGNATIVM, næ „ ille vel ex generosis ejus inceptis, conatibusq; conjiciat, ad majora quæ- „ dam, melioremque Militiam eum genuisse & conformasse Naturæ Au- „ ctorem, eundemque gratiæ. Ac illius vitæ cursum jam inde à principio ita à DEO fuisse decretum, ut humanis postea ad Divina traductis, nihil

(a) *Vita 7. Mart.* (b) *April. 7.*

nihil non in eo summa Sapientiâ permissum, nihil non peculiari providentiâ relictum & constitutum animadvertat. IGNATIO Militem agente profanum haud obscuri pietatis igniculi emicabant, qui progrediente tempore, cum se ex hominibus transtulisset ad DEVM, magnam videbantur in ejus pectore vim excitaturi flammarum. *Rem militarem jam tum ab adolescentiâ, majorum exemplo, didicerat, diuturnoq; usu castrorum bellica laude florebat. Vt sua mox Sodalitatis alumnos in obtemperandi celeritate, sive in laborum tolerantiâ, sive in salutaribus excursionibus, subitisq; missionibus exerceret ad similitudinem bellicæ disciplinæ.* Fuit in adolescente *incredibilis mentis ardor ad gloriam, sitis ingens humanæ laudis*, quæ comites sunt Indolis bellicæ. *Sed nimirum, ut commutato vitæ genere, in ejus. qui omnia condidit, gloriâ laudeq; sitiendâ, eundem animi impetum, eundem retineret ardorem.* Elegantiam cùm in omni vita, tum in cultu corporis affectabat, ut hæc ejus esset elegantiæ prænuncia, quam mox in rebus sacris cultuque interioris hominis præ se ferret. Eminebat altitudo animi in condonandis injurijs offensisqúe, in liberali gratificandi voluntate, in detestandis avaritiæ sordibus, & malorum omnium seminario, Cupiditate. Vt neglectis aliquando suis commodis, & emolumentis, magnifico, excelsoque animo, totum se ad animarum salutem, & proximorum applicaret, explicaretqúe. Cernebatur in capescendis rebus arduis animi *Magnitudo*; in gerendis acre *Consilium*; in exequendis ad extremum usque *Constantia.* Vt pro DEI deinde gloria, saluteqúe omnium gentium, nihil non aut alto quodam aggrederetur animo, aut cautissimis consilijs administraret, aut strenuo denique constantiqúe labore perficeret. Erat senilis quædam in adolescentiæ flore *Maturitas*, pari *Comitate* conjuncta, sive in pertractandis hominum animis, sive in eorum captandis voluntatibus. Vt olim esset in robusto jam viro. seu in deducendis ab errore mortalibus, seu in alliciendis, aut adjungendis ad Christum *Comitas* gravis, ad illud officium necessaria.

ANNVS agebatur MDXXI. (ut scribunt Historici Societatis) cùm Pompejopoli, urbem militariter defendens, ex æneo globo fœdum in crure vulnus accepit. Sed quo die glande ictus ab hoste, & vulneratus est in corpore (is dies fuit feria altera Pentecostes XIII. Kalend. Jun ut certis auctoribus compertum est) eo videtur ab Almo Spiritu amore ictus, ac sauciatus in animo. Hoc itaque initium fuit vitæ in melius mutatæ, quam inchoavit ceremonia militari. Siquidem profectus in Montem Serratum cultu Reginæ Cælorum celebrem. quia legerat nobiles olim Equites, cum initiarentur profanæ Militiæ, totam noctem in armis excubare solitos, *Militiam* & ipse *Sacram* auspicaturus ritu persimili, jumentum, quo erat advectus, cænobio Religiosorum donavit, quod superfuit pecuniæ, pauperibus divisit: gladium ac pugionem, ante DEIPARÆ Aram suspendit: den-

 sisqúe

ſisqúe jam tenebris, uni pauperum, etiam nobiles veſtes, quibus induebatur, ad intimam uſque ſubuculam, tradidit, ſeqúe ipſe habitu induit, quem propè montem Serratum nuper ex itinere comparaverat. Is erat talaris tunica è rudi ſacco, funis pro cingulo, calcei è ſparto, ſed alterum tantùm pedem ex veteri plaga imbecilliorem texit, alterum prorſus nudum, nudum item reliquit verticem: ſuſpendit ab latere concurbitam in uſum aquæ, & viatorium baculum, peregrinorum geſtamen manu prehendit. Hoc ornatu noctem, quæ lucem Conceptio à Virgine æterno Verbo ſacram præceſſit, ante ipſius Aram Virginis totam exegit: modò ſtans, modò genibus nixus, deflens ſuperioris ætatis piacula, totumque ſe, toto pectore, DEO devovens, atque Ei uni ſtatuens in poſterum *Bonam* militare *Militiam*. Primo diluculo, ne per lucem agnitus, in eo habitu admirationem ſibi, & nomen ſanctitatis conciret Manreſam verſus diſceſſit, oppidum à Monte Serrato tribus diſſitum leucis. In ejus oppidi hoſpitali domo, rudimenta ſuſceptæ *Militiæ* poſiturus inter pauperes, & infirmos. Quod fecit egregiè, ſui ſemper victor & Satanæ.

QUONIAM auté proponebat ſibi CHRISTUM JESUM, veluti Regem juſto præditum imperio, fortem, ac generoſum & moribus ſuaviſſimum, qui ad pium bellum non alia invitaret conditione populares ſuos, quàm, ut commodis iiſdem, & incommodis uterentur, menſæ, lecti, laborum, periculorum, quibus ipſum uti Regem viderent; optimè hinc argumentans, ex una parte, non poſſe hac Militibus conditionem optabiliorem honeſtiorém-ve proponi: nec ſanè dignum aut Militum aut hominum numero, qui Rege hujuſmodi piam ad expeditionem ſic invitante, non evolaret ad Signa: ex altera verò parte pauperem, cumque CRUCE præeuntem CHRISTUM Ducem intuens, & audiens vocem: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat* CRUCEM *ſuam, & ſequatur me*; totus in ſanctum id genus belli: totus in ſtudium animarum, totus in æ.umnarum, paupertatis, & cruciatuum omnium cupiditatem exardeſcebat, ut ſtrenuè ac legitimè ſub tali Duce militaret, erubeſcens non ſequi præeuntem, & meliorem, quam ſibi DUX PRIMARIUS aſſumeret, conditionem pati. Ex hoc fonte, quæ geſſit tota vita, pro cauſſa animarum; quæqúe perpeſſus eſt, ac multo plura, quæ cupijt perpeti. Ex eodem Sociorum adlectio, & ipſius Societatis conſtitutio, & univerſa deſcriptio emanavit. An-non hæc ſatis indicant, peculiarem IGNATIO Indolem fuiſſe ad *Militiam*, quà profanam, quà ſacram?



MEM-

MEMBRVM III.
SCIENTIA DUCIS MILITARIS.
Qua Ignatius *egregie fuit praeditus.*

PRÆTER Indolem, necesse est, ut Dux exercitus habeat Scientiam, nempe, Disciplinæ militaris. Quod in qualibet facultate requiritur. Fabrum officinæ ferrariæ, aut incudi non præficimus, nisi artis suæ gnarum. Philosophum in cathedra non patimur, qui in Philosophia non sit probè versatus. Rhetoricam docere non permittimus, qui in Oratoria diu multumque non sit exercitatus. Medicum, qui morborum agmen expugnet non advocamus, qui curandi notitiam non habeat. Juris consultum ante tribunal stare, & caussam agere, aut in sella considere, & sententiam ferre ægrè ferremus, qui in Legum scientia esset rudis. Theologo epomidem detraheremus, qui præsidere vellet, nulla rerum divinarum, aut exigua præditus notitia. Et *Ducem Exercitus* esse posse arbitramur qui belli rationes perspectas non habet, qui militē conscribendi, aciē disponendi, hostem invadendi, insidias vitandi, civitates oppugnandi: certandi eminus & cominus; turmatim & sigillatim; prælio ac duello; feriendi cæsim, ac punctim: tormenta collocandi, castra muniendi, propugnacula extruendi; militem ducendi, componendi, tranquillandi, continendi, animandi, retrahendi peritiâ caret? Cui adolescenti in gynecæo fortasse, inter puellarum greges enutrito exercitus concreditur? Qui nullam Militiæ, nisi jocularis ac puerilis, inter crepundia, partem attigit? Qui scenæ magis, quàm campo, cænaculo, quàm arenæ, umbræ quàm Soli assuevit? Tales si repentè, & sine alio Dirigente præficiantur, & Duces fiant, antequam milites, quid mirum, cum summo Christiani nominis dedecore, omnia in discrimen adduci, ac Rempublicam hostibus prodi?

HELIOGABVLVS Imperatorum profligatissimus exercitibus Romanis semel saltatorem præfecit, qui olim juvenis publicè in theatro operas dederat. Alium item è scenâ juventuti: alium Senatui: alium Ordini Equestri præposuit. Aurigis item & comœdis, nec non mimis & histrionibus maxima Imperij munia demandabat, ut Herodianus narrat. Servis autem suis, aut libertis, ut quisque turpitudine reliquos anteibat, procurationes tradebat provinciarum. Quid mirum perisse Eliogabulum, ejusque exercitus, quibus istiusmodi propudia Duces ex sinu suo dabat. Nero quoque, portentum illud Cæsarum, ad exercitum ut præesset, quendam suum libertum misit. *Sed hostibus irrisui fuit. Apud quos flagrante etiamnum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat: mirabanturq; quod Dux, & exercitus tanti belli confector, servitijs obedirent*, inquit Tacitus libro quarto decimo.

DVLEX

DUPLEX autem *Scientia militaris* Ducem exornet oportet: *Theorica*, quæ studio, lectione, & auditione hauritur: ac *Practica*, quæ magis illi necessaria, & usum spectat. *Artis suæ gnarus sit*, inquit bonus Politicæ Magister, (a) *& qui Militiam longo usu combiberit, non auditione solum, aut lectione.* Qui, ut loquitur Tacitus, (b) *plures per provincias stipendia expleverit. Et nullum genus belli sit, in quo illum non exercuerit fortuna*, ut habet Cicero. (c) Qui *norit*, ut idem inquit, *quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo, trahendoq; bello modus.* Qui *secundarum, ambiguarumq; rerum sciens, eoq; interritus*, ex Taciti monito. (d) Nam isti assiduè in rebus prosperis & lætis displicet. *Nec temerè adversa casuum reputat, quem* Fortuna *nunquam decepit*, ut observat Romanus historicus in trigesimo. (e) Vtraque egregiè excultus fuit IGNATIUS: in Theoriâ spiritualis Militiæ tam præclarus, ut librum de illâ scripserit initio penè conversionis, in quo modi omnes. hostes, nempe, Cacodæmonem, vitia, peccata, cupiditates, perturbationes, & affectus pravos invadendi, aut evitandi, superandi, & delendi perpetuo cursu de potentissimo tartareæ potestatis exercitu victoriam reportandi docentur; multo accuratius, quàm ullus Auctor sive Latinus, sive Græcus de re Militari Romanorum, aut barbarorum præcepta unquam tradiderit. Dicitur is liber, *Exercitiorum spiritualium.*

QUÆSO Te, Pater mi, immurmurant fortasse aliqui, quoniam multa de isthoc libro audivimus, distribue singulis ad honorem S. Patris, unum aliquem typis expressum: rem omnibus gratam, & perquam utilem feceris. Quid audio? Sed nescio, an non & vos audieritis: libri illius secreta, non legendo, sed faciendo innotescere: fructum ex eo non lectione tantùm, sed in secessu exercitatione, & hac magis, quàm illa capi. Ad quam ego singulis, qui sunt idonei; sunt autem, quàm qui maximè, adolescentes maturi, & viri graves, meam operam octiduo integro addico. Suscipite conditionem, si ad id vos exstimulet bonus Genius, & dimissa concione suum quilibet desiderium pandat. Jucundissimè & fructuosissimè in conclavi ad id parato quotidie agemus, & eas DEO militandi artes reportabitis, ut subitò metamorphosi divina, mutati in alios, ex imperitis docti, ex ignavis industrij, ex debilibus fortes, ex dejectis animosi, ex gregarijs principes, ex proletarijs Duces militares sius evasuri. Probate tantùm, & nisi verum me dicere, experimento dedicetitis, mendacij arguite.

PORRO, præter hanc ad bella Domini pugnanda scientiam speculativam (quamvis cùm ex praxi magnam partem orta sit, nescio, an purè speculativa cognominari debeat: dicatur ergo mixta) habuit IGNATIUS quandam eximiè practicam, usu & experientiâ multi temporis comparatam, quâ in omni

(a) Lips. 5. Polit. cap. 15 (b) Lib. 3. Annal. (c) Pro L. Manil. (d) Lib. 1. Annal. (e) Livi. lib. 30

in omni genere pugnæ cum animarum hostibus fuit versatissimus. Technas ille quascumque tentationum, quibus simplicitati nostræ illudere solet Cacodæmon, nosque turpissimè decipere, ac subjungare, perspectas habebat: quippe, tentatus per omnia, sed illarum semper victor. Modos congrediendi diversissimos pro varietate aggredientium nos vitiorum, callebat exactissimè: nempe, cùm ijs pro occupationum, occasionumque multiplicitate, manus fortiter conserverat, nunquam superatus. Sciebat quomodo cum Gula, per subtractionem; cum Superbia per dejectionem, quasi in terrâ cubando; cum Avaritia, per profusionem; cùm Luxuriâ per fugam; cum Iracundiâ per carbonum caritatis in capite inimici congeriem; cum Invidentia per pectoris denudationem; cum Acedia per alacritatem sit conflictus ineundus. Non ignorabat, experientia condocefactus, quomodo laqueo desperationis, stratagemate inimici sibi injecto, hostem strangularet. Quomodo diffidentiæ pedicas sibi paratas, adversario injiceret. Quomodo murices impedimentorum in perfectionis via densè sparsos, inimicorum pedibus substerneret.

PVGNAVERAT frequentissimè IGNATIVS singulari certamine cum hostium fortissimis, & animosissimis, provocatione, ac diffidatione in antecessum facta. Sic superaverat, duello inito, Arrogantiam, tanquam Goliathum altissimum; Intemperantiam, tanquam Agag pinguissimum; Lasciviam, tanquam Asmodæum salacissimum; Iram, tanquam Medusam furiosissimam; Invidiam, tanquam Cerberum, rabiosissimum; Acediam, tanquam Sardanapalum effæminatissimum. Aggressus erat IGNATIVS plena acie, Virtutum exercitu in sua cornua diviso, ac hostium copijs opposito, numerosissimas Vitiorum & Cupiditatum phalanges; ac gloriosam semper de hostibus, fusis, fugatis, internecione deletis, victoriam reportarat. Evocaverat incredibili pectoris generosissimi ausu, ipsum legionum infernalium Principem, cum eoque monomachia, incruenta quidam illa (nam Satan, quamvis lethaliter vulneratus, sanguinem non mittit) sed hosti perniciosa, ipsum, ipsiusque omnes furore temerarios asseclas in fugam egerat, & nominis sui terrorem damnatis illis agminibus incusserat. Paucis multa insinuavi, quæ si exemplis sigillarim confirmanda essent, vitæ Ignatianæ oporteret explicare volumen, & codicem evolvere; quod mihi hoc tempore attentare non est integrum.



MEMBRUM IV
SOCIORUM ADLECTIO
ab Ignatio *facta* : *Nomen* Societas: *ejusq; descriptio, respipit disciplinam militarem.*

EX Scientia ac usu disciplinæ militaris oritur, ut posit Dux conscribere militem, delectus agere, auctoratos ducere, secundum artem, & ad victoriam accommodatè, aciem constituere & reliqua ad hunc finem necessaria commodè exequi. Quæ omnia, & quæ sunt ejus generis alia, peritissimè tractavit IGNATIUS, Socios, tanquam commilitones sibi aggregando, instruendo, & ad Militiam spiritualem aptando. Institutum autem cætum ipse SOCIETATEM JESU appellavit. Dubitari quidem animadverto ab aliquibus, an hæc appellatio sit Militaris? an alterius generis? Siquidem aliorum quoque hominum reperiuntur Societates. Sed mihi omnem ambiguitatem abstulit accuratissima de hac ipsa re commentatio Julij Nigronij. Qui illud imprimis observat, nomine Societatis usum fuisse S. Augustinum, Isidorum, Leonem x. Pontificem Max. ad significandum cætum regularem Religiosorum. Tum verò universim Societatem esse duorum vel plurium conventionem initam ad aliquod commodum. Adhæc pro cōmodorum, vel convenientium diversitate variari denominationem Societatū. Sic esse Societatem opificum, mercatorū, Militum. Hanc ultimam autē respexisse IGNATIUM, ut Societas sumatur pro Sodalitate militari, in quam sub Duce plures conveniunt, spectantes commodū victoriæ ac prædæ, multa persuadent; quæ adduximus in hujus voluminis Procœmio. Itaque dum Societatem JESU nominari audis, Ordinem militarem cogita. In quo Religiosi sint *Socij*, id est, *Commilitones* JESU, quem, ut Ducem supremum ac Imperatorem habent, & venerantur. Quomodo dicebant olim, cohortem istam esse Scipionis, illam Cæsaris, hunc exercitum Pompeij, nempe, à Ductoribus primarijs. Proinde, cùm Societatis homines, nuncupant se Religiosos de Societate JESU, significare volunt, se esse servos JESU, militantes sub eo: dum dicunt se Presbyteros, Clericos ve Societatis JESU, indicant, se esse manipulares, aut legionarios Milites JESU. Quo sensu Paulus hortabatur Timotheum, ut laboraret, ac certaret, sicut bonus *Miles Christi*. Et in Lusitaniâ Equites CRUCE signati se vocant MILITES CHRISTI.



MEM-

MEMBRVM V.

PRUDENTIA MILITARIS.

Qui Ignatius *in Sacra Militia excelluit.*

SCIENTIÆ adjungenda est in Duce belli *Prudentia militaris*, quæ est Sagi, & à togatâ civilique est diversa. Prudens haud vulgariter sit oportet, à quo tot virorum fortium, atque adeò Regni Imperijque fortuna pendet: qui non temerè agat, aut, ut casus fert, sed ut ratio suadet: qui adversa æquè ac prospera moderetur Prudentiæ dictamine. Magni Duces plura consilio, quàm vi perfecerunt. Carthaginenses Duces in bellis pravo consilio rem gerentes, quamvis prospera fortuna subsequuta esset, in Crucem tamen agebantur, suffixi ludibrio futuri & ad exemplum subsequentium. Melior est Prudentia, quàm Fortuna. *Non est minus Imperatoris superare consilio, quàm gladio*, verè dixit Julius Cæsar. Nec leges ferè unquam superatum exercitum, nisi ubi in consilio erratum. Audaciam probent alij in Duce: ego Prudentiam præfero. Profectò, melior est Dux prudens ac providus, quàm audax. Ingeniosè Demades Alexandri exercitum Cyclopem appellabat, quod omnia adessent illi, Prudentia deesset, qua moles illa regeretur.

QVANTÆ autem Prudentiæ fuerit IGNATIVS inde colligite, quod, tametsi in rebus magnis & arduis ægrè divelli poterat ab eo, quod semel rectum judicasset, eratque acer & efficax in agendo; non tamen propterea, aut nimias celeritates suscipiebat, aut tarditates: sed festinabat lentè, opportunitateque temporum observatâ, res maturabat, in omnibus excellenti temperatione utens. Ex quo vix ullus ejus labor irritus, vix ullum non perfectum opus in magnis etiam atque operosis fuit. In rebus suscipiendis sæpissimè videbatur nullâ humanâ prudentiâ uti, sed divinâ tantùm niti Providentiâ: in exequendis tamen & ad finem perducendis, omnes vias tentabat, ut inchoata perficeret: eâ tamen cautione, ut non in humanis subsidijs, sed in DEO, bonorum omnium effectore spem efficiendi defigeret, lætissimo semper tranquillissimoque animo esset. Multa instituebat, quorum consilia, quod occulta essent, aut rationi parum consentanea nonnullis, aut admirabilia certè videbantur. Sed tamen eorum exitus exquisitum Spiritum, reconditamque prudentiam declarabat Ignatij: qui ante languorem adhibuisset medicinam; & cui futura tam solerter prævisa fuissent, & præcauta. Atque hæc quidem admirabilis & divina Prudentia, qua omnibus in rebus utebatur Ignatius ex copioso illo, ac cælesti lumine derivabatur, quâ ejus anima illustrata; non solùm præsentia cernere, sed etiam futura prospicere videbatur. Ita ferè de Prudentia IGNATII *Petrus Ribadeniera, Maffeius, Orlandinus*, alijque Societatis Scriptores.

MEMBRVM VI.

PROVIDENTIA. SAGACITAS. ATTENTIO. CAUTELA Ducis militaris in Ignatio miranda.

PRVDENTIÆ adhæret PROVIDENTIA, & ea virtus quam Græci Αγχινοίαν, Sagacitatem Latini appellant, quæ Ducem attentum,& in omnem occasionem agendi vincendique expeditum reddit. Exemplis aliquot Ducum militarium res fiet clarior. Laudatur CLEOMENES, qui cum castra haberet finitima Archivis hostibus, sagacissimè investigabat, observabatque quid in ijs ageretur. Ipse imprimis in suis castris omnia per præconem edicebat: eum imitabantur Archivi: ita ut cum pranderet, quiescerent: cùm suos educeret. illi quoque eadem, quasi communi signo dato factitabant. At quodam die Sagax *Cleomenes*, clam suis denunciavit, cùm signum prandij daretur, arma sumerent: quo facto, prandentibus more consueto, supervenit, & occidit. Summo in timore erat IPHICRATES Atheniensis, sed cùm explorasset Thraces è collibus, per quos solos ad castra via erat, noctu venturos, exercitum clam ad viæ latera, disposuit, ignes per paucos in castris aluit, deinde multitudinem decurrentem à lateribus aggressus occidit; atque ita sagacitate & ingenio suo periculum summum in hostem convertit, & ex eo consilio victoriam quæsivit. Nomen habet, ac commendationem in historia Veneta FRANCISCVS CARMIOLA, qui cùm vicina hostium castra essent, & eques cum quodam adversariorum equite immicitias haberet, ac duello decernere vellent, constituto intervallo, & inter castra pugnæ loco, multis concurrentibus ad spectaculum, robur suorum militum in castris instruxit, & repentè hostes inopinatò invadens, vicit fugavitque. Quoniam autem hæc & similia perfici nequeunt, nisi sagaciter hostium molitiones investigentur. aut conijciantur, Epaminondas dicere erat solitus, optimum Ducem videri, qui quamvis res hostium certò cognoscere non possit, saltem conjecturâ assequeretur.

IN quâ re plurimum valebat IGNATIVS, cujus, ut fuit Prudentia singularis, ita eminuit Providentia & Sagacitas. Explorabat ille quàm diligentissimè hostium omnia astuta consilia, utebaturque ad præveniendum, aut ea disturbanda. ingenio divinitus illustrato. Quo pertinet *Donum*, quo fuit præditus, *discernendi spiritus*; boni-ne essent, aut mali; quod plurimum facit ad victoriam.

PORRO, Providentia Prudentiæ juncta CAVTVM facit Ducem & à temeritate revocat, ut nullo loco nisi quantum necessitas cogit, committat se fortunæ, ut loquitur Livius; (a) qui spernendos etiam ait, istos feroculos,

(a) *Liv. lib. 22.*

los. & celeripedes, qui ut loquitur scribitque vulgus, *citò, citius, citissimè* omnia, ac præpoperè agentes; contemnendis, quàm cavendis hostibus meliores, judicio Taciti. (*a*) Nihil minus in perfecto Duce, quàm temeritatem convenire Sapientes existimant. Quàm autem *Cautus* fuerit Ignatius, quàm procul à temeritate, quàm alienus à festinatione præproperâ docet hominis alioqui sanguinei, & à naturâ incitati agendi modus, quem dixisses esse phlegmatici, nisi tarditatem à virtute profectam animadvertisses, ut notabant illi, qui ejus consuetudine fruebantur.

(a) *Tacit. lib. 2. hist.*

Membrum VI.
Felicitas seu Fortuna.
Duci militari est perquam necessaria.

IN Duce militari desideratur etiam Felicitas à quâ si deseratur, parum efficiet omni suâ industria. Id cernitur in omnibus penè artibus, ac disciplinis. Sit Medicus in theoriâ excellentissimus, in praxi diutissimè versatus, qui cum Galeno aut Hippocrate videatur posse contendere: at felicitatem in medendo non habebat: jacebit: nihil illi succedet, funera funeribus cumulabit, cæmeteria tuberculis signabit, ac templa exornabit cænotaphijs, & sepulchrorum inscriptionibus. Advocatus, Procurator, Causidicus, nisi felicitate sublevetur, quamvis legum peritissimus, eloquentissimus, versutissimus, unam, post aliam caussam perdet, familias ad paupertatem rediget, patibulum reis, quos defendendos susceperat, coronabit. Ferunt Concionatorem in Italiâ, cui parem scientiâ, conceptuum ubertate, inveniendi promptitudine disponendi artificio, eloquendi peritiâ, cognitione historiæ, Philosophiæ, ac Theologiæ eo tempore Roma non habebat, ita tamen ab auditoribus desertum fuisse, ut in templo amplissimo, ubi dicebat, & ad quod solet esse concursus, fuerit penè solitudo; adeò, ut necesse fuerit submittere, qui vacuitatem implerent. Aliqui interim loquutulei, vulgaris eruditionis, & doctrina vix mediocri tincti Ecclesiastæ, doctis ridendi, ac verè inficeti, auditorium ostentabant numerosissimum, ac splendidum. Quæ diversitatis caussa? felicitas horum, illius infelicitas. Des mihi Ducem belli, scientem, prudentem, providum, vegetum, solertem, in omnem opportunitatem intentum, nihil negligentem, omnia scrutantem, consilio egregium, manu fortem, hosti formidabilem, si Felicitas eum destituit, nihil penè unquam aget præclarè, nihil è voto succedet. Sit alius cum priore in belli artibus minimè comparandus, quem Felicitas comitetur, admirandas obtinebit victorias, & quicquid penè attentabit, supra spem eveniet. Tantum potest in re bellica Felicitas. No-

minare possem hujus ævi diversos exercituum Ductores, qui vel in isto, vel in illo fuerunt censu eximij.

SVNT quidam profectò. ἐν τετράδι γεννηθέντες, quarta Lunâ nati: (a) qui domi habent equum Seianum, ut olim ajebant; adeo, cuicumque rei manum, aut mentem admovent, ea se avertit. Contrà, alij, quibus etiam venti, tempestatesque obsecundant. Quod est admirandum, & incurrit in oculos penè quotidie. At difficile est dare aliquot illius rei principium. Romani idcirco Deam appellabant hoc nomine , cui ad impetrandum prosperos rerum agendarum successus sacra fiebant. Quid FELICITAS? quærebat olim Christianus? Respondebat Gentilis: Dea est, ædem accepit, aram meruit: Sacra ei congrua instituta sunt. Subjungere potuisset Christianus: An ergo Infelicitas illi adversa, est Furia infernalis? Aliqui Felicitatem cum Fortunâ confundunt. Hanc autem nonnulli Comitem consilij ac rationis in Duce faciunt. Id aliquando accidit, & in quibusdam: non semper, aut in omnibus. Quare, altius reor plerumque illius esse principium, nempe, à DEO selectis quibusdam attribui. Ille Felicitatis est auctor, largitorque. Eam præstare à se ipso nemo potest, ut inquit Cicero: quis enim alioqui reperiretur infelix? Græcorum est paræmialis loquutio, Θεοῦ δὲ δῶρόν ἐστιν εὐτυχεῖν βροτούς

Felicitas est munus à summo Deo

Etsi ergo Prudentia, Providentia, & Sagacitas plurimum faciant in bellis ad successum, tamen non aberravit judicio Plato (*b*) dum dixit: *Militarem artem plurimæ sive Fortunæ sive Felicitatis esse egentem.* Quocirca in Ducibus deligendis hæc quoque nota spectari solet. Et existimo olim, *Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & ceteris magnis Imperatoribus, non solum propter virtutem, sed etiam propter Fortunam sæpiùs imperia mandata, & exercitus esse commissos.* (*c*) Quæ Ciceronis est conjectura, Oratione pro lege Manilia.

(a) *Eustath. in 2. Iliad. Agell.* (b) *Pl. in Epim.* (c) *Cic. Or. pro. L. Man.*

MEMBRVM VII.
FELICITAS IGNATII MAXIMA.

MIHI consideranti ab IGNATIO res præclarè domi Militiæque gestas, nihil ferè magis in admirationem rapit, quàm ejus FELICITAS. Quæ illum penè in cunis, certè, in incunabulis conversionis ad DEVM excepit, adolescentem in Pietatis gymnasio est comitata, toto vitæ tempore cum hostibus congredientem nunquam deseruit, post mortem etiam adhæsit. Vitas ego plurimorum Christianæ ac Religiosæ Militiæ Ducum perlegi, quorum virtutes fuerunt egregiæ, DEI dona supra

humanam æstimationem magna, dotes naturæ, & multo magis gratiæ Divinæ, propemodum innumerabiles, quibus vel æquarunt, vel superarunt etiam IGNATIUM, sed in perpetuo quodam felicitatis contra hostes omnes suos cursu, an parem habuerit, ignoro sanè: superior an aliquis exstiterit, ambigo. Quantæ erat felicitatis, hominem, nullis instructum humanæ Sapientiæ præsidijs, & ex seculi castris nuper abreptum deligi Auctorem illarum copiarum, illiusque Ducem exercitus, qui totus, nonnisi Sapientiæ, tam togatæ, quàm sagatæ; tam pacatæ, quàm polemicæ; tam divinæ, quàm humanæ operam erat daturus? Videte, quæso Vos, quid faciat *Felicitas*, quæ cælo missa unum amplexetur, ac evehat, non alterum.

FLOREBAT in Pietatis castris per idem tempus, quo IGNATIUS vix militare cœperat, vir sanctitatis, & eloquentiæ Apostolicæ nomine per totam Hispaniam celeberrimus JOANNES AVILA, expertissimus, virtutis perfectæ Magister, idemque Scriptor egregius, cujus quantum voci ejus provinciæ, ætatisque populi, tantum stylo posteræ totius penè Christiani orbis debent ætates. Hic multos habebat discipulos, homines acres, doctos, pios, ad Christianam Militiam maximè idoneos: veneratque illi non rarò in mentem, talem Congregationem instituere, qualem Societate approbatâ, spectavit deinde senex in Hispaniâ. At, non hunc hominem, à puero in disciplinarum orbe versatum, ac genuinum Sapientiæ alumnum, sed IGNATIUM eatenus rudem, armatæ Palladi, non togatæ Minervæ operantem, à litteris imperatum, nihil minus in adolescentiâ, quam artes liberales, & Christi vexillum meditantem arripuit ad hoc munus FELICITAS. Quam agnovit in IGNATIO Aquila illa Hispaniæ, Avila. (a) Qui, ut ex fide refert Orlandinus, cuncta Societatis instituta ex animo complectebatur, & laudabat mirificè. Quod dicebat se facere sapientissimus Senex, naturali quadâ quasi proprij amoris illecebra, quod in Societate ab IGNATIO Instituta omnia planè congruerent, cum ea forma, quam in animo suo ipse olim descripserat. Verùm, se Paranymphum, instar Joannis Baptizatoris fuisse, & gaudio gaudere propter Sponsum. Nec aliter sibi contigisse, atque si puer conetur lapidem ingentem attollere. Qui dum præ virium infirmitate, rem nunquam perficit, vir superveniens robustus, pro virium magnitudine, nullo negocio attollit, suoque loco aptè constituit. Quo simili vir ille præclarissimus se ipsum parvulum cum viro valido conferebat IGNATIO, qui onus hoc exercitus ducendi, ac aliorum curandæ salutis, multo quàm ipse melius ferret, ac suis humeris sustineret. Et addebat: quamvis ipse, pro voto Societatem coire cum illo, per ætatem, viresque non posset, curaturum certè se, ut ad eam quàm plurimos, quotquot idoneos reperisset, ex suâ disciplinâ submitteret: nec minus ei foris, quàm intus prodesset. Haud aliter ab eo factum ac dictum. Complures ex ejus discipli-

(a) *Lib. 14. histor. num. 40.*

disciplinâ deinceps, & quidem optimi ad Societatem venerunt, & in eâ sanctè pièque vixerunt, sanctissimeque diem obierunt.

QVOD dixi de Avila agente in Boeticâ, confirmare possem, in medium productis alijs doctissimis pientissimisque Viris, per omnes Christiani orbis provincias sparsis. Plurimi enim erant, etiam in Germaniâ, Galliâ, Belgio, Britanniâ, Italiâ. Quos omnes, dum veluti in uno aliquo campo, tamquam amphitheatro amplissimo, congregatos contemplor, spirantes bella, arma, minas in hostem tartareum, ac inter illos IGNATIVM, præ virium imbecillitate vix consistentem; hunc tamen cælo delapsam Felicitatem porrectâ dexterâ arripientem, & selectissimi Exercitus Ducem proclamantem, nonne meritò exclamem, O PVLLVM FELICITATIS! At cur illi potius, quàm alteri cuipiam ex selecto illo cuneo sors illa obtigit? Hic silere jubet, non Plato, sed Paulus, & animo versare istud Apostolicum epiphonema: *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Ceterùm, hujus Felicitatis ubique per IGNATII vitam plura sunt sparsa documenta, quàm ut unius horæ enarrari possint angustijs. Nam penè nihil attentavit, nihil egit, nihil molitus est, quamvis adversarios habuerit plurimos, ac acerrimos, quod non cum peculiari felicitatis devinitus concessæ munere perfecerit. Non omittam tamen indicare felicitatis illius aliquam particulam, quæ virtutis excellentissimæ Virum, post mortem etiam est subsequuta.

ARBITROR equidem paucos esse Cælites, sanè, de paucissimis mihi lectum, ad quorum honores, post funus plures conspirarint, & ad eosdem impediendos, aut differendos saltem, plures convenerint: simul verò, qui pari felicitate, id quod boni omnes faventesque Societati optabant, tam admirabiliter sint consequuti. Illius ego recordor diei, quo Romæ publicè lacerata fuisse dicebatur effigies IGNATII, quod ejus caput sculptor radijs exornasset. Multis tamen agebant eodem tempore, pro ejus Beatificatione, Imperator Romanus, Reges, Hispaniæ, & Galliarum, alijque Principes Catholici magno numero. Societas modestiæ memor, nihil publicè exhibebat, quod eximiam cultus speciem præ se ferret. Quam modestiam haud scio an nimiam, inquit Historicus noster, (a) cùm finem haberet nullum: quamvis jam DEVS famuli sui gloriam in luce publica, & ante omnium oculos, plurimis passim, per ejus imagines, reliquias, invocationem, miraculis in omni genere editis collocaret, Cæsar Baronius Cardinalis, vir pariter animo, doctrina & pietate magnus, ac acer diutius ferre non potuit.

ANNO M D XCIX. Romæ in templum Professorum die anniversario B. Patris, cum Cardinali Bellarmino ad Socios è Romanis domicilijs congregatos

(a) *Orland. lib. 16. num. 136.*

gregatos adhortationem habituro venerat. Ibi Bellarminus clausis amplissimi templi januis, quod publicè nihil fieri vellet Præpositus Generalis, sermonem ad nos habuit (eram tunc inter Tirones) qui mihi deinde in animo hæsit, & semper die hoc sacro S. IGNATII, abundantem suppeditavit hactenus meditationis matutinæ materiam. Lemma erat: *Amavit eum Dominus, & ornavit eum; stolam gloriæ induit eum, & ad portas Paradisi coronavit eum.* In eo, omnium IGNATII virtutum, decorum, & præclarè factorum, honorum quoque, palmarum, & si quid est ejusmodi similium, probabat esse fontem ac initium, quod à DEO ab omni æternitate *Amatus*, *Electus*, ac *Praelectus* ad tam splendida & admiranda esset: ideoque omnia ad eximiam FELICITATEM illam, quæ Amore ac Electione DEI, vel signatur, vel continetur, referebat. Ut autem Bellarminus finem dicendi fecit, recessitque, ceteris omnibus ad sepulchrum B. Patris flexo poplite paulisper orantibus, Baronius & ipse prostratus, solumque ubi sacræ ejus Reliquiæ servabantur, exosculatus, interiore motu instigatus, interrogat, cur B. Patris effigies publicè honoranda proposita non sit; nostrisque de more modestiam obtendentibus, continuò, inquit, effigiem scalasque adferre ad me. Quibus allatis, ipse acceptam Tabulam primùm religiosè veneratur, dein scalis ascensis supra sepulchrum suspendit, adoratque rursus; plerisque Sociorum, qui omnes in genua provoluti perstabant, ad insperatum dulcissimi Parentis conspectum ubertim flentibus.

UBI & hoc fuit Felicitatis peculiaris, quod cùm Claudius Aquaviva Præpositus Generalis è Tusculano scripsisset, vetuissetque, certas ob caussas, quicquam in hoc genere attentari, cùm tantâ diligentia Præpositi Generalis litteræ reddi soleant; illæ partim oblivione unius è Romani collegii Fratribus, partim socordia mulionis, qui jussus ad Domum Professorum relinquere in Tusculanum retulit, nunquam ad Domus Professæ Præsidem, ad quem mittebantur perlatæ sunt. Quod si recepisset in tempore, totam rem haud dubiè disturbasset. Honores deinde, qui per orbem universum habiti sunt IGNATIO, tunc quando à Paulo V. *Beatus*, & à Gregorio XV. *Sanctus* proclamatus fuit, *Felicitatis* communis terminos transgrediuntur, nec majores ferè deferri posse alicui è Sanctorum Cælitum numero videntur. (*a*) Nimirum, ita visum supremo rerum Domino, ad sui majorem gloriam nominis, opemque mortalium. Quæ videlicet cura unica fuit semper Ignatio. (*b*) *Sic honorabitur, quemcumque Rex voluerit honorari.*

(a) *Hist. Societ. lib. 16.* (b) *Esther. 6. 9.*

MEMBRUM VIII.
CONSTANTIA FORTITUDO. MAGNANIMITAS. *In* Ignatio *Duce* spectatissima.

NON defuerunt autem etiam IGNATIO *Constantia*, *Fortitudo*, & *Magnanimitas*, virtutes propriæ Ducis militaris. Cùm morbo sæpe tentaretur, ac doloribus torqueretur, nullum unquam gemitum edidit, nullum animi dejecti signum, sed placitè, ut remedia adhiberentur admonebat. Tulit triduo aliquando sedatissimè dentium dolorem gravissimum, neque ullam tamen doloris significationem dedit. Aliàs item, ad morbum, quo laborabat curandum, quidam ex Socijs lineum panniculum cervicibus IGNATII circumponens, & consuens, auriculam etiam illius incautè perforabat, acuque traijciebat. Ad quem IGNATIUS; vide frater, quid facias. Quamquam, quid mirum tam patienter illum acus tulisse vulnus, qui vanitatis Miles secari crus sibi fortiter pertulit?

IN adversis sustinendis, & magnis difficultatibus explicandis ita erat excelso animo & erecto, ut morbo sæpè oppressus, si quis nodus existeret, ad quem expediendum, virtute illius esset ac prudentia opus, statim quodammodo convalesceret, & animo corpus regente, sanus, fortisque videretur. Ex quo illud inter ejus domesticos tritum erat, quoties ex morbo decumberet, optandum esse, ut aliquid ejusmodi existeret, ad quod explicandum, IGNATIUS electo surgere ac morbum dispellere cogeretur. Porrò, ut in arduis rebus suscipiendis strenuus, ita in susceptis retinendis ad finemque deducendis erat constantissimus, animique firmitate singulari. Cujus Constantiæ hæc potissimùm caussa erat: quod circumspiciebat omnia attentissimè, animoque collustrabat, antequam quicquam aggrederetur. Orabat multum, flebat, gratiam flagitabat à Domino, cujus sæpenumero divina luce perfusus voluntatem intelligebat, neque se ab eâ divelli ullo modo patiebatur. Prætereà, adhibebat eos in consilium, quorum curæ commissæ erant, eorumque exquirebat judicium, quibus illa potissimum essent cognita & explorata, quæ in deliberatione versabantur: atque hunc in modum prudenter susceptum negocium perseveranter urgebat. Hæc & multa alia adhunc titulum spectantia, qui cum IGNATIO vixerunt, scribunt historiographi.

MEMBRVM IX.
VIRTUS DUCIS MILITARIS.

Robur corporis. Vigor ingenij. Probitas animi Exemplum incitans. Pietas perseverans. In Ignatio *omnibus conspicua.*

NEC Virtus omittenda in belli Duce: immò, supremo loco ponenda. Est autem ea duplex: Corporis ingenijque vigor: & Probitas animi.

I. VIGOR corporis sæpe requiritur in Duce, *ut exerceat Legiones etiã sine bello, cura, provisis perinde agat, ac si hostis ingruat.* Quod monet Tacitus. (*a*) Expedit, ut *ipsemet plerumq; in opere, & in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto Ducis honore,* versetur, ut idem scribit. (*b*) Qui ausit

——*primus sumpsisse labores,*

Primus iter carpsisse pedes.——

Qui possit, conscientiâ teste, gloriari: *Facta non dicta mea Vos, Milites, sequi volo: nec disciplinam modò, sed exemplum etiam à me petere.* Quomodo apud Livium commilitones suos incitabat generosus Ductor. Qualis etiam describitur à Lucano:

Ipse manu sua pila gerens precedit anheli
Militis ora pedes. Monstrat tolerare labores,
Non jubet.——

Ducem laudamus, cui *adsit Labor in negocio, Fortitudo in periculo, Industria in agendo, Celeritas in conficiendo,* ut Cicero disserit. Vegetus sit, & alacer Dux militaris, non magni nominis umbra. Periculis excitetur, aliosque incitet. Talis fuit apud Romanos *L. Marcellus,* qui, cùm inopinato se hoste circumdatum videret, in eos invectus, etiam spolia opima tulit. Sempronius Tuditanus, & Octavius Tribunus, cum duodecim commilitonibus per hostium præsidia transierunt. Vigor animi & confidentia victoriam extorsit. Cùm Leonidæ Duci animosissimo diceretur, nubes sagittarum à Persis faciendas, respondit generosè, in umbrâ se pugnaturum.

II. SVADETVR etiam magnoperè à rei militaris peritis, ut Dux, si non semper, interdum ipse EXEMPLO præeat, quod maximi Imperatores fecêre. Posthumius finitâ cohortatione, cùm milites quærerent, quid imperaret? ut se imitarentur jussit: & sublato signo in hostem ivit: ac vicit. Mirum in modum animat & exstimulat milites, si audiant à Duce, quod animosissimus Gedeon trecentis suis electis, clara voce edicebat: *Quod me*

(a) *Lib. 11. Annal.* (b) *Lib. 5. histor.* (c) *Silius in 1.* (d) *Livi. lib. 7.* (e) *Lib. 9.* (f) *Pro L. Manil.*

me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, & quod fecero, sectamini, Judicum septimo: vel ad verbum ex Hebræo: *A me videbitis, & sic facite*: ut B. Ephrem Syrus, alijque ex antiquis legerunt. Rectè Onosander, Ducem suum instruens: *Quod manibus gerendo effici Imperator vult, primus ipse eas admoveat, & moliendo opus conspiciatur. Non enim tantam vim habent potiorum minæ ad vrgendas effectiones, quanta moventur verecundia præstantium dignitate virorum; atque conspicatus aliquis Imperatorem ipsum primum sumentem in manus negocium, quid sibi agendum sit, edocetur. Tum pudet cessare, tum etiam defugere imperium quilibet timet. Neque jam est in vulgo servilis affectio. sed Imperatoris ad incitandum pudor tunc valet.* Hoc jucundissimum est spectaculum, inquit Plutarchus, Dux in oculis militum, in fossa vel aggere faciendo operam communem præstans, & ad omnia primus. Ita apud Lucanum. *(a)* Cato suos exemplo fortius, quàm voce exhortabatur, Africæ deserta ingrediens.

——Primus arenas
Ingrediar, primusq; gradus in pulvere ponam:
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat serpens, fatoq; pericula vestra
Pertentate meo. Sitiat quicumque bibentem
Viderit: aut umbras nemorum quicumque sequentem
Æstuet: aut equitem peditum præcedere turmas
Deficiat: si quo fuerit discrimine notum
Dux, an miles eam.————

Sic Gedeonis filius Abimelech *(b)* patrem imitatus, ut suos ad succendendum præsidium hostile accenderet, arreptâ prior securi præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios: *Quod me vidistis facere, citò facite.* Similia de Belisario strenuo Duce, qui Justiniani Imperatoris partes contra Pseudo-Imperatorem Florianum agens, & manus jam jam cum hoste conserens: *Quod me videritis*, inquiebat, *facere*, ô commilitones, *vos quoque facite.* *(c)*

III. PRÆTER hæc, in Duce militari sint Virtutes animi internæ. *Non enim sola bellandi virtus*, inquit rectè Tullius, *(d) in summo atq; perfecto Imperatore quærenda est, sed multæ sunt partes eximiæ hujus administræ comitesq; virtutis. Quanta innocentiâ debent esse Imperatores? quanta in omnibus rebus temperantiâ? quanta fide? quanta facilitate? quanta humanitate? Quæ nisi aut omnia, aut pleraq; habeat, non ego possum Imperatorem in aliquo numero putare.* Multa ex his in Alexandro Imperatore commendat ejus Historicus, qui postquam præclara ejus decora commemorasset,

(a) *Lib. 9.* (b) *Iudicum 9.* (c) *Aimon. lib. 2. cap. 15.* *Cicero pro Lege Manilia.*

esset, subjungit: *Cùm igitur tantus ac talis Imperator domi forisq; esset, iniit Parthicam expeditionem. Quam tantâ disciplinâ, tantâ sui reverentia egit, ut non milites, sed Senatores transire dicerentur. Quacumque iter legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant. Ipsum verò ob hac tot & tanta bona provinciales, ut Deum suspiciebant. Iam verò ipsi milites juvenem Imperatorem sic amabant, ut fratrem, ut filium, ut parentem: vestiti honestè, calceati etiam ad decorem, armati nobiliter, equis etiam instructi, & ephippijs, ac frenis decentibus. prorsus, ut Romanam Rempublicam intelligeret, quicumque Alexandri vidisset exercitum. Elaborabat denique, ut dignus illo nomine videretur, dicebatq; inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum interesse debere.*

IV. Denique, inter virtutes, quæ Duci inesse debent, omnis quidem Militiæ, sed Christianæ potissimùm, non postremum locum habeat PIETAS, *ad omnia utilis*: ad bella etiam. Impius licet sit miles, pium Ducem requirit. Cujus auspicijs Dux impius militet, cùm DEVM iratum habeat? Impio ne te fortunasque tuas crede, si sapis. Brevis felicitas est impietas. Se suosque tandem perdet Dux impius.

V. Hic jam dicendum esset, quibus IGNATIVS fuerit præditus virtutibus corporis & animi: Quàm *Vegetus*, etiam cùm morbis affligeretur, ad pugnandum cum hostibus infernalibus, occasione qualibet: quàm *Alacer* ad inimicum provocandum, eliciendum, invadendum. Quomodo *Exemplo* in omni exercitatione militari suis præiverit: quómodo nihil jusserit, quod non prius ipse attentaret: potens haud minus opere, quàm sermone. Quanta in illo fuerit omnibus in rebus Continentia: quo pacto opes sponte oblatas non admiserit: neque à Professis in Societate, aut ullis ex suo corpore, vel minimam remunerationem, ob labores susceptos, admitti voluerit. Quanta *Fide*, quanta *Humanitate*, quanta *Facilitate*, quanta *Innocentia*; denique quanta *Pietate* excelluerit. Sed hæc sunt capita illius Voluminis, in quo Virtutes Ducis Nostri præclarissimi, simulque Viri Sancti exemplis illustrantur: quæ legere quilibet potest per ocium, ut à nobis vel attingantur hîc singula, & deducantur, fieri non potest.



MEMBRVM X.
AUTHORITAS DUCIS MILITARIS
Vigilantia. Solicitudo. Temperantia. Forma.
in Ignatio *suspicienda.*

I. CETERVM, non erit Dux exercitus perfectus sine AVTHORITATE, *Vehementer enim pertinet ad bella administranda, quid hostes, quid Socij de Imperatoribus existiment*, ut monet Cicero. (*a*) Est autem *Authoritas* plerumque proles Felicitatis, quod observat Politicus scriptor. (*b*) Tamen paratur etiam apud milites, qui subsunt adstricta quadam imperij formâ, ut idem animadvertit. Modum parandi & conservandi suggerit Vegetius, (*c*) cujus sunt ista: *Dux Authoritatem maximam se veritate sumat. Omnes culpas militares legibus vindicet: nulli errantium credatur ignoscere.* Siquidem faciles nimium, mitesque præter modum, vilescunt: ut prudenter dixerit Scipio. (*d*) *Ducum austeros ac rigidos, suis; at faciles ac largitores hostibus esse utiles. Facilibus illis milites delectari videntur, sed eosdem contemnunt, austeros adversari, sed ijsdem obediunt, & per omnia parent.* Immò, reverà, *nec militibus quidem isti ingrati sunt, eandem virtutem admirantibus, cui irascuntur*, inquit Tacitus. (*e*) Præsertim si temperetur interdum aliqua comitate. Nam *favorem militum, ut largitione & ambitu malè adquiras, ita is per bonas artes haud spernendus.* Ut sunt, *exercitatio corporis inter ipsos, cultus, habitusq; paullùm à privato differens.* (*f*) Item, *ut quis inops, aut saucius, vestem ac fomenta dilargiri.* Alijsque *vel ingenij dotibus, vel animi artibus, ut pariter carus ac venerandus sis, efficere.* Severus itaque sit Dux, & talis habeatur, ut Authoritatem obtineat; ita tamen, ut comitate eam reddat tolerabilem, immò, amabilem.

II. JAM ad IGNATIVM redeo, cui mirificam AVTHORITATEM dedit *Felicitas*, peperit, confirmavitque gubernandi modus comis, severitate temperatus. Nescio autem, an majorem habuerit apud suos Authoritatem, quàm apud exteros IGNATIVS: nam utrobique habuit maximam: & verba illius, tanquam oracula accipiebant. Dicebant viri magni, se non tam rationibus illius, quamvis essent validissimæ, quàm Authoritate moveri. Nec metuebant ejus severitatem domestici, quam nunquam sine paterno affectu, & dulcedine mansuetudinis exeri sciebant, sed amabant, eratque omnibus venerationi. Quantum Authoritatis apud capitalissimos humani generis hostes habuerit, & etiamnum habeat, ac quantum hi eum metuant,

IN eodem Exercitu sunt omnis generis milites. *Gregarij*, Laici. *Triarij*, Clerici. *Tirones* Catechumeni. *Veterani*, dierum antiquorum Bellatores. *Adventitij*. hæresis desertores. *Emissarij*, Acolyti. *Excubitores*, Ostiarij. *Scutati*, Lectores. *Funditores*, Exorcistæ. *Levis armaturæ*, Subdiaconi. *Gravis*, Diaconi. *Cataphracti*, Presbyteri. *Excubitores*, Monachi. *Vigiles*, Anachoretæ. *Tympanotribæ*, Exhortatores. Inter hos fuerunt, sed non sunt amplius, *Exauctorati*, ære diruti, stipendijs expuncti, desertores, Hæretici. Tandem, felicissimæ sortis sunt *Emeriti*, ac *Rudiarij*, ad Triumphantem Rempublicam per intervalla translati, relictis in campo mortalitatis ijs, qui Ecclesiam Militantem constituunt, omnes Militiæ Christianæ albo inscripti. Horum arma non carnalia, sed spiritualia ad destructionem contrariarum potestatum, sunt, *Thorax* ferreus, Divina Gratia: *Lorica*, Justitia: *Balthens*, Veritas: *Scutum*, Fides: *Cassis*, Fortitudo: *Gladius* anceps, Verbum DEI: *Hasta* præpilata, Doctrina: *Sagittæ*, Orationes: *Securis* Romana, Antiquitas: *Cestra*, seu malleus ferreus, Traditio: *Arcus*, Biblia: *Catapultæ*: Patrum Codices: *Arietes*, Consilia œcumenica: *Pyroboli*, Historiæ,

Vexilla

Vexilla, Cruces: *Tympana*, Campanæ, & organa: *Clangor*, clamor, vociferatio militaris, pœnitentium gemitus, suspiria, ejulatus. Ex quibus constat, scitè admodum Christi Ecclesiam dici ac esse *Aciem* benè ordinatam; *Turrim David*, è quâ mille pendent Clypei, & omnis armatura fortium; Omnipotentis DEI *Exercitum* in quo, post *Imperatorem*, sit *Legatus*, *Quæstor*, *Castrorum Præfectus*; tum *Decuriones*, *Tribuni*, *Magistri equitum*, & *Centuriones*. Horum autem consideranti nomen & potestatem, in mentem veniebat, optimè utrumque aptari posse ijs, qui in Militia Christiana gradum conscenderunt altiorem, quàm sit militum quorundam vulgarium. Quod dignum animadversione judico, ut quilibet in sacrâ Militiâ conetur esse, quod in profanâ tanti æstimatur, *Centurio*.

MEMBRUM V.
CENTURIO
In Militiâ Christianâ est
HOMO PERFECTUS.

CENTURIO à numero Militum, quibus præerat, nomen primitus accepit. Unde Centurionis Evangelici apud Matthæum cap. VIII. est illa gloriatio: *Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic: vade, & vadit & alio, Veni & venit: & servo meo, fac hoc & facit.* Quæ dicit, ut indicet, Christo, non esse opus, ad sanandum puerum paralyticum, venire in domum: cùm sub ejus potestate sint morbi omnes, haud secus, immò magis, quàm milites sub potestate Centurionis. Sed non omnes eodem modo exponunt, quod dicit: *Homo sum sub potestate cõstitutus* An hoc, *sub potestate*, idē est, quod, in potestate, in regimine, in magistratu militari? nimirũ, *Centurio* sum ego, imperans cẽtum militibus. Ita Auctor Operis imperfecti, qui Centurionis hoc fuisse argumentũ existimat. Si ego parvã habens potestatẽ, in paucos milites, illis ad nutum impero, & illi obediunt: quanto magis Tu, Christe, qui plenã habes omnium potestatem, morbis imperabis, & obsequentur? An potius, τὸ *sub potestate*, propriè accipiendũ est, ut ex Græco patet? Ita reor. Quẽadmodũ enim *Centurio* verè ac propriè habebat milites sibi subditos, ita & ipse erat sub potestate altioris magistratus, nempe Tribuni, vel Cæsaris. Sic sentiunt post S. Chrysostomum, (b) recentiores; qui formant argumentum à minori ad majus. Si ego, licet sub potestate Cæsaris constitutus, impero tamen ad libitum militibus mihi subditis, ac subitò obtemperant; quanto magis Tu, Christe, qui sub nullius es potestate, Dominus absolutus omniũ, & omni-

(a) ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν. *Sub potestate Tribuni.* (b) *Leontius, Jansenius, Maldonatus, Cornelius.*

& omnipotens, potens imperio tuo facere, quicquid volueris, nec opus est corporali præsentia. Jube, ut paralysis servi mei abscedat, dicto factum erit. Tui Christe, Imperator summe, veluti milites sunt, morbi, fames, pestis, quos ad nutum in reos immittis, & à pænitentibus & submissè liberationem postulantibus revocas. Ego centum sub me habeo, quia *Centurio*, Tu centies sentena millia, & ultra quàm numero exprimi possint ab homine, quia *Imperator*.

PORRO, numerus centenarius perfectionem in Sacrâ Scientia indicat, ut observavit Venerab. Beda, & ante illum Origenes. Quare Pastori Evangelico Matthæi XVIII. centum oves adsignantur. Et in parabolâ de Villico iniquitatis Lucæ XVI. ut exprimatur debitor maximus, citatur primo loco qui debebat centum cados olei, quod is numerus sit plenus ac perfectus. Eandem significationem habet in eo, qui debebat centum denarios Matthæi XVIII & dum nominantur aloës quasi libræ centum, Joannis XIX. Itaque in Militiâ Christianâ, Spiritualis is nominari potest CENTVRIO, & censeri non tantum nomine, sed etiam dignitate ac potestate, *Centurio*, denique salutari *Centurio*, qui est homo justus, gratiâ DEI prædictus, & in disciplinâ Christianâ PERFECTVS. Quales decet esse omnes, quibus dictum Matthæi V. & Lucæ VI. *Estote vos* Perfecti, *sicut & PATER vester cælestis* PERFECTVS *est*. *Vos*, à DEO electi, ut sitis ejus fideles, amici, hæredes. *Vos* à Patre æterno vocati ad partem sortis Sanctorum: Vos quibus dedit potestatem filios DEI fieri: Vos in Militiam filij DEI adscripti, Vos decet imitari *Perfectionem Patris* vestri cælestis. Estote ergo *Perfecti* in omni opere bono: estote *Perfecti* in omnibus DEI mādatis observandis: estote *Perfecti* in omni virtute: in fide, spe, caritate, mansuetudine, humilitate, patientia, castitate, temperantiâ, alijsque personæ vestræ, ac statui convenientibus. *Perfectè* honorate parentes, colite superiores, diligite inimicos, *Perfectè* omnia DEI mandata observate. *Vt sitis* Perfecti *& integri in nullo deficientes*, inquit Jacobus Apostolus. (*a*) Et S. Petrus: (*b*) *Ipsi in omni conversatione* Sancti *sitis, quoniam scriptum est*: Sancti *eritis, quoniam ego* Sanctus *sum*. Quilibet sibi dictum putet, quod audivit à DEO Abraham: (*c*) *Ambula coram me & esto perfectus*. Esto accuratus ex actus, exquisitus, in opere, verbo, cogitatu, in quolibet officio, munere opere, quod facis, quæcumque facis, exequeris, moliris, ad amussim rationis, & legis perfectæ. Sequaris monitum Ecclesiastici, (*d*) &, *In omnibus operibus tuis præcellens esto*. Atque ita eris in Militiâ Christianâ CENTVRIO.

HOC fortasse significare voluit S. Teresia, multorum istiusmodi Centuriorum fæcunda Mater, quæ dicere erat solita, DEVM eos præ ceteris maximè amare, qui sunt *Perfecti*, atque eos facere, quasi CAPITANEOS,

Fff

(a) *Jacobi 1.* (b) *1.Petri 1.* (c) *Genes. XVII.* (d) *cap. 33.*

NEOS, & *Duces* ceterorum, ut multos sibi similes faciant & perficiant. Unde Ipsa votum fecit, se in quolibet opere facturam id, quod foret *Perfectius*, &, *Ad majorem DEI gloriam.* Quomodo distinguatur *Capitaneus* (novitium vocabulum) à *Centurione* (antiquo & Latino) inquiunt Grammatici. Qui in eo conveniunt; omnem Centurionem esse Capitaneum, quamvis non omnis *Capitaneus* sit *Centurio*. Est enim *Capitaneus* nomen genericum, sub se habens, & *Chiliarcham*, mille militum capitis, & *Centurionem*, bellatorum centum. Atque huic, ob numeri perfectionem, dicimus quod sit similis, HOMO PERFECTUS: tum *Perfectione* illâ, quæ est *Præcepti*; præcipitur enim, & est necessarium, ut fidelis quilibet in Christianismo, & in suo statu ac gradu mandata DEI observet exactè; tum *Perfectione* eâ, quæ est *Consilij*, quatenus se extendit ad observationem, non solùm præceptorum, sed consiliorum quoque Evangeliorum: scilicet, paupertatis voluntariæ, castitatis, & obedientiæ electiolæ. De quâ Christus Dominus, Matthæi XIX. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.*

PRÆCLARE Chrysostomus disputans contra vituperatores vitæ monasticæ, demonstrat, libro III. Præcepta Christi Legislatoris nostri, tam in seculo viventes, quam in Religione Monachos obligare: ac proinde quemlibet, sive inter illos, sive ex his, debere Perfectioni studere, prout cuiuslibet conditioni ac gradui est consentaneum. Sine ulla exceptione dictum est à DEO Israëli, quanta magis Christiano? *Perfectus eris, & absque macula cum Domino DEO tuo*, Deuter. XVIII. Generatim etiam S. Paulus omnibus intonat: II. ad Corinth. XIII. *De cetero, fratres gaudete, perfecti estote.* Idem profitetur Colossensibus scribens, cap. I. se annunciare, & corripere omnem hominem, & docere omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeat *omnem hominem* Perfectum *in Christo IESV*. Idem & nos conamur, nec desistemus, vita comite, donec pro modulo nostro perficiamus. Illustre est encomium Noë, ad quod omnes aspirare deberent. Noë *placuit DEO. Noë invenit gratiam coram Domino: Noë vir justus atque* Perfectus *in generationibus suis, cum DEO ambulavit. Noë fecit omnia, quæ præceperat ei DEVS* Genesis VI. Non posset exactius describi

CENTVRIO CHRISTIANVS, Vir justus, PERFECTVS, gratia coram Domino præditus, omnium præceptorum DEI observator accuratissimus.



Mi-

MEMBRVM VI.

CENTVRIONES

In Novo Testamento celebres à Perfectione virtutum.

DVORVM Centurionum fit clarissima mentio in Evangelio, & unius alterius in historia Actuum Apostolicorum, in quo ternione animadvertere licet commendari exaggerata quadam ratione, ea, quæ ad *Hominem* in virtutum studio, & exercitatione *Perfectum* requiruntur.

(?)

ARTICVLVS I.

CENTURIO CAPHARNAITA.

PRIMVS Centurio dicatur Capharnaita, *quia, cum Christus introisset Capharnaum accessit ad eum, ut est apud Matthæum. cap.* VIII. *& Lucam cap.* VII *Hic imprimis commendatur ab* HVMILITATE, *quæ fundamentum est Perfectionis Christianæ, & remotio est impedimentum fidei, quod est superbia. Apparet ejus Humilitas insigniter in omni cum Christo alloquio. Et primo quidem cum magna demissionis significatione protulit ista* : Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites. *Siquidem, ut perpendit S. Bernardus, epistola* XLII. Dicturus, *habens sub me milites*, præmisit : *Homo sum sub potestate.* Iam quicquid subinferat, suspectam non habemus jactantiam. Præmissa siquidem est *humilitas*, ne altitudo præcipitet. Nec enim locum invenit arrogantia, ubi tam clarum humilitatis insigne præcessit. Quia non confusus est de subjectione, jure ex prælatione meruit honorari. Non erubuit supra se potestatem, & ideò dignus, qui haberet sub se Milites. Dedit prius honorem Præpositis, ut jam à subditis justè reciperet. *Premit ferat autem Bernardus, per contrarium* : Dedignatio subjectionis, Prælatione reddit indignum. Videant subditi, quod redhibeant. Deinde, *quanta humilitatis fuit illa exclamatio* : Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum? *quæ per universum orbem personant quotidie voces Catholicæ, quia non reperit in divinis publicis Ecclesia formulam magis accommodatam ad humillimæ submissionis contestationem.*

POST *Humilitatem tantam, eminebat in eodem, quamvis Gentili, eximia illa & ab ipso Christo depredicata* FIDES : Non inveni tantam fidem in Israël. *Ergo erat major, quam in Apostolis? ita sentit S. Chrysostomus, qui præfert fidem Centurionis fidei Apostolorum, quam vocationis suæ initio habuerunt. Nam*, credidit *Andreas, inquit*, sed Ioanne dicente : *Ecce Agnus* DEI. Credidit *Petrus* ; sed Evangelizante

sibi Andrea. Credidit *Philippus*, sed legendo Scripturis [illegible] signum Divinitatis accepit, & sic fidei confessionem obtulit. [illegible] *cessit in Centurione. Cujus Fidem putavit Origenes superasse* [illegible] *Magdalenæ, ut aliorum quorundam in Evangelio nominatorum.* Q[illegible] *codemus.* [illegible] *en. n* Israelis principes [illegible] non dixit: [illegible] *erbo: sed,* [illegible] *iter.* [illegible] to audiens, ait: *Quomodo hoc potest fieri?* [illegible] *ses hic frater meus* [illegible] quasi [illegible] esse DEI potentia. [illegible] *ita* Centurio, *fide credens* [illegible] *que* [illegible] *ente, & potenter, imperat, & operatur* [illegible] *illum Prophetam, DEO carissimum,* [illegible] *nomine DEI in Iudaa rebus omnibus* [illegible] *et* [illegible] *, de quo* [illegible] *argebant: Psalmo* XXXII. Ipse dixit & facta sunt: [illegible] davit & creata sunt. *Vnde dicebat.* Dic verbo, & sanabitur. [illegible] *ut* [illegible] *edas, inspicias, tangas* [illegible] *fa*[illegible]*tes* [illegible]*, quos nullus* [illegible] sanè Fides. *Sed cave, putes, fuisse majorem fide* DEIPARAE, [illegible] *Abrahami, Mosis, & quorundum aliorum excellenter fidelium. At,* [illegible] *stus*: Non inveni tantam fidem in Israel. *Quod Arabicus legit,* [illegible] *In Græco est*: nec in Israel, tantam fidem inveni. *Intellige, in* [illegible] *tempore meæ prædicationis. Vel, ut exponit S. Chrysostomus,* [illegible] *ac fideles,* Centurio Ethnicus, *in hoc admiranda magis, & q*[illegible] *ferri poterat.*

IN eodem excellens erat AMOR DEI *ac* proximi. *Nam* [illegible] *cunt Seniores Iudæi*: Diligit gentem nostram: & Synagogam [illegible] *Quo etiam indicatur ejus* Misericordia; Liberalitas, Magnificentia, *&* [illegible] *amne*[illegible], Benignitas, Affabilitas, Beneficentia, Vrbanitas, *a*[illegible] *tu*[illegible]*o o*[illegible]*ium fuit* Humilitas, *&* Fides, *quas duas maxime e*[illegible] Hieronymus *perpendit* FIDEM, *in eo, quod credidit ex G*[illegible] *Salvatore posse sanari.* HVMILITATEM, *quod se judicavit* [illegible] *tectum Dominus intraret.* PRVDENTIAM, *quod intra corporis t*[illegible] *tem latentem videret: sciens, non sibi id profuturum, quod etiam a*[illegible] *debatur, sed id, quod latebat intrinsecus.* D. Augustinus *notat co*[illegible] *ex fide ortam.* Si ego homo sub potestate. jubendi habeo pote[illegible] non possis, cui omnes serviunt potestates? *Origenes ext*[illegible] *quod Christus illam sit miratus.* Attende, quantum sit, aut quale, [illegible] nigenitus miratur. Aurum, divitiæ, regnum, principatus, [illegible] jus, tanquam umbra, vel flos decidens. Nihil ergo horum [illegible] conspectu [illegible] rabile est quasi magnum, vel preciosum, sed tantùm Fides. Hanc [illegible] ificans, hanc acceptabilem sibi æstimat. S. Augustinus *libro* [illegible] *Manich. cap.* VIII. *ex eo, quod non tam Christo, quam nobis a*[illegible]. Quod enim miratur Dominus, nobis mirandum esse significat, [illegible] pos est sic moveri. Omnes enim tales motus ejus no[illegible] per[illegible] [illegible] docentis magisterium. *Nimirum cum quid m*[illegible] *tur Christus, gestum exteriorem admirationis formabat, ut* [illegible] *ceret, ut docent DD. Theologi, cum S. Thoma. 3. par. quæst.* [illegible] *meritò commendetur à tot virtutum* Perfectione Centurio Cap[illegible]

[illegible]

ARTICVLVS II.
CENTURIO JEROSOLYMITANUS.

SECVNDVS *sic cognominetur, quia Ierosolymus præerat Militibus, & in monte Calvariæ Crucifixionem [illegible] custodiebat. De hoc ita Matthæus cap. XXVII.* CENTVRIO, & qui cum eo erant, custodientes IESVM, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius DEI erat iste. *De isto Centurione Lucas: capite XXIII.* Videns *Centurio* quod factum fuerat: glorificavit DEVM, dicens: verè, hic homo justus erat. *Et Marcus cap. XV.* Videns *Centurio*, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: verè hic homo Filius DEI erat. *Multa sunt in hoc* Centurione, *quæ insignem quandam perfectionem, quâ excelluerit, declarant.* Fides *imprimis, ejusdemque Confessio illustris. Ejus* Fidem *D. Bernardus vocat* Oculatam, *quasi ad evidentem pene scientiam pervenerit: profectò, tam certo assentiebatur, & tam tenaciter adhærebat, ac si oculis vidisset, quod credebat.* Vide, *inquit ille, ser. 2. de Epiphan.* quàm *Oculata sit Fides.* Cognoscit DEI Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem. Siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt. *Centurio* vero agnovit vitam in morte: Latro Regem, *Centurio DEI* Filium simul & hominem pronunciat. *Quo oculis nunquam penetraret, ut in tenebris lucem, in [illegible]minum, in morte vitam cerneret, eo fides Oculata* Centurionis *pervenit. Quare Venerab. Beda eam* Fidem *designasse fidem Ecclesiæ audacter adfirmat, & superasse fidem Iudæorum in Christum credentium*: Gentiles, *ait*, *DEVM* timentes apertæ confessionis voce glorificant: Iudæi percutientes solùm pectora silentes domum redeunt. Vnde meritò per *Centurionem*, fides Ecclesiæ designatur, quæ DEI Filium, tacente Synagoga, confirmat.

[illegible] *autem* corde creditur ad justitiam, *ita* ore confessio fit ad salutem *ad Rom. X. Vtrumque conjunxit* Centurio. *Credidit & confessus est. Credidit Crucifixum, Commorientem esse* DEI *Filium, non tantùm spiritualem, hoc est, valde justum sanctum, DEOque gratum, ut alicubi docet Augustinus,* (a) *sed naturalem. Nam cum videret solem obscurari, petras findi, monumenta aperiri, & quod clamans expirasset, credidit, DEO mentem inspirante, ac voluntatem permovente, IESVM esse [illegible] hominem, esseque vere DEVM, vitæ ac mortis Dominum, esse Regem & Messiam Iudæis promissum. Et hoc ipsum palam est confessus. Vnde Confessionem ejus Patres magnificè prædicant. S. Hieronymus in Matthæum* : Considerandum, quod *Centurio* in ipso scandalo Passionis verè DEI Filium confiteatur: & Arius in Ecclesia prædicat creaturam. Sic novissimi nunc primi efficiuntur. Gentilis confitetur, populus Iudæa excæcata negat: ut fiat ultimus error pejor priore. *Theophylactus et confessionem hanc, Centurionem Discipulis anteponit*: Dum Iudæi, *inquit*, occidunt, Discipuli fugiunt, Gentilis confitetur. Sic ordo convertitur. *[illegible]* Centurionem, *a Crucifixo, ut a Magnete attractum describit, ut Christo arctissimè conjungeretur.* Effectum, *ait*, fortiri nunc videtur, quod Dominus dixerat;

(a) *S. Aug. lib. 3. de Consens. Evang.*

Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. [illegible] in Cruce, attraxit Latronem, [illegible].

QVEM quidem Cæsar Baronius, ac cum [illegible] plerique Scriptores [illegible], opinantur fuisse LONGINVM, [illegible] etiam Christi in sepulchro [illegible] [illegible] & cum exstet [illegible] Christi [illegible] Homil. [illegible] [illegible] e tumulo [illegible] exstit [illegible] [illegible] ac prædicasse. [illegible] vero [illegible] relicta Militia pro ana [illegible] devisse Sacra [illegible] in Cappadociam, [illegible] DEO, [illegible] Christo, [illegible] datum, occubuisse Martyrem. Quæ [illegible] antiquis etiam [illegible] [illegible] piaio, & videtur existimasse S. Chrysostomus, qui [illegible] [illegible] dicit, Centurionem hunc postea in fide roboratum adeo fuisse, ut [illegible] Martyrio sit coronatus. En Centurionem, Homo [illegible] in Pe [illegible] one [illegible] Christianorum consummati exemplar. De cujus patria ac familia [illegible] ra, accipe, quæ scripsit Lucius Dexter in [illegible] Chronico, a. [illegible] XXXIV. meis verbis, ejus sententia. Centurio [illegible] Ca[illegible] [illegible] nelius Centurio Hispanus, cujus filius fuit C. Oppius [illegible] C[illegible] perius non [illegible] itus Ierosolymitanus a commoratione, testis Christi [illegible] Resurgentis: uterque conversus ad Christum, in Iudæa & [illegible] fidem promulgavit. Posterior fuit Civis Romanus, & baptizatu [illegible] naba, factus est tertius Mediolanensis Episcopus, vir Apostolicus, [illegible] [illegible] & eclipsin [illegible] admirabilem, primus omnium Hispanus [illegible] [illegible] stupere [illegible].

ARTICVLVS III.

CENTURIO ITALICUS

TERTIVS ita appellatur à natione [illegible] haud [illegible] Perfectione diversarum virtutum. De quo [illegible] in Actibus Apostolicis cap. X. Vir quidam erat in [illegible] ea, [illegible] Cornelius, Centurio Cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus ac timens DEVM, cum omni domo suâ: faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans DEVM semper. Nempe, quantum [illegible] [illegible] certè, tam frequenter & [illegible] ut dici posset, [illegible] sine intermissione orare. Potest ne amplius [illegible] ad M[illegible] [illegible] e-[illegible] perfectionem requiri? [illegible] Virtutes, [illegible] velut capita [illegible] omnium, ponit Sacer [illegible]. Primo [illegible] Fuit Vir religiosus erga DEVM. Si religiosus, [illegible] fidelis, [illegible] DEO, gratus. Ita reor. Nam [illegible] plerumque [illegible], sine [illegible], à [illegible] dicimur justi, [illegible] [illegible] nemo gratus. Sed unde [illegible] Centurio [illegible] [illegible] Cæsarea degentibus, & [illegible] gratia [illegible], [illegible]

[illegible]

DEVM, *quem mortales offenderint, unum fore Mediatorem, per quem reconciliaretur. Ab iis igitur discere potuit fidem explicitam unius* DEI *& habere implicitam Christi Mediatoris, non quidem viribus naturæ humanæ, sed* [illegible] *gratia divina. Ita ante Christi D. adventum, non solum Gentiles, ut* [illegible]*, atque illi nobis incogniti converterunt verum* DEVM, *&* [illegible] *legem naturæ,* [illegible]*, DEO auxiliante, fuerunt justificati.* [illegible] CENTVRIO CORNELIVS, *Vir, ante Petri* [illegible]*, religiosus. Religioni annexa est altera virtus,*

[illegible] DEI. *Timor DEI initium est Sapientiæ, & efficacissimum Perfectionis medium: nam,* Qui timet DEVM nihil negligit, *Ecclesiastæ* VII. *itemque,* benedictus homo qui timet Dominum. *Psalmo* CXXVI. *Timorem DEI qui habet, in radice Perfectionem possidet, & virtutum cumulum. Hujus enim fructus sunt, odium mali, Proverbiorum* VIII. *expulsio peccati, Ecclesiastici* I. *studium placendi DEO, Ecclesiastici secundo. Caussa observationis mandatorum DEI, & bonorum operum, Ecclesiastici* XV. *Radix constantiæ in tentationibus, Proverbiorum* I. *Praeterea*, nihil melius est, quam Timor DEI; & nihil dulcius, quam respicere in mandata Domini. *Ecclesiastici* XXIII. *Quod expertus est Centurio Cornelius, Miles religiosus, & timens* DEVM. *Cujus tertia virtus* [illegible] MISERICORDIA, *ex qua proveniebant eleemosynæ. Bene sperandum est de homine misericorde.* Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Christi effatum est, aut promissum, Matthæi* V. *Qui misericors est erga proximum, misericordem erga se experietur* DEVM. Esto calamitoso DEVS, ut vicissim DEVS in tua calamitate sit tibi DEVS, *inquiebat Nazianzenus Orat. de cura pauperum.* Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu DEI, *dicebat Angelus Centurioni, indicans Cornelium, misericordiæ officiis meruisse visitari ab Angelo, & ad* [illegible] *perfectionem perduci. Ad quod plurimum contulit, quarta virtus, vel virtutis Religionis actus,* ORATIO frequentata. *Oratio est hominis justi* [illegible]*, Militis Spiritualis armatura, Viri Perfecti* [illegible]*, & ad quodlibet opus bonum instrumentum maximè idoneum.*

HIS *itaque tum virtutibus, tum virtutum officiis inclytum Centurionem,* [illegible] *ut Militis Christiani, seu magis universe, ut* Hominis *in religione Christiana* Perfecti *effigiem induximus, quam si exprimere in se conarentur, qui Militiæ Christianæ sunt adscripti, nihil in iis ad summum decus magnopere expeti posset. Certè, S. Hieronymus Epistola* IX. *ad Salvinam. ut ostenderet, Nebridium, Imperatorum nepotem, natum ex sorore Augustæ, nobilissimæ Salvinæ Romanæ maritum defunctum,* Perfectum *fuisse in eo virtutum genere, quæ Viro Nobili, Militari, Duci, ac Principi conveniunt, & fuisse ornamento, comparat illum cum Centurione Cornelio, hujus dotes applicans Nebridio.*

QVICQVID, *ait,* de illo (*Centurione Cornelio*) dicitur, hoc totum [illegible], *in Nebridio* meo vindico. Sic Religiosus fuit, & amavit pudicitiæ, ut virgo fortiretur uxorem. Sic timet DEVM cum [illegible] [illegible] sua, ut oblitus dignitatis, omne consortium cum Monachis haberet,

habe[illegible]et, & Cleric[illegible]s: tantasque eleemosynas faceret [illegible]pulis, ut [illegible] pauperum ac debilium [illegible] examina. Certe sic semper o[illegible], quod optimum esset, evenire. *Raptus est, ne malitia mutaret [illegible], [illegible] placita erat [illegible] DEO.* N[illegible] nocuit *Nebridio* [illegible] balcheus, & [illegible]rum caterva, quia sub habitu [illegible]. [illegible]gimus & in [illegible] alio *Centurione* Domini [illegible] *tam fidem inveni.* Ioseph post Pharaonem re[illegible] fuit, ut [illegible] patriarchas dua[illegible]um tribuum [illegible]. [illegible] sic [illegible] Babylonia opibus ut [illegible] N[illegible]donosor, [illegible] servi[illegible]. Mardochæus & Esther inter purpuram, [illegible] & gemmas, [illegible] blam [illegible] vicerunt: tantique fuere meriti, ut capti [illegible]rent. [illegible] est. *Nebridius* nutritus in palatio, commune[illegible] & [illegible] pulus Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis, & terra [illegible], [illegible] omnium abundantiam, in primo ætatis flore [illegible], ut virginalem pudorem vinceret & ne levem quidem [illegible] bulam daret. Deinde Purpuratorum propinquus, socius, [illegible] cum ambobus studijs eruditus, non est inflatus superbia; [illegible] ipsos Principes [illegible], ut fratres, venerabatur ut dominos. [illegible] [illegible] sic sui caritate sociaret, ut qui merito inferiores erant [illegible] arbitrarentur. *Sunt [illegible] lineamenta*] Militis, Aulici, Principis [illegible] d[illegible] D. Hieronymus a *Centurione* in *Nebridium*, [illegible] [illegible] *[illegible] fuisse Centurionem Cornelium* [illegible], [illegible] [illegible] & *[illegible]rum.*

ARTICVLVS IV.

S. GORDIVS

CENTURIO CAPPADOX


HIS adnumerandus GORDIVS, *celeberrimus* CENTVRIO [illegible] *[illegible]. de quo Martyrologium Romanum ad III. Ianuarij: Cæsareæ* Cappadociæ S. Gordii Centurionis. *Et Menologium Græcorum* [illegible] [illegible] Martyris GORDII ex Cæsarea Cappadociæ: qui cum [illegible] esset Comes & militarem ordinem gereret, propter Christi [illegible] nem, nobile Martyrium perpessus est. *Eundem celebrant Menæa* [illegible] *ge*. Hic Cappadox fuit, Cæsareæ natus, Licinio [illegible]tante, Comes [illegible], centum militibus præfectus. Cum vero impio[illegible] idololatra[illegible] & impias voces in Christum spargi sol[illegible], nec videre p[illegible], [illegible] [illegible], & inter feras vitam in montibus egit. Sed [illegible] ardore [illegible] [illegible] Paganorum errores animi robore armatus, [illegible], [illegible] [illegible] quæreret. & invaderet [illegible] Christum publice DEVM proclamavit, versoque toto in [illegible] [illegible] Præside, ob libertatem in stuporem dato, adeoque in [illegible], ferro occubuit.

HOC est breviarium insignis illius Orationis, quam in laudem GORDII *Centurionis habuit S. Basilius, qui in hunc modum narrationem suam encomiasticam ordiatur.* Fuit hic Martyr beatissimus civis noster Cæsareensis: ex quo non mirum, si nostræ mentis affectus ad eum potissimùm dirigitur: quod profectò ad verum ac domesticum nobis facit ornamentum. *Militiam exercuit, in quâ locum admodum insignem tenuit, ita, ut centum milites ejus imperio parerent: quodq; animi virtute, & corporis viribus praecelleret, cunctis inter ordines militibus præstantior habebatur. Ea autem tempestate, cum tyrannus impius, qui tunc imperitabat* (Galerius Maximianus) *in Christianum nomen virus suæ feritatis effunderet, manumq; DEO inimicam adversus Ecclesiam exerceret, & per compita tyrannicum promulgaretur edictum, ne quis Christum adoraret: qui verò contra jussa faceret, morte plecteretur; Idola proponebantur adoranda omnibus: Sacerdotum collegia fugabantur: Sacer omnis conventus cladem insolitam expavescebat: Dæmones verò triumphabant; Generosus* Centurio Gordius *judiciorum necessitatem antevertens abjecto militiæ cingulo sponte sibi exilium delegit. Itaque relictis honoribus, relictis omnis generis facultatibus, servis, propinquis, amicis, voluptatibus, & rebus alys, quas ceteri maximè appetere, ac magno studio parare solent: ad vasta deserta, & hominibus invia loca contendit; vitam inter feras actam mansuetiorem societate ac convictu idololatrarum existimans. Ibi DEUM ipsum contemplando videre meruit, tum magna disc ere mysteria, quæ non ab hominibus: nec per homines fuit edoctus, sed magno usus Præceptore, Spiritu veritatis.*

QUAMOBREM *secum meditans, quàm sit fallax & inanis vita humana in supernæ vocationis amorem exarsit, ac veluti fortis athleta, sese jejuniis, vigiliis, orationibus, & indesinenti divinorum oraculorum meditatione probè exercitatum, & ad certamen instructum animadvertens; observavit diem, in quo frequens civitas visendo equestri spectaculo erat intenta, quod tunc in Martis, seu potius furentis bellorum Dæmonis honorem celebrabatur. Populus omnis ex edito spectabat. Tunc magnanimus ac fortis Heros Gordius per montis clivum in theatrum properat: unde veniat, quis sit, quam religionem profiteatur, quomodo idololatriam omnem abominetur manifestat, contra fictitios Deos Deasq; declamat: Unum DEUM credendum, confitendum, colendum docet. Fit tumultus. Rapitur Gordius, sistitur Præsidi, jubetur torqueri, tormenta ridet: perniciosis amicorum consiliis, ut dissimulet aliquantulum fidem, impugnatur. Quid ille? Corde creditur ad justitiam: ore verò confitemur ad salutem.*

NUM *militaris ordo desperatam habet salutem? Nullus ne* CENTURIO PIUS? *Recordor primi* Centurionis, *qui Cruci Salvatoris adsistens, ejus Divinitatem per prodigia facta cognoscens, non est veritus adhuc Iudæis furentibus in cæde, nomen ejus palam fateri. Quod enim animo sensit, id ore subitò manifestavit:* Verè DEI Filius erat iste. *Alium item* Centurio, *Christum adhuc in carne existentem, DEUM, & Regem Virtutum esse novit, qui posset solo verbo opem suam, per ministros Spiritus egentibus adferre: Cujus & fidem Dominus universo Israëli prætulit.* Adhæc, Cornelius Centurio *Angelum Domini videre, & per Petrum salvus fieri meruit, cujus Dominus preces simul & eleemosynas respexit. Horum igitur Centurionum libenter discipulus, & imitator esse cupio. Negem ergo DEUM meum, tu cujus*

in cujus cultu sum educatus? N[illegible] h[illegible] referret cælum [illegible]ne? unde obtene[illegible]scerent propter me Sidera? An-[illegible] me tellus ullatenus sustineret? Hæc & ejus generis plura ubi dixit Christi Miles, CRUCIS se SIGNO communivit, & animi magnâ constantiâ, vultu intrepido, colore nusquam mutato, ad supplicium hilaris contendit. Ubi tantam cordis præ se ferebat alacritatem, ut non lictorum, sed Angelorum manibus se committere videretur. Qui subito post interitum velut olim Lazarum sublimem in cælum generosissimum Centurionem detulerunt.



ARTICULUS V.

S. ACATHIUS

CENTURIO CAPPADOX.


DE *quo Martyrologium Romanum* VIII. *Maij.* Constantinopoli S. ACATHII CENTURIONIS, qui in persequutione Diocletiani & Maximiani à Firmo Tribuno delatus, quod Christianus esset, & à Bibiano judice Perinthi sævissimè tortus, Bizantij demum à Flaviano proconsule capitis damnatus est. Cujus corpus ad Scillacium littus divinitus posteà delatum, ibi honorificè asservatur. *Descripsit ejus Acta Metaphrastes, quæ Latinè à se translata refert Lipomanus tomo* VIII. *& Surius tomo* III. *Sed longiora sunt, quàm ut hic inseri debeant. Breviter.*

CUM Maximianus Diocletiani gener in Christianum nomen Satanica rabie deseviret, ACATHIUS *genere Cappadox, & conditione Miles, proposito verò, & voluntate Christi athleta, egregia fortitudine, & genus suum, & ordinis dignitatem exornavit. Cùm enim sub Firmo, militaris ordinis Tribuno* CENTURIONIS *officio fungeretur, & Tribunus omnium Militum animos, partim assentationibus, partim minis, ad idolorum cultum, ac superstitionem nefariam alliceret,* ACATHIUS *Christi amore acriter inflammatus, in medium prosiliens, constanter ac viriliter se Christianum esse confessus est, paratum etiam pro ipsius nomine, quoslibet cruciatus subire. Firmus eam Centurionis alacritatem ac constantiam admiratus, primo quidem ingentibus promissis, mox terribilibus minis eximiam Viri fortitudinem debilitare conatus est. Sed cùm ille immobilis in Christi confessione perseveraret, Tribunus edicto Imperatorio coactus generosum Militem vinculis adstrictum ad Bibianum misit, qui totius exercitus imperium cum potestate summa administrabat. Is tentavit omnia, ut Centurionem suum à Christo averteret, & converteret ad idola. Cum blanditijs nihil posset, tormenta genus omne adhibuit. Crudelem in modum cæsus Martyr, Christi opem inter tormenta invocavit: eo factus robustior, victor insultavit Iudici: qui plumbeis laminis maxillas ejus contundi mandavit: tum dentes confringi: adhuc, quernis virgis à decem robustissimis satellitibus verberari. Sed nihil his, & horum similibus effectum. Fatigati sunt carnifices, perstitit in confessione fidei Christianæ gloriosus* CENTURIO ACATHIUS *qui tandem cervices libenter dedit, ut ad augendā Christi gloriā capite minueretur. Atq; ita Deo, pro tātis beneficijs, quibus se indignū profitebatur, sine fine gratias agēs, gladio percussis, ad superos evolavit.*

NON est prætermittendum hoc loco, quod scribit Nicephorus, historiæ lib. XIII. *cap.* 38. *temporibus Arcadij Imperatoris fuisse adhuc superstitem Constantinopoli Arborem illam nucis, in qua* ACATHIUS Centurio, *Dei Martyr appensus, tormentis fuerat excruciatus; quam castaneam fuisse habet Secrates lib.* VI. *c.* 21. *Vt ut sit, digna est*

Arbor

Arbor illa, quæ ex memoria Militũ Christianorum nunquam evelletur. O felix Arbor tanti Martyris irrigata sanguine! longe beatior Ficu Romulea, Athenarum Olea, Deli Palma. Quercui Marianæ, si usquam hodieq; superest, virtutem etiamnũ inesse reor, ad beneficia sanitatum præstanda, & Cacodæmonem cruciandum, aut repellendum. Deniq; meminit Nicephorus, loco indicato, de Ecclesia erecta Constantinopoli, in honorem S. ACATHII *Centurionis Martyris, quam vetustate labefactatam, à Iustiniano Imperatore restauratam esse scribit Procopius libro 1. de AEdificijs Iustiniani. Quam ipsam rursus a Basilio Imperatore restitutam refert Georgius Cedrenus in Compendio historiæ agens de Basilio.*



ARTICVLVS VI.


S. MARCELLVS
CENTURIO IBERUS.

HVIVS *generosissimi* Centurionis *Acta publica à Notarijs fideliter excepta etiamnum supersunt, quæ descripsit Surius* XXX. *Octobris, quorum hoc est compendium à Cornelio Grafio concinnatum. In civitate Tingitana cùm advenient Natali Imperatoris, solennibus de more epulis vacarent populus ac Milites, & omnia immodicâ lætitiâ perstreperent,* MARCELLVS *è* CENTVRIONIBVS *unus, pietate egregiè imbutus, profana refutans convivia, hujusmodi Confessionem clara voce, coram ipsis Legionis Signis edidit, rejecto prius cingulo militari: IESV CHRISTO Regi æterno ego Milito: amodò Imperatoribus vestris Militare recuso: sed & Deos vestros ligneos lapideosq; adorare contemno. Milites eâ confessione stupefacti, confestim, injectis ei vinculis in carcerem abduxerunt, & rem quæ contigerat Præsidi nunciaverunt. Is erat Fortunatus, qui epulis finitis, eum ad se adduci præcepit. Introducto, quid, inquit, tibi visum est, ut contra Militarem disciplinam, te discingeres, ut baltheum, Vitemq;, Centurionis gestamen abjiceres? Respondit* Marcellus Centurio: *Iam die duodecimo Kalendarum Augustarum publicè me Christianum esse, clara voce testatus sum: atque idcircò deinceps Militare me non posse, nisi IESV CHRISTO Filio Patris Omnipotentis. Fortunatus Præses, Tuam, inquit, temeritatem istam dissimulare nequeo, ideoq; ad Dominum meum Aurelianum Agricolaum transmittetis. Igitur die tertia Kalendarum Novembrium, Agricolao Præfecto Prætorij oblatus est, & ex officio recitatum: Miles hic rejecto cingulo militari, Christianum se esse testatus coram omni populo in Deos & Cæsarem multa blasphema loquutus est. Tunc Agricolaus: Quo furore, inquit, tu Sacramenta projeceris, & talia loqui ausus es? Respondit* Marcellus Centurio: *Furor nullus est in eũ, qui timet Dominum. Agricolaus dixit: singula hæc loquutus es, quæ Actis præsidialibus continentur? Marcellus Centurio respondit: loquutus sum. Et Agricolaus: Projecisti arma? Projeci inquit* Centurio Marcellus: *non enim oportet Christianum hominem molestijs militare secularibus, qui Christo militat. Respiciebat fortasse bonus Centurio ad illud Pauli Apostoli* III. *ad Timoth.* II. Nemo militans Deo implicat se negocijs secularibus. *Tunc Agricolaus mortis eum reum esse dictavit, quod abjecto publicè Sacramento, & insuper apud Acta Præsidis verba furoris plena deposuisset. His dictis gloriosus Athleta Christi, verè Centurio Christianus capite*

casus occubuit. Cujus certamen & Corona praeclarè canuntur hymno sacro in Breviario Toletano:

MARCELLVS *fuit pater* XII. *filiorum, qui omnes pari triumpho dignati, parem patri assequuti sunt Coronam martyrij. De quibus omnibus in Breviario Eborensi agitur, & in Chronn. Hispaniae Vasai, qui Marcellum passum scribit, Fausto iterum & Gallo Conss. qui annus est à Christo* 298. *Celebratur idem in flor. SS. Hispan. ubi de Martyrijs* XII. *filiorum plura referuntur. Martyrologium Romanum tres nominibus proprijs ita exprimit* XXX. *Octob.* Legione in Hispania SS. Martyrum, *Claudij, Luperci, & Victorij* filiorum *S. Marcelli Centurionis*, qui in persequutione Diocletiani, & Maximiani, sub Digniano Praeside jussi sunt decollari. *Omnium nomina habet Vasaeus in Chron. anno* 306. *& Thesaur. Concion. tomo* 2.

DE MARCELLO *brevius Martyrologium Romanum* XXX. *Octob.* Tingi in Mauritiana passio *S. Marcelli Centurionis* qui capitis abscissione martyrium complevit sub Agricolao agente vices Praefecti Praetorio. *De eodem Beda, Vsuardus aliiq; Martyrologiorum Concinnatores. Vasaeus in Chron. Hispan. Flor. Sanctor. Hispan. Baronius Notis Martyrol. & tomo secundo Annal. Eccles. Anno Christi* 298. *Marcellini Papae* 3. *Dioclet. & Maxim.* 15.



ARTICVLVS VII.
CENTVRIONES VARII Sanctorum Catalogo adscripti.

S. AZAS. *Martyrologium Romanum Novembris* XIX. In Isauria passio *Sanctorum, AZAE, &* Sociorum centum quinquaginta Militum, sub Diocletiano Imperatore, & Aquilino Tribuno. *Suspicor non vanè, fuisse* Centurionem *eum, ut caput nominetur centum illorum, qui cum illo pati haud detrectarunt. Agunt de ijs etiam Graeci in Menologio, pluribusq; eorum Martyrij Acta referunt.*

S. MEMNON. *De quo Graeci in Menologio, Latini in Martyrologio* XX. *Augusti:* Sanctorum Martyrum, Severi, & MEMNONIS CENTVRIONIS, qui eodem mortis genere consummati, victores abierunt in caelum. *Mortis genus praecesserat immediatè:* In Thracia Sanctorum triginta septem Martyrum, qui sub Praeside Appelliano, pro Christi fide, manibus pedibusque praecisis, in caminum ardentem conjecti sunt.

S. AMBROSIVS. *Martyrologium Romanum* XVI. *Augusti.* Ferentini in Hernicis S. AMBROSII CENTVRIONIS, qui in persequutione Diocletiani varijs modis cruciatus, novissimè, per ignem illaesus transiens, demersus in aquam, eductus est in refrigerium. *Hujus Acta MS. ab Ecclesiâ Ferentinate se accepisse testatur Baronius in Notis.*

SS. CENTVRIONES, *Exercitus Sanctorum decem millium Militum, in monte Ararath Crucifixorum. Meritò superioribus attexendi essent nominatim illi, qui ob fidem in* CHRISTVM CRVCIFIXVM *constantiam spinis redimitti, actiq; in Crucem,*

Crucem, per ingens montu Ararathi spacium pependere, Cruce magis, quàm nodosa Vite illustres Centuriones, qui tot fuerunt, quot centeni in decem millibus. Sed quoniam eorum nomina in cœlo scripta mortales latent, vocentur à nobis CENTVRIONES ACHATIANI: *cùm in eo exercitu fuerit* ACHATIVS *Primicerius*, Hesiades *Dux*, Garcerius, *Campiductor*, Pharecritus *Capitaneus*, Speusippus *Comes*, Theodorus *Magister Militia*, Draconarius *Miles*, *Marcus & Alexander similiter Milites, ut nominantur in meo Codice. In horum autem consortio tot fuère haud dubiè Centuriones, quot numerabantur in tam glorioso Exercitu Centuria Militum Christianorum. Qui omnes, quoniam fortes in fide, constantes in religione, virtutibus praditi heroicis, Viros in Militia Christiana omnibus numeris Perfectos repræsentant. Consulenda sunt Acta, Vita, & Passio istorum Militum Martyrum, ex MS. Coloniensis Collegij Societatis IESV, apud Surium* XXII. *Iunij; & Baronium tomo secundo Annalium, ubi passos ponit circa annum* CXXXVIII. *sub Hadriano & Antonino Impp. & in Notis Martyrologij, ubi egregiè illos defendit, contra suspicionem fabulositatis, quàm ijs adfingit Radulphus Tungrensis de Canon. obser. propos.* II. *Legendus pro Achatianis Vener. Beda in Martyrol. cui adstipulantur, Petrus in Catal. lib.* 5. *cap* 137. *Monbritius tom.* 1. *Maurolicus, & Petrus Galesinus.*

SS. CENTVRIONES *Legionis Thebæorum, quorum Dux* S. MAVRITIVS.

SS. CENTVRIONES *Militum Christianorum, & Martyrum* CCCXVIII. *quibus præfuit* S. GEREON: *&* CCCLX. *quorum Ductor* S. GEORGIVS MAVRVS: *Coloniensium Patroni domestici. De quibus agimus libro singulari, in quo Sanctos* MILITES *Ecclesiæ Militantis, eorumque Heroica certamina celebramus. Nunc iterum ad Centurionis cum Homine virtutum studioso, ac* Perfecto *analogias convertamur.*

MEMBRVM VII.

CENTURIA MILITUM

Hominis Perfecti, velut Centurionis.

QUEMADMODVM *Centurio*, ut nomen indicat, centũ habet milites, quibus imperat, & dicit huic: *vade, & vadit; & alij, veni & venit: & servo suo, fac hoc & facit*, ita in hominis unius potestate observo esse res quasdam omninò centum, quibus, si quis rationis compos humanæ utatur, ut oportet; & freno, dum opus est, constringat; ac debito modo, prout tempus, aliæque circumstantiæ exigunt, gubernet; pronuncio, *Hominem* illum esse *Perfectum*, & in Militiâ spirituali CENTVRIONEM, centum militibus præpositum & legitimè imperantem. Hos centum Milites ut colligam, ac nominem, moneo, quosdam esse gregarios, & levis armaturæ, eosque domesticos, qui per se se parum admodum possunt; suntque velut *Caussarij*, ut loquitur Livius, vel *Valetudinarij*, ut vulgus, qui ob infirmitatem, Militiæ spiritualis laboribus parum apti sunt.

Alios verò, *Evocatos* & *Auxiliares*, gravis armaturæ omnes, sine quorum subsidio DEI Exercitus, neque hostilem impetum sustinere, neque adversarios potest invadere. *Gregarios* voco, hominis *Partes, Membra, Potentias*, & quicquid à naturâ habet, post labem originariam, divina destitutum gratiâ. *Evocatos* & *Auxiliares* appello, qui singulari Numinis divini beneficio, ad supplendam Centuriam cælo sunt submissi, quales sunt divinæ quædam *Qualitates, Habitus* supernaturales, *Virtutes* à DEO infusæ, & *Dona* cælestia.

HABET imprimis homo, ex quibus componitur partes, *Corpus* & *Animam*. In his bis quinque *Sensus*: & quidem omnibus notos Externos, *Visum, Auditum, Gustum, Odoratum, Tactum*. Internos minus cognitos: *Sensum communem, Imaginativam, Æstimativam, Phantasiam, Memoriam sensitivam*. Tum tres principes Facultates, sive Potentias, *Naturalem, Vitalem, Animalem*. Harum autem tres adjuvas, *Alentem, Augentem, Generantem*, His verò septenas subservientes, *Attrahentem, Concoquentem, Retinentem. Expurgantem, Appetentem, Distribuentem, Secernentem*. Ad motus autem celeritatem, *Dirigentem, Impellentem, Exequentem*. In Animâ est *Intellectus* & *Voluntas*, potentiæ nobilissimæ. *Intellectus* autem duplex, *Possibilis* & *Agens*. In eo est *Conscientia* & *Synderesis*. In Voluntate sunt sex Actus ad bellandum conducti. *Velle, Intendere. Frui, Eligere, Consentire, Uti*. Hisce adjungamus undecim in homine *Affectus*, seu *Passiones*, quibus, tanquam Militibus ad conflictum utitur. In *Concupiscibili* quidem commorantes, *Amorem, Odium, Desiderium, Fugam, Delectationem, Tristitiam*. In *Irascibili* verò consistentes, ad omnem nutum expeditas, *Spem, Desperationem, Audaciam, Timorem, Iram*. Ita numero inito, quinquaginta sub signis habemus: quibus si accedant Auxiliares, gravis armaturæ totidem, Centuria complebitur. Jam diligenter iterum attendite, & numerate.

PRIMO, offerunt se tres excellentissimæ *Virtutes*, quas *Theologicas* dicimus, *Fides, Spes, Caritas*. Deinde *Cardinales*, quattuor, *Prudentia, Iustitia Fortitudo, Temperantia*. Tum septem *Dona* Spiritus-Sancti, *Sapientia Intellectus*, *Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, Timor*. Prætereà, *Beatitudines* octo, *Paupertas, Mansuetudo, Luctus, Fames, Misericordia, Cordis munditia, Pax, Patientia* in persequutionibus. Adhæc, duodecim *Fructus* Spiritus-Sancti *Caritas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas*: qui numerantur Epistola ad Galatas v. Item, *Divisiones gratiarum* novem, *Sermo Sapientiæ, Sermo Scientiæ, Fides, Gratia sanitatum, Operatio virtutum, Prophetia, Discretio Spirituum, Genera linguarum, Interpretatio sermonum*, I. ad Corinth. XI. Tandem, concurrunt quinque *Sensus* Spirituales, seu *Mystici*, homini interiori proprij, ijsdem cum

corporeis

corporeis sensibus nominibus. Nam, & homo internus, & Anima, videt, audit, gustat, odoratur, tangit. Hæc si colligantur, quadraginta octo numerabitis. Quibus si jungantur *Præcepta* duo *Caritatis*, de dilectione DEI & Proximi, In quibus universa Lex pendet & Prophetæ Matthæi XXII. quæque ad perfectionem hominis Christiani maximè conducunt, Centuria omnibus numeris perfecta exsurget, cujus caput & gubernator sit CENTVRIO *Spiritualis*. Siquidem omnia illa ad *Perfectionem* Christianam requiruntur Illisque, tanquam Militibus, utitur ad vim illatam repellendam, ad hostes invadendos, ad gloriosam de adversarijs omnibus victoriam reportandam.

MEMBRVM VIII.
HOMINIS PERFECTI
ut Centurionis, in suam Centuriam imperium.

PERFECTVS virtutum Christianarum consectator nunquam audiet, ideoque nec in Militiâ Christianâ Spiritualis *Centurio*, qui imprimis, partes, ex quibus constat, *Corpus* & *Animam*, intra rationis gyrum non continuerit. Tum, qui *Sensus* omnes, quà externos, quà internos, potestati suæ subjectos, imperio regere, & frena ijs, vel laxare, vel contrahere non potuerit. Prætereà, qui *Facultates*, & *Naturales*, & *Vitales*, & *Animales*, earumque appendices, si non herili planè, & despoticâ jussione, saltem, vel pabuli subtractione, vel negatâ abundantiori pastione, ad Spiritualis Militiæ varia munia promptas reddere neglexerit. Adhæc, qui *Intellectum* exploratorem, est enim ὄμμα τῆς ψυχῆς, speculatum mittere, quando censetur opportunum; aut ligare, & in vincula conijcere, captivando illum in obsequium fidei, contempserit. Item, qui *Voluntatem*, in annonæ spiritualis defectu, pabulatum, cum sex ei adhærentibus levis armaturæ commilitonibus, in orationum, & meditationum agros ablegare distulerit. Aut nimium evagantem, & non nisi rerum vanissimarum paleas, absque solido verarum divinarumque frumento advehentem intra limites non continuerit, & alteri frumentationi non addixerit. CENTVRIO *Spiritualis* nunquam erit, cujus lateri tres fortissimi heroes, *Fides*, *Spes*, *Caritas* in omni expeditione non adhæserint. Cujus Centuriam quattuor Cardinales, tamquam limitanei Milites tutati non fuerint. Quem septem divini *Spiritus Dona* velut *Præsidiarij* corporis custodes non cinxerint. Cui octo *Beatitudinum* auxiliariæ cohortes suppetias non tulerint. A quo duodecim *Sancti Spiritus Fructus*, ceu *funditores*, non steterint. Cujus novem *Gratiarum*, velut volonum manus, stativa non circumvallarit. Cui quinque *Sensuum Spiritualium hastati* non ad arbitrium paruerint. Denique,

Denique, quem gemina illa *Caritatis Præcepta* tanquam duplices armaturæ, contra inimicam adversariorum vim, & impressionem non semper munierint.

DESCRIPTVM hic habetis, vel depictum, velut in tabulâ, *Centurionem Evangelicum*, hoc est, *Hominem* in Christianâ *Lege* perfectum, qui habet sub se centum Milites: *& dicit* huic, *veni, & venit*: alteri, *vade, & vadit*: alij, *fac hoc, & facit*. Sed tota descriptio metaphoricis involuta loquutionibus, & militaribus impedita translationibus obscurior fortasse est, quàm ut omnes eam percipiant. Dicamus ergo simplicius, & clarius. CENTVRIO *Evangelicus* est *Homo Perfectus perfectione Christianâ*. Hæc autem quamvis consistat essentialiter (ut Schola loquitur) in Caritate, quæ hominem cum DEO, sine ultimo conjungit; tamen, integraliter duo alia includit. Nempe, remotionem impedimentorum: non illorum solùm, quæ opposita sunt Caritati perfectæ, verùm etiam quæ aliquo modo remoram inijciunt citatissimo cursui, quo ad culmen pervenitur: & usum Virtutum omnium. *Prius* illud consequitur Miles Christianus, si *Quinquaginta* illos levis armaturæ satellites, id est, Corpus & Animam, eorumque potentias & facultates sub potestatem redegerit. *Posterius* obtinere non potest, sine *Quinquaginta* alijs, subsidio nobis à summo Militiæ Christianæ Præfecto submissis. Nimirum, Virtutum habitibus, Donis, Gratijsque, qui non sunt auxiliares ministri secundarij, verùm principes caussæ functionum militarium, id est, operationum supernaturaliter bonarum, quibus totum se impendit EVANGELICVS CENTVRIO.

MEMBRVM IX.

CENTVRIATVS *in Militia Christiana quomodo obtineatur.*

IN Christianâ Militiâ sunt tres militantium Ordines. *Primus*, sive infimus, est *Tyronum*, qui dicuntur, probato jam dudum nomine, *Incipientes*. Huic succedit *Secundus*, sive intermedius, *Veteranorum*, qui diu Militiam sequuti, exploratæ virtutis sunt, & *Triarij*, quos *Proficientes* vocamus. *Tertius* eorum, qui dignitate ac titulo sunt *Centuriones*, & hi nominantur *Perfecti*, simulque *Præfecti*, cùm suæ quilibet præsit Centuriæ. Ad *Præfecturam* autem hanc, ut ad aliam quamlibet, perveniendi duplex in Militia profanâ olim fuit modus, & uterque etiamnum viget. *Prior* per sanguinem, seu nobilitatem, quam plerumque favor elevat. *Posterior* per meritum. Ita Principatus adipiscendi duplex est via regia, *Successio*, & *Electio*. Illa sanguinem sequitur: Ista meritum respicit. Antiquissima autem

est ad dignitates *Electio*, & Heroum temporibus, magistratus pace aut bello virtutis, aut roboris prærogativâ adsignabantur: & peculiariter Centuriatus. Centuriones electos scribit Polybius à Tribunis, (*a*) secundum virtutem, scilicet, animi & corporis, & maximè illam militarem, ut observat bonus interpres Sic Lucanus de Scæva (*b*)

——— ibi sanguine multo
Promotus, Latiam longo gerit ordine Vitem:

quibus significat, ob strenua facta, multasque hostium cædes promotum. A fortibus ergo factis, & militari industriâ promotio erat ad Centuriatum. Adjungit quædam alia Tacitus, 1. Annalium dum Germanicum laudat, quæ ad gradum hunc disponebant. *Centuriatum*, inquit, *Germanicus inde egit. Citatus ab Imperatore, nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quæq; strenuè in prælijs fecisset, & cui erant donaria militaria edebat*. Priora illa ad notitiam viri spectabant; posteriora ad promotionem, quæ strenuè facta, & donaria sequebatur. De quibus Lucanus, dum Lælium civicâ insignem coronâ fuisse, & ob id quoque Primipilatu donatum.

——— Summi tum munera pili.
Lælius, emeritiq; gerens insignia doni,
Servati civis referentem præmia quercum.

Hoc fortes Milites reddebat, eratque militiæ firmamentum. Quocirca meritò conqueritur Vegetius (*c*) de suo ævo, legionum robur infractum, cum præmia virtutis occuparet ambitio: & per gratiam promoverentur Milites, qui consueverant per virtutem. Ita post Augustum paullatim factum memorant historici. Tunc enim ipsi Principes inter beneficia cæperunt dare, & ab ijs petebantur. Plinius (*d*) sanè amico cuidam suo se ordines impetrasse dicit. Et Capitolinus per Lollianum, Avitum Consularem virum ordines ducendi dignitatem petijt. Addo, Census quoque habitam fuisse rationem. Et quidam ditiores statim ab initio *Centuriones* facti sunt, sine Militiæ alijs rudimentis. *Census*, ajebat Portius Latro apud Senecam, *in castris ordines promovet. Census in foro judices legit*. Aliquando emptum & venditum *Centuriatum* à quibusdam scribitur. Quod reprehendit Cicero in Pisone, quem ut sordidum exagitat, quod Centuriatum palam vendiderit, ordinesque per servulum, videlicet, nundinationis sequestrum, adsignarit.

LONGE alia est in Præfecturæ spiritualis, & *Centuriatus Christiani* denominatione, electioneque ratio. Nemo ad illam solo saguine, aut nobilitate. nemo favoribus, nemo censu aut pecuniâ pervenit. Strenuè in prælijs se habentibus, ac decertantibus, & ob fortia facta militares coronas ostendentibus conceditur: his nummis emitur. Si de stirpis nobilitate agatur,

(a) *Lipsius lib. 2. Mil. dial. 8.* (b) *Lib. 6.* (c) *Lib. 2. cap. 3.* (d) *Plinius lib. 6. cap. 25.*

gatur, verum est illud Apostoli: 1. ad Corinth. 1. *Videtis vocationem vestram,* Fratres, *quia non multi Sapientes secundum carnem, non multi potentes. non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit DEVS, ut confundat sapientes, & infirma Mundi elegit DEVS, ut confundat fortia. & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit DEVS, & ea quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret: & non glorietur omnis caro in conspectu ejus:* Sola nobilitas parum facit ad Christiani Centurionis decus. Scitum est illud Poëtæ, quamvis profani

——————perit omnis in illo
Gentis honos, cujus laus est in origine solâ.

Et ut fortes sæpe creantur fortibus: ita nonnunquam, *Heroum filij, sunt noxæ.* Quod Rabbini significant, dum dicunt: *Acetum est filius Vini*: & quidem generosissimi acerrimum. (Chometz ben jai in: *Ex vina acescente & degenerante fit acetum.*) Itaque in Militiâ Christianâ ad *Centuriatum* promovet sola atque unica virtus militaris. Vis scire, quæ facta fortia, sint meritum *Centuriatus Spiritualis*? Accipe. Bellum indixisse, irrequietum: & inexpiabile, Carni, Mundo, Cacodæmoni, conflixisse fortiter cum furiosis vitiorum legionibus, fugasse adfectuum. perturbationum, ac cupiditatum exercitus, superasse ignitas Amoris perversi acies, contrarijs divinæ Caritatis cuneis: profligasse elatas tumultuantis Superbiæ turmas, Humilitatis pacatæ quadrato agmine: in fugam conjecisse exsuccam macilentis Invidiæ decuriam lacertosâ fraternæ dilectionis phalange: abegisse volaticas desideriorum inanium copiolas, fortissimo adspirationum cælestium manipulo: stravisse ructantis Gulæ vomitorium exercitum, victricibus constantissimæ Temperantiæ catervis: ad internecionẽm delevisse insidiatricem subantis Luxuriæ manum, prætoriâ insuperabilis Castimoniæ cohorte.

ADHÆC, in conflictu navali, depressisse piraticam prædatricis Avaritiæ classem, navalibus Liberalitatis moderatæ auxilijs: expugnasse temporaria occasionum malorum stativa callido inopinatè opprimendi stratagemate: Addantur ista. Duello sæpius cum adversariorum Duce Cacodæmone fortiter depugnasse, & nunquam nisi opimis meritorum spolijs mactum è singulari certamine decessisse. Iracundiæ arcem alioquin insuperabilem arctissima rationis obsidione cinxisse, invasisse, diripuisse, prædam avexisse. Munitissimam, carneisque ceu ferreis circumdatam muris urbem, adversariorum refugium, flagrorum, disciplinarum, scorpionum, aculeatarum virgarum ictibus, ut balistarum lapideis missilibus. ut sclopetorum plumbeis glandibus, ut tormentorum æneorum horrisonis fulminibus verberasse, & suis nudatam muris Rationi tributariam in perpetuum tradidisse. Mundi non tam munitum, quàm tendendis insidijs aptissimum, in alta, sed non inaccessa Superbiæ rupe exædificatum castrum, vel inva-

fisse continuis mortificationis, & humilitatis impressionibus, vel à fundamentis convulsisse, actis per imas Evangelicæ abnegationis convalles paupertatis voluntariæ cuniculis, & incenso semel in Religionis cavernis tormentario perseverantiæ pulvere, votorum flammis. Denique, propriæ voluntatis artificiosissimè vallatum prætorium ad deditionem coëgisse, sive divertendo tot in illo latitantium volitionum, ut præsidianorum vires, sive commeatum omnem, qui per sensuum portas insidiosè invehi solet, ac militem alere, prohibendo: atque ita deditum, summo Militiæ Spiritualis Imperatori, oblatis obedientiæ clavibus in perpetuum tradidisse.

Quod si idem veteranus Miles ostendere possit Dona militaria ob res fortiter gestas accepta, dignior haud dubiè Centuriatu censebitur. Quod si habeat penes se Coronas omnes militares varijs donatas sibi, ex merito, temporibus? *Coronam Castrensem*, seu Vallarem Caritatis, ex purissimo dilectionis auro, propter adversariarum Potestatum castra primum à se direpta. *Muralem* Fortitudinis, ob Carnis Rationi rebellantis murum fortiter quassatum, ac deinde dejectum. *Civicam* Perseverantiæ, ob Gratiam divinam, contra insidiatores, apertosque oppugnatores, tanquam hospitem, & eundem civitatis municipem servatum. *Rostratam* Liberalitatis, propter piraticos Avaritiæ myoparones in mari Bonæ Fortunæ depressos. *Obsidionalem* gramineam Castitatis, propter Animam occasionum plurimarum cuneis obsessam, inde extractam, & liberatam. *Ovalem* myrteam Innocentiæ, ob hostem incruenta Orationum victoria profligatum. *Triumphalem* Constantiæ, propter ingentes pugnacissimorum hostium exercitus, sæpe sæpius, constantissimè adortos, fusos, fugatos, deletos. Hæ sunt artes ad *Centuriatum* in Militia spirituali obtinendum, hoc est, ad Perfectionem Christianam consequendam. Quod unico verbo, sed hæc omnia complectente, egregiè mihi significasse videtur, magnus ille in Hebræorum exercitu, non *Centurio* tantùm, sed *Chiliarchus*, *Myriarchus*, *Dux*, & vice Dei *Imperator*, *Moses* licet non hic, sed Deus ipse ad Mosis petitionem. Et est sanè res consideratione ac æterna memoriâ dignissima.

Membrum X.

Centurio

In Militia Christiana, debet esse Vir, in quo est Spiritus.

Anno exitus Ægyptiaci, ut loquuntur Hebræi, quadragesimo, mense x. quo mortuus est Moses in campestribus Moab, Jordani proximis, in ultimâ Israëlitarum mansione, (a) antequam moreretur,

(a) *Numer.* 33.

precatus est Dominum Moses, sibi ab ejus benignitate concedi, ut Jordanem transire, & Terram promissam oculis suis cernere liceret. Abnuit DEVS ob ejus ad Petram peccatum: (a) concessit tamen, ut è monte longè terram illam aspiceret, sicque statim moreretur. (b) Auditâ Moses decreta mortis impendentis horâ, dixit ad DEVM, solicitus de incolumitate commissi sibi exercitus: *Provideat Dominus DEVS Spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc: & possit exire & intrare ante eos, & educere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore.* Num. XXVII. Annuit DEVS, & dicit illicò, *Tolle Iosue filium Nun,* VIRVM, IN QVO EST SPIRITVS, *& pone manum tuam super eum.* Vera Nota *Centurionis* in Exercitu DEI, *Vir, in quo est Spiritus.* Oportet Centurionem esse Virum, in quo sit vera virtus, & masculum pectus, animique robur solidum. Nam effæminatis animis, ac moribus sive fæminæ sint, sive sexu tantùm viri, quid aggrediantur? quomodo hostes cædant? quam de inimicis reportent victoriam? Non satis erit autem esse Virum quemlibet. In Militia Spirituali *Centurio* debet esse Vir, in quo sit Spiritus. Non dixit DEVS: accipe filium, qui ex te est genitus: quod mirum videri possit, cùm non deessent Mosi filij. Neque Moses petijt, ut suorum filiorum aliquis in præfecturâ succederet: quod comminiscebantur olim Rabbini aliqui apud Abulensem, quæst. XLI. sed falsò, nec sine injuriâ sui legislatoris. Nimirum, nec sanguini, nec favori humano datur in DEI Exercitu *Centuriatus*, sed virtuti. Datur Viro, in quo est *Spiritus.* Quâ voculâ complexio omnium virtutum, quæ *Homini Perfecto* necessariæ sunt, includitur. Talis siquidem fuit JOSVE, qui JESV CHRISTI, *Perfectionis* omnis, naturalis, legalis, Evangelicæ unici exemplaris typum gessit. In Christo autem Isaias Propheta primùm generatim *Spiritum Domini* esse pronunciat, tum speciatim, numero perfectissimo septem illi tribuit cap. XI. *Spiritum Sapientiæ, Intellectus, Consilij, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis, Timoris Domini.*

CENTVRIO igitur *Spiritualis*, qualis est Evangelicus, debet esse VIR SPIRITVS. Per *Spiritum* autem hunc, qui haud dubiè bonus est, intelligunt aliqui illum, qui hominis animis, DEO, per omnia, propter ipsum subditur, & efficitur Legis divinæ Zelator, ut sit idem, quod Spiritus obsequij, Zeli, animositatis. Et sanè is Spiritus, *Homini* in Militiâ sacrâ *Perfecto* est perquam necessarius. Alijs placet designari *Spiritum fortitudinis*, quo Miles redditur contra pericula, & adversa omnia, quantumvis magna ac difficilia, fortis, constans, infractus. Qualem imprimis esse Centurionem in Exercitu convenit. Nonnulli *Spiritus* nomine, denotari volunt sagacem, industriam, circumspectam prudentiam, & perspicacitatem quandam peculiarem. Nec malè quidam insinuari existimant, studium quoddam singulare

(a) *Deuter.* 3. (b) *Deut.* 31.

gulare circa Spiritualia, nempe ea, quæ DEI sunt præferendo omnibus, quæ ad carnem & mundum spectant, & aliò, cogitationes, affectusque vocant. Mihi certè nullum est dubium. omnes istos *Spiritus* in Centurione Evangelico esse debere. Et reor, Spiritus expressione indicari generatim omnem *Spiritum*, qui in *Militiâ Spirituali* Strenuum Ducem facit. Immò, significari *Substantialem Spiritum*, donorum omnium Spiritualium, sive ad intellectum, sive ad voluntatem pertinentium auctorem & donatorem munificum, scilicet, SPIRITVM-SANCTVM, quo *Homo Perfectus*, plenus ac completus, & omnibus ejus donis refertus esse debet, ut verè dici possit, VIR IN QVO EST SPIRITVS. Quâ periphrasi *Centurio Spiritualis* in Militiâ Christi designetur, non minus, κατ᾽ ἐξοχὴν, quàm nomine Poëtæ Virgilius aut Homerus; nomine Oratoris, Tullius, vel Demosthenes, nomine Apostoli, Paulus.

VIR *in quo est Spiritus*, Spiritualis est. Si Spiritualis: Ergo non Carnalis Igitur non facit opera Carnis; quæ sunt *fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus. veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, secta, invidia, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia*, ad Galatas V. Si in eo est *Spiritus*, Spiritu utique vivit, movetur, ambulat, ducitur: *judicat omnia & à nemine judicatur* 1. ad Corinthios secundo, quod proprium est Perfectorum. Si in eo Spiritus est, jucundissimos ipsius *Spiritus fructus* ex hac arbore vitæ decerpit: qui sunt, *Caritas, Gaudium, Pax*, aliique superius nominati. Si in eo Spiritus est, est, in eo gratiarum omnium fons & origo, omnium divinorum munerum ac disciplinarum encyclopædia. pulcherrimarum virtutum omnium mundus, certissima bonorum cælestium tessera.

MEMBRVM XI.

VITIS

Quemadmodum Centurionis Romani fuit, ita est Christiani Insigne: Quia Symbolum virtutum omnium Hominis Perfecti.

CENTVRIONIS apud Romanos Insigne fuisse Vitem notissimum est, & olim tam pervulgatum, ut *Centuriatus, Vitis* diceretur. Hinc illud Juvenalis Satyra XIV.

——— *perlege rubras*
Majorum Leges, aut Vitem *posce libello.*

id est, pete à Principe *Centuriatum*: millies quoque in Lapidibus occurrit nota, in modum vitei flagelli curvata, quâ sculpi, scribi, signarique *Centuriones* antiquariæ rei studiosis certum est. Si autem signo aliquo exprimen-

primendus esset Militiæ Spiritualis *Centurio*, illique Insigne potestatis & dignitatis adsignandum, accommodatius *Vite* invenire me posse diffiderem. Tum ob alia multa, quæ infinitum esset huc congerere; tum vel maximè, quod virtutes omnes, quæ *Perfectionis Christianæ studioso*, & excellentem ejus gratiam adepto, aut etiam in summo consistenti, (si quis talis in vitâ mortali detur: si non detur, haud ineptè concipiatur) conveniunt. Ibo per aliquas, quibus aliæ adnexæ sunt.

I. VITIS est plantula inter abjectas, humi repens, parva, distorta, fragilis, de qua ista loquitur Ezechiel Propheta, comparans illi Synagogam. cap. XV. *Fili hominis quid fiet de* ligno Vitis *ex omnibus lignis nemorum*, *quæ sunt inter ligna silvarum? Numquid tolletur de illa lignum, ut fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, ut dependeat de eo quodcumque vas? Ecce igni datum est in escam.* Sic describit vilitatem, quæ est prima qualitas *Vitis*, significans symbolicè *Humilitatem*, quæ in *Militiâ Christianâ* est fundamentum virtutum omnium, Centurioni necessariarum, aut convenientium. Hanc primò sibi comparare debet, qui ad *Perfectionem* adspirat. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde,* ajebat Militiæ nostræ inventor, inceptor, perfector, Matthæi XI.

II. VITIS non attollitur, in imo semper manens; nisi ulmo, palo, aut alteri alicui stabili fulcro adjungatur. Id verò significat, ex Humilitate, in *Perfectionis* amatore oriri diffidentiam sui, & confidentiam in ope divinâ: Militem Christianum viribus suis diffidentem, confidere debere in ejus auxilio, qui disertè omnibus suis cùm albo militari inscriberentur, edixit: *Sine me nihil potestis facere,* Joannis XV. Quod, cùm consideraret quidam ex primis Centurionibus post longam experientiam, ajebat gloriabundus: *Omnia possum in eo, qui me confortat,* ad Philip. IV. Quid non ita animatus aggrediatur? quam expeditionem non suscipiat? quemnam conflictum cum vitijs & concupiscentijs detrectet?

III. VITIS, quia ad aspectum, lignum est deforme, & hispidum, scabrumque habet corticem, oculis intuentium non nisi exteriora cernentibus, contemptum parit. Haud secus vilescit externâ formâ *Perfectio*: despicitur virtutis perfectæ exercitator, tanquam asper & inutilis: *Circumveniamus justum,* ajebant impij apud Sapientem, *quoniam inutilis est nobis.* Sapientiæ secundo. Verùm,

IV. VITIS, quamvis deformis, fragilis, distorta, ac ad omnia ferè, judicio exterius intuentium inutilis, tamen intus humore suavissimo abundat, & fructum gignit, pretiosum æquè ac dulcem: nam ejus fœtus est *Vinum*, quod lætificat DEUM & homines, Judicum IX. Vilis fit & contemptibilis exterius *Perfectionis* sectator, interius cælestium donorum succo est plenissimus, editque fructum gratissimum DEO & hominibus, verbo & exemplo: exhortando ad bonum, adstrahendo à malo: glorificando

DEUM instruendo homines: omnibus se exhibendo utilem, gratumque.

V. VITIS magna cura indiget, ne sylvescat. Arbustivam vitem, quam putare, tam alligare diligenter oportet, inquit rei rusticæ peritissimus Columella libro tertio: monet idem Vinitorem, ne patiatur vitem supervacaneis frondibus luxuriantem sylvescere. Resecandi sunt quamprimum palmites, nimium excurrentes. Hoc Viti maximè prodest ad fructum. Indicatur, Centurionem Evangelicum deditum esse debere resectioni superfluorum, ut amputet quicquid non necessarium, ad victum, vestitum, habitationem. Quod fit per *Abnegationem sui*, abdicationem bonorum suorum, ablegationem desideriorum inutilium, abrenunciationem voluptatum, & adparatus omnis supervacanei, ut perveniatur, si non ad absolutam paupertatem, certè ad auream mediocritatem. Imitatur *Centurio* suum Ducem, qui *omnem palmitem non ferentem fructum tollit, & eum, qui fert fructum, purgat*, videlicet abscindendo luxuriantia, *ut fructus plus adferat*, Joannis XV.

VI. INTER plura Vitium genera, unam esse scribit Plinius, lib. XIV. cap. 3. quæ adjumenta exteriora spernit: quare neque stipitibus adminiculata hæret, neque adhæret parietibus, neque populis, ut in Italia, nubit, nec maritas alias complexa arbores, tenacibus loris, aut erraticorum lapsuum repratu, ad alta nititur, sed proprio contenta pedamento artus suos in se colligit, seque sustentat. Quare à Græcis ὀρθάμπελος dicitur, *Vitis recta*. Nonne hæc egregium est symbolum veræ illius αὐταρκείας, sive sufficientiæ, quam profitetur *Perfectus* noster, qui non tam naturæ, quàm gratiæ donis contentus, rerum exteriorum, & quæ à fortunæ volubilitate pendent, infimis adminiculis non indiget, & sibi dictum putat illud Doctoris Gentium, 1. ad Timoth. VI. *Est quæstus magnus Pietas cum sufficientia.* Itaque suâ sorte contentus, in seseque collectus vivit placidissimè. (a) Quam *Perfecti Viri* imaginem si exprimere voluissent Stoici, cùm docerent, Sapientem in Stoâ sibi sufficere, sive se solo contentum beatè vivere, non admodum reprehendendi essent; sed arrogantius quid vulgo insinuabant. Nos ad Vitem Centurionis nostri recurramus.

VII. VITIS facillimè, & arescit, & ignem concipit. Illud Temperantiam, hoc Castitatem suggerit. Utraque excellere debet *Perfectionis Consectator.* Temperantia, quæ abstinentiam, & jejunium comites habet, siccitatem adducit. Siccitatem ex sobrietate & jejunijs ortam Castitas sequitur, quæ animam in frigido licet corpore inflammat, & amoris divini incendio absumit, & in Angelum transmutat: immò in DEUM ipsum, felicissima metamorphosi transformat: facit enim amor conversionem amantis in amatum, hominis perfectè amantis in DEUM, ut Mystici norunt.

VIII.

(a) *Lip. Manud. ad Stoic. lib. 3. diss. 10.*

VIII. VITES ordine certo, & ad oculum perquam amæno in vineâ collocantur, ut videatur Vinea quasi castrorum acies ordinata. Hinc Poëta vinitorem instruens, illud inculcat: *pone ordine vites.* Nihil pulchrius occurrit in *Homine Virtutum studioso*, quàm series elegantissima virtutum ordine positarum, ut superius, cum Centurionis omnes numeraremus, oculis objecimus. Ordo etiam in eo consistit, quod quæ DEVM spectant, primo sint loco, æstimatione & usu, quæ res alias, sequantur. Deinde, quod corpus obediat animæ: Caro Spiritui: sensus Rationi: Ratio DEO. Item, quod quæ cælestia sunt, appetat prius, quæ terrena, tanquam minus digna, posterius. Denique, quod omnia habeat infra Amorem DEI, quem præ omnibus appetat, illud frequenter ingeminans Amatoris cujusdam eximij: (*a*) *Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis: nec alium quicquam ultra posco.* Et alterius viri Seraphici: (*b*) *Amore amoris tui moriar: qui Amore amoris mei dignatus est mori.*

IX. VITIS in antiquâ Onirocriticorum Sapientiâ mortuum, aut mortis filium, ut Hebræi loquuntur, vel morti destinatum, & addictum designabat. Ita Interpres somnij cujusdam minimè vulgaris, quod est apud Artemidorum (*c*) ejus disciplinæ magistrum. Erant viro nobili duæ filiæ de quibus hoc habuit somnium. Videbatur una auream Aphroditim in capite alligatam habere: alteri verò Vitis truncum indidem enasci. Interpres respondit, priori nuptias, posteriori mortem portendi. Rationem dabat, quod Aphrodite, quomodo à maris spumâ, unde genita, dicitur Venus, sit signum nuptiarum: *Vitis* autem *Mortis.* Cur hoc? Tum, quod è terrâ nascatur, in terram autem corpora etiam resolvantur. Tum, quod summo vigoris tempore, *Vitis* fructu privetur. Est itaque Vitis mortis symbolum. Quare idcirco *Centurioni Evangelico*, seu *Viro* in Virtutis palæstrâ *Perfecto*, datur, tanquam Sceptrum, cùm is vitijs, concupiscentijs, & noxijs affectibus mortuus, gloriari possit, illudque usurpare: *Semper mortificationem IESV in corpore nostro circumferentes: ut & vita IESV manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter IESVM, ut & vita IESV manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur*, secundæ ad Corinthios IV. Et sanè mortuo similior debet esse *Centurio Spiritualis.* Quæ est doctrina Richardi Victorini, Commentario in Genesin, ubi Servorum DEI hoc esse proprium adfirmat, ut non solùm carnales sensus per disciplinam restringant, sed etiam per mortificationem extinguant. Quam proprietatem *Hominis Perfecti*, certè, *Religiosi* lepidè exhibuit, velut in scena, Abbas Apollo, de quo Cassianus, Collatione XXIV. capite 9.

CVM ad eum germanus frater intempestâ nocte venisset, implorans, ut de monasterio suo paulisper egressus, ad educendum bovem, quem cæno palustri

(a) *S. Ignatius.* (b) *S. Franciscus.* (c) *Lib. 5. cap. 39.*

palustri eminus inhærere flebiliter conquerebatur, ei esset auxilio, quia cum solus nequaquam posset extrahere. Abbas Apollo pertinaciter obsecranti, cur, ait, juniorem fratrem nostrum, quem præteriens proprio-rem me habueras non rogasti? Erat autem minor ille frater mortuus ante annos quattuordecim. Miratus ille fratris responsum, & existimans illum nimia alienatione à rebus hujus vitæ, fratris sui demortui non amplius recordari, ait, an nescis, fratrem nostrum ante annos quattuordecim obijsse? Tum Abbas: ignoras ergo, me quoque, annos viginti huic mundo fuisse defunctum? (Cùm videlicet ad Centuriatum Spiritualem se contulit) nullaque jam posse, de hujus cellæ sepulchro, quæ ad præsentis vitæ statum pertinent, tibi conferre solatia? Hànc itaque mortem spiritualem *Vitis*, quam dexteræ Centurionis nostri inserimus, significat.

X. VITIS, quamvis symbolicè *Mortem* denotet, nihilominus non est ulli ligno æternior natura, ut asserit Plinius: quare stabilitatem, *Æternitatemq;* non minus indicat, quæ Centurionem in Militiâ Christianâ manet, dum hinc emigraverit: immò, in hac vitâ ob Constantiam, & Perseverentiam, quæ in illo perpetua, quadamtenus eam possidet. Impij, tanquam gluma, disperguntur: sicut pulvis, quem projicit ventus à facie terræ: similes hortis Adonijs, qui subitò, & die uno nati, celerrimè pereunt. At Justus, *Perfectionis* tum discipulus, tum magister, qualis *Centurio*, tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum vires magis à tempore capit.

Crescit occulto velut arbor ævo.

&, ut *Vitis* æternat.

XI. VITIVM odori ubicumque pubescentium nulla suavitas præfertur. (*a*) Spirat è *Perfecto virtutum sectatore* quocumque se conferat, ubicumque moretur suavis odor Christi super muscum, & zibethi illecebras. *Christi bonus odor sumus*, ajebat Paulus de se, & in eadem Militiâ Centurionibus alijs. (*b*) Dicere potuisset: *Ego quasi* Vitis *fructificavi suavitatem odoris*. Ecclesiastici XXIV. *Multa profectò suavitatis fragantiam longè latèq; spargebat pectus illud,* inquit Bernardus, Serm. XII. in Cant. *quod sic affecerat solicitudo omnium Ecclesiarum.* Similem spargit *Perfectus* quilibet, cujus fama, gloria, decus ex virtutibus proveniens, est tanquam *Vitis odor*, cui nulla suavitas præfertur.

(a) *Plin. lib. 14. cap. 3.* (b) 2. *ad Corinth.* 2.



MEMBRUM XII.

VITIS

Ut Centurionis Romani fuit, ita Christiani est Insigne, Quia Instrumentum, Castigationis.

VITIS apud Romanos, non Insigne tantùm erat Centurionis, sed *Instrumentum* quoque *punitionis*. Nam eâ veluti virgâ, aut fuste segnes castigabat Centurio: non tamen alios, quàm cives: id est, honoratiores. Siquidem flagella servilia ad corpus ingenuum, aut militare non admovebantur. Ita monet Plinius, sic etiam pœnas honoratas dicens. *(a) Centurionum in Manu Vitis*, inquit, *optimo præmio tardos ordines ad lentas producit Aquilas, atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat.* Nec militi erat impune, restitisse, aut illusisse; Vitem minitanti, vibranti-ve Centurioni. *Miles, si Vitem tenuit.* præscribit Macer, L. 49. ff. *de re militari. Mutet militiam; si ex industria fregit, vel manum Centurioni intulit, capite puniatur.* De Scipione ad Numantiam refert Livius: *(b) Quem Militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, fustibus cecidit.* Habuit etiam ejus rationem Catilina quamvis legum contemptor, qui M. Marium, inspectante P. R. *per totam urbem vitibus cecidit*: ut narrat Cicero in vetustioribus codicibus, non ut recentiores habent, *Virgis. (c)* Ex hoc titu est illud Taciti liber 1. Annal. Centurio Lucillius interficitur, cui militaribus facetijs, *Cede alteram*, indiderant, quia fractâ vite in tergo militis, alteram & alteram poscebat. Et Juvenalis de Mario: *(d)*

Nodosam posthac frangebat vertice vitem.

significans, militem fuisse gregarium, ac vite Centurioris, inter operandum sæpe percussum. Appellat autem *nodosam*, quia talem eligebant ad ictum validiorem. Quomodo ea crudeliores uterenter insinuat Apuleius, lib x. à quo inducitur *Miles* (Centurio videlicet) *cui Vitis gestamen, è legione obvius, inversâ vite, de vastiore nodulo cerebrum diffindere conatus.* Hinc Centuriones quidam maximo erant militibus odio, ut Tacitus testis, Annalium 1. Et Milites interdum operis vacationem, & verbera pecunijs, à Centurionibus redimebant, auctore eodem. Itaque *Vitis* in manu Centurionis, erat *Instrumentum verberationis*, quâ sontes corripiebant, segnes excitabant.

SI, quos Milites anteà Centurioni Christiano adsignavimus, Corpus, Animam, illus membra, hujus potentias, & facultates, nimiùm desides animadvertit,

(a) *Lib. 14. cap. 1.* (b) *Lib. 17.* (c) *Cic. 1. de petit. Consula.* (d) *Satyr. 8.*

madvertit, aut ordines deserere, aut somno vinoque opprimi, sicque Aquilæ Divinæ ductum negligere, tum Christiani Centurionis est facere, quod exequebatur ceterorum Dux & Magister Paulus, cùm profiteretur: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, 1. Corinth. IX. Arripere Vitem, potestatis suæ insigne, & jejunando, vigilando, verberando, paupertate, & incommodis affligendo, rebellantem adversus Spiritum sensum & carnem reprimere, ac Rationi fide illustratæ & justitiæ punitivæ subijcere. Non sunt digni Centurionum nomine, vix in gregariorum numero collocandi, qui sacrum *Disciplinæ* vocabulum, tanquam Scythicum detestantur; rem ipsam velut ignivomas catapultas perhorrescunt: qui ad *Cilicium*, veluti ad lethale operimentū attoniti hærent: qui brevem brachiorum extensionem, ceu patibularium cruciatum metuunt, qui unius noctis humicubationem, ut volutationem in saxis refugiunt. Spiritualis *Centurio*, si repugnet Caro, clamat: apprehendo *disciplinam*, (a) Si insurgant serviles adfectus, minitatur: (b) *Cibaria & Virga & onus asino: panis & disciplina, & opus servo.* Si tumultuentur membra exterioris hominis, sequitur consilium Apostoli: (c) *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Si non obediat corpus: *carnem suam crucifigit cum vitijs & concupiscentijs*, ad Gal. V. *tollit Crucem suam & sequitur* Christum. Matth. XVI. Si voluptas titillat, ponit vestimentum suum cilicium: Psalm. LXVIII. damnat omnem mollitiem: amat omnem asperitatem. Denique, fuste, flagris, *Vite* in rebellantes utitur, ut obedientes milites reddat, sibique, ac DEO Imperatori, cui militat, perfectè subijciat.

MEMBRVM XIII.
CENTURIONIS OFFICIA.

FVERE hæc varia. Nam ad illum spectabat in Militiâ Romana, sub pugnæ tempus milites instruere: Vigilias obire: militum operibus adstare, ut Livius, (a) Polybius, (b) Tacitus, (c) Vegetius (d) tradunt. Idem militum suorum controversias dirimebat. Quod Juvenalis (e) indicat. Itaque cum tanta esset Centurionum dignitas, auctoritas, potestas vilia quædam munia ipsi non exequebantur, ut portare corbes & similia: quod ex Dione (f) colligitur. Hæc eadem in Militiâ Christiana, Centurionis Spiritualis, secundum analogiam haud absurdam, sunt officia. Et illa imprimis: sub pugnæ tempus milites locare & instruere: deinde, vigilias obire. Est reperire aliquos inter Christi Milites, qui dum non imminet hostis, dum tentationibus non oppugnantur, dum occasiones tranquilli-

(a) *Lib.* 30. (b) *Lib.* 30. (c) *Lib.* 15. (d) *Lib.* 1. *cap.* 15 (e) *Juv. Saty.* 6. (f) *Dion. lib.* 52.

quillitatem animi non turbant, videntur non *Centuriones* tantùm, sed *Phylarchi* etiam, ac *Imperatores*, ita loquuntur magnificè, & disserunt, ut videtur, accommodatè de re omni militari. Norunt dicere, quo bellandi genere Superbia sit superanda: quomodo Luxuriæ obviandum, Gulæ occurrendum, Ira domanda, Invidiæ resistendum. At, procedat hostis, distribuat exercitum in cornua, explicet omnes copias. Hinc urgeantur iracundiæ assultibus, illinc lasciviæ percursione, à fronte arrogantiæ ala, à tergo desperationis turmis, hærent, velut inter saxum & aram: in pace *Centuriones*, in bello vix gregarij Milites. Verùm, benè exercitatus in Militia Spirituali *Centurio*, expeditè statim, nunc quadratum, nunc lunatum agmen virtutum instruit, nunc virtutem unam vitio uni opponit, nunc confertim in hostium cuneos irruit. Superbiæ humiliationem, patientiam iracundiæ, dilectionem invidentiæ, temperantiam gulæ, mollitiei castigationem corporis obviam mittit; & omnes suas acies præsidiario Orationum jaculatoriarum Milite munit, & tam aptè omnia ordinat, ut pes pedi, clypeus clypeo, viro vir consertus in hostem involet.

TUM verò, *Custodia* maximam curam habet, sine quâ nunquam Centurionis boni partes implebit, aut urbem, quam defendendam sumpsit; vel castra, quæ contra adversarium tuetur, ab hostili invasione, direptioneque defendet. Custodiam voco, quinque *Portarum*, quæ in sensibus constitutæ sunt, *tutelam*: ut in ijs vigiles collocet, ipse obeat, ipse attendat, ipse adsistat, certus, se in Militiâ Christiana nunquam *Perfectum* fore, nunquam, vel mediocrem consequuturum laudem in virtutum castris, quamdiu in illis excubitores perpetuò non vigilaverint, & vim omnem inimicam non averterint. Hic itaque advigilat indesinenter, ne anima portis circumquaque patentibus, omnibus inimicorum insidijs exposita maneat. *Defixæ sunt in terra portæ ejus: perdidit & contrivit vectes ejus*, dicebat Propheta de Jerusalem Threnorum II. Quid inde sequutum? *Facti sunt hostes in capite: inimici ejus locupletati sunt*, Threnor. I. Hinc lamentatio: *Quomodo sedet sola civitas plena populo: facta est quasi vidua Domina Gentium.* Quæ caussa? Centurionum socordia. Caveat Vir Spiritualis ne dicere cogatur post lapsum, *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Threnor. tertio.

JAM, si contentiones oriantur & rixæ inter Milites: si inter membra corporis, & facultates animæ, tanquam inter ejusdem Centuriæ socios lites insurgant, ad *Centurionem* caussæ cognitio prima pertinet: *Spiritualis* homo, qualis est in Militia Christiana *Centurio*: hoc est, *Perfectus* in virtutum studio, qui Spiritu vivit, qui fidem, atque prudentiam, non carnis, sed Spiritus, denique, qui doctrinam Spiritus-Sancti sequitur, ac proinde Spiritum divinum Rectorem, Doctoremque animæ habet, *judicat omnia*, inquit Paulus Apostolus, I. ad Corinthios 2. Ille controversias suorum

examinat

examinat, singulorum jura perpendit, judicio exacto librat, nihil non investigat: tandem, *judicat*, dirimit, componit *omnia*: tam magna, quàm parva; tam spiritualia, id est, sublimia, quàm animalia, id est, humilia: tam cælestia. de quibus litigatur, quàm terrena, de quibus lis movetur. Hoc Centurionis inter suos milites est munus.

Legibus antiquis castrorum, & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra.
Et procul à signis. Iustissima Centurionum
Cognitio est igitur de Milite. (a) ———

HVIC adnexum, quod *Centurio* ad evitandas controversias, omnia in ordinem redigat, singulis sua munia adsignet, & sua quemlibet sorte contentum esse jubeat. Ne oculus dicat manui: (b) *Opera tua non indigeo: aut caput pedibus: non estis mihi necessarij.* Ne sit schisma in corpore, sed idipsum omnia membra intendant, & pro se invicem solicita sint: ac. si quid patitur unum membrum, compatiantur cetera: Si gloriatur unum membrum, congaudeant reliqua. Quod si tumultuetur *Sensus* contra Rationem, si insurgat *Appetitus* sensualis contra rationalem, si *Imaginatio* violentiam inferre nitatur intellectui, si *Caro* repugnet Spiritui, & totis castris concurratur ad arma, tunc Centurionis Spiritualis est, se medium, tanquam judicem, sequestrum, arbitrum interponere.

———*Magno in populo cùm sæpe coorta est*
Seditio, sævitq; animis ignobile vulgus;
Iamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat,
Tum pietate gravem, ac meritis si fortè virum quem
Conspexêre, silent, attentisq; auribus adstant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

FORMAVIMVS Centurionem Spiritualem, id est, Hominem in Militia Christianâ omnibus numeris Perfectum. Qui tamen nunquam subjectos sibi omnes, tam felici gubernabit regimine, ut non sit habiturus domi *Paralyticum* aliquem *Servum*: Servum quidem, qui non prævaleat, nec dominetur: paralyticum tamen, ut, ob virium defectum, non obsequatur. Subter te quidam erit appetitus, & dominaberis illius, (c) nihilominus exclamare cogeris frequenter, cum perfectissimo illo Centurione: (d) *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati:* stimulum Carnis, Angelum Satanæ, qui me colaphizat. Hunc si sanatum cupiat, frustrà fatigabit Medicos alios. Vnus est pro Servulo tali Curator, verus Alexicacus IESVS CHRISTVS, qui, quà *Medicus*, verbo sanare potest paralyticum; quà Militiæ Spiritualis supremus *Imperator*, facere, ut nos omnes, quamvis vix gregarij Milites,

(a) *Juvenalis Satyra 16.* (b) *1. Corinthios 12.* (c) *Genesis. IV.* (d) *Ad Corinthios IV.*

post multa, ejus ope, præclara contra hostem infernalem edita facinora, & strenuitatis invictæ documenta, ad Christiani *Centuriatus* decus perveniamus. Quod utinam fiat, ad ejus gloriam, cui bonam militemus in hac mortalitate militiam, DEI PATRIS & FILII & SPIRITUS-SANCTI. AMEN.

NOTÆ.

In quibus Auctores, & Prætermissa.

§. I. CENTURIO.] *Dicebatur apud Romanos qui centum peditibus præerat: In Exercitu autem omnes suo Centurioni, Centurio Tribuno, Tribunis Legato, Legatus Consuli, seu Imperatori obediebat. Seorsim verò Magister equitum soli Dictatori obtemperabat. Porrò, quia observatum erat, commisso prælio, acies facilè turbari, ut hoc incommodum evitaretur, cohortes in Centurias diviserant Romani, & singulis Centurijs singulos Centuriones præfecerant. Qui antiquis temporibus* Centuriones *vocabantur: quemadmodum Decuriones Decurioni.*

COHORTES *in Exercitu deceme rant, in singulis legionibus, sed prima, quæ reliquas, & numero militum, & dignitate præcedebat,* Aquilam *habebat. Hujus Cohortis* Centuriones *ceteris Centurionibus digniores habebantur. Prima Centuria* Primipilum *vocabatur; quod circa signa gravis armaturæ constituta esset, in qua, inter cetera armorum genera hastile erat pedum quinque, & semissis, quod* Pilum *nominabant; cui ferrum erat trigonali forma novem unciarum. Dicebatur* Pilum *à perimendo, quasi perillum: eratq. Telum Romanorum, sicut* Gesum *Gallorum,* Sarissa *Macedonum.* Centurio, *Primipili Centurio dicebatur, aut* Primiqilus. *Hic non modò Aquilæ præerat, sed quattuor Centurias, seu quadringentos milites in primâ acie gubernabat: & tanquam princeps totius legionis merita consequebatur & commoda. Martialis.*

Grata pudens meriti tulerit cùm
præmia pili.

COHORS *primitus erat decima pars legionis, constans quinquaginta Manipulis:* Manipulus *autem* XXV. *militibus. Quare* Cohors *constabat mille ducentis quinquaginta Militibus:* Legio *duodecim millibus & quingentis, ut patet ex* Cæsare *lib.* VI. *de bello civili Velleio libro 2. & alijs. Postea uti Legionis, ita Cohortis numerus fuit imminutus, idq. variè pro varietate temporum & locorum. Tandem,* Legio *redacta fuit ad sex millia & sexcentos. Contrà,* Centuria, *licet initio constaret centum militibus, tamen varijs de caussis fuit adauctus. Nunc* Cohors *vulgo vocatur* Regimentum, *Gallico vocabulo. Legendi, Vegetius, lib. 2. cap. 6* Iustus Lipſ. *lib. 2. dialogo 8.* Valtrinus *lib. 2. cap. 10. & 11.* Nicolaus Serarius *Iosue 1. cap. 8. q. 1. Theatrum vitæ humanæ, Verbo,* Magistratus. *Ver.* Militia. *Ver.* Bellum, *ubi accuratè dividitur Exercitus, & nominantur omnis generis, Præfecti, ab Imperatore, usq. ad Decanum, Quintanum, Quartanum, & contubernij Custodem. Nomina quædam recentia Præfectorum Militiæ, quæ nunc sunt in usu suppeditat Famianus*

Strad.

Strada de Bello Belgico Decade 1. *&* 2. *in qua est peculiaris titulus, explicans voces aliquot militares in eo opere usurpatas. Denique, Nomenclator octilinguis Adriani Iunij, & Hermanni Germbergij omnium officiorum, immò rerum militarium, propria nomina ponit & explicat cap.* XLII. *de Militaribus Officiarijs, & cap.* XLIII. *de Militaribus rebus.*

§. II. Centenarivs numerus perfectus.] *Centenarium boni, ac perfecti præsagium habere somniorum interpretes olim existimabant. Admirandum est, & ingeniosum quod habet* Artemidorus *lib.* 3. *Oneirocritica cap.* 34. *Docet is ex disciplinâ quam profitebatur, de somniorum explicatione; per singulas litteras singulatim conspectas divinationem capi. Et postquam dixisset,* Vocales *significare timores, & turbationes* Semivocales *autem, res quidē & actiones nō impedire, timores tamē inducere: Mutas neq; timores, neque actiones inducere; agit de littera* ρ *quā pronūciat, portendere felicitatē ob numerationē. Siquidē ad Græci numeros indicādos utūtur Alphabeto in tres classes diviso: quarū prima est unitatū, ab* α *ad jota: altera denariorum à* κάππα, *usque ad* ρ *tertia Centenariorum ab* ρ *usque ad finem alphabeti. Tum ita docet ille somniorum interpres,* ρ *his qui ad actionem animum advertunt, bona, est propter numeri Centenarij bonitatem, perfectionemq;. Addit alia, quæ eò tendunt, ut persuadeatur, numerum Centenarium bonum perfectumq; indicare. Quamvis autem vana sint, nec titivilitio emenda ad usum, ut pleraque illius Scriptoris; haud vanè tamen adducuntur ad firmandam persuasionem communem, de bono ac perfecto, quod latet in numero* Centum. *De quo lege solidiora in* Petro Bongo, & Alfonso Salmerone, *illo in lib. de numerorum myster. hoc in Prolegomenis Sacræ Scripturæ.*

§. III. Homo Perfectus. Perfectio. *Legendi, qui scripserunt de Perfectione Evangelicâ, Religiosa: de Perfectione præcepti & consilij: de Perfectione status cujuslibet.* Iacobus Alvarez Paz, Bernardinus Rosignolius, Francis. Salas, Hieronym. Platus, *qui lib.* 1. *de bono status Religiosi docet,* 1. *Perfectionem in omni re esse amabilem, maximè in anima.* 2, *duplicem esse in Christiano.* 3. *Ad perfectionem omnes Christianos obligari.* 4. *Vix adquiri posse, nisi relictis omnibus terrenis.* 5. *Summam esse in statu religioso.*

§. IV. Magistratvs Militaris.] *De hoc & varijs, qui in exercitu præsunt appellationibus, nominibus, ac titulis, legendi,* Alexander ab Alexandro *lib.* 5. *&* 6. Sabellicus *lib.* 5. *Ennead.* Sigonius *de Regno Ital.* Cælius *lect. ant.* Iulius Cæsar Bullingerus. *Ex quibus alijsq; Catalogum texit, & ob oculos ponit* Laurentius Beyerlinck *in Theatro, titulo. Magistratus, & tit. Bellum.*

§. V. Dvx Militaris, belli, exercitus.] *Inspice* Theatrum vitæ. *Verbo.* Bellum. *Tit.* Dux. Imperator: Ducum Militarium ordines, genera. *Verbo* Magistratus. *Tit.* Duces, Comites. Tribuni Militares. *Verbo*, Dux. Duces. Ducenarij. *Tit. Quadraginta septem Monita historica pro Ducibus. Præcepta Leonis M. Imperatoris data filio, de exercitu formando, ordinando, & ducendo: & de qualitatibus Imperatoris, quæ sunt in Tacticis Leonis perfectè editis à Ioanne Mursio Batavo. Consulatur etiam Onosander in Stratag. Denique extant de Boni Ducis ac Imper. Virtutibus, & conditionibus Monastica nonnulla, quæ leges in Theatro, Litt. D. pag.* 431.

§. VI. Dvx & Centvrio Christianvs.] *Hunc egregiè formas, ac instruit* Ferrandus *Carthaginensis quondam Ecclesiæ Diaconus, Scriptor, ante M. C. pluresq; annos celebris. nam floruit*

ruit anno Christi D. Paraenetica ad Regnum Romanae Militiae Ducem pro conservanda in Praefectura militari innocentia: Sive, qualis esse debeat Dux Christianus in actibus militaribus. Post praefationem protrepticam, sunt ista libelli capita. I. Septem Regulae ad septem Spiritus Sancti Dona accommodatae. II. Duci Militiae in primis necessaria in DEVM fiducia, & omnis odium arrogantiae. III In Duce requiritur vita exemplaris. IV. S. Ioannis Baptistae fidelissima pro Ducibus & Militibus monita. V. Dux habeat sibi propositum finem, & assiduum studium, ut subditis prosit. VI. Dux inferior, ut Centurio, conetur prodesse suis, intercessione apud Superiorum. VII. Dux bonus commissum sibi exercitum, centuriam, cohortem, quantoperè debeat diligere. VII. Duci Militari commendatur amor in sibi commissas copias ex amore, quem debet DEO IX. Ducis Militaris Christiani praecipua cura sit Catholicae fidei integritas. X. Ducis Militiae boni, quomodo resecentur vitia, augeantur virtutes. XI. Duci Militari servanda est in iuramentis fidelitas. XII. Veritati constanter insistendum. XIII. Dux Militaris, quomodo moderatione iustitiae DEO possit placere & hominibus. XIV. Probatur Pietas Duci exercitus ad omnia utilis.

IN his continentur septem Innocentiae pro Duce Christiano praecepta, sive Regulae, quas Auctor fusius probat, & deducit. Prima est, quam tenere inter actus debes militares, ut nihil viribus tuis superbus adsignes; sed omnia, quae sapienter, fortiter, ac feliciter geris, ad laudem referas potentissimi Creatoris. Secunda. In Duce militaribus actibus occupato, quasi in speculo, Milites videant, quid agere debeant. Et magis eos imitatio ad bonum provocet, quam potestas. Dux enim Sapiens illuc debet ire, quo cupit ducere subditos: ideò enim dicitur Dux, quia ducit. Tu ergo esto Signifer disciplinae sanctissimae: Tu erige trophaeum virtutis intuendum jugiter ceteris: Tu imitandus appare; praesertim in tribus quae Baptista optimus Militum Magister praescribit: I. Ut neminem per te, vel per tuos concutias. II. Ut nulli calumniam per te, perque tuos facias. III. Ut stipendiis tuis sis contentus. Tertia Innocentiae Regula est. Sic praesis, ut prosis: prodesse autem videberis, si tempus & locum tuae administrationis intelligas.

Quarta. Diligas exercitum, regnum, rempublicam, sicut te ipsum caritate libera: ut dilexit Dux Moses suos, & populum, orans pro eo deleri de libro vitae, Exodi XXXII. & Rex David in peste dicens Angelo percutienti: Convertatur manus tua in me, & in domum patris mei: isti, qui oves sunt, quid fecerunt? *Lib. 2. Regum* 24. Quinta. Desiciat temporibus administrationis tuae peccantium Synagoga, crescat electorum numerus: gaude ad lucra Christi, dole de dispendiis. Sexta. Quicquid dixeris, gesseris, disposueris, fac ut Deo & hominibus placeas: ac fervore caritatis mirabiliter iniquitatis frigus excludas. Noli esse multum iustus: neque sapiens plus quam necesse est. Nimirum: Esto justus, ut corripias inquietos: noli esse multum justus, ut consoleris pusillanimes: ut suscipias infirmos: & patiens sis ad omnes. Considera ergo quibus imperes, & quàm dura corda flectere cupias, ut modo minando, modo feriendo, modò veniam largiendo, nullatenus quidem remanere impunita Militum peccata dimittas; neque tamen semper excessibus eorum supplicia condigna retribuas, dicens tibi ipsi: Noli esse multum justus. Septima regula. Pietas ad omnia Duci utilis est: gubernationi exercitus & reipublicae, securitati, saluti, concordiae plus prospicitur, quando Dux optimus amari eligit, non timeri. Dux amabilis murus est exercitus & patriae. Pius esto bonus, quam

quàm severus. Est Ducis optimi perfecta laus, oblivisci semper injurias.

Huic libello parænetico ad Duces Militiæ, conjunctus est alius, cujus inscriptio, Practica instructio, seu Lydius Lapis probæ gubernationi Reipublicæ explorandæ aptatus, qui continet certissimas quasdam regulas è SS. Litteris desumptas, ad quas, ceu Lydium lapidem adhibita hominum ingenia dignosci possunt, & judicari, an idonei sint, vt gubernationi, sive politicæ, sive militari admoveri queant. Utilis sanè, vt Præfectura in Republica vel Militia haud malè committantur.

LIBER IV.

COMMEATVS *Militiæ Christianæ* EVCHARISTIA.

Parasti in conspectu meo Mensam adversus eos, qui tribulant me. Psalm. XXII. 5.

PRÆFECTVS ANNONÆ.

COMMENTATIO. I.

EVCHARISTIA

Commeatus. Cibus Castrensis. Panis Militaris.

MEMBRVM I.

NECESSITAS COMMEATUS.



NIHIL penè magis ad Militiam est necessarium, quàm COMMEATVS. Sine Commeatu flaccessit militis corpus, concidit animus, jumenta intereunt, robur omne deperit, exercitus dissipatur, homines moriuntur, ut pecudes. Qui supersunt, tanquam umbræ, in castris obambulant, aut jacent passim per campos & tentoria, commilitonibus ad commiserationem, hostibus ad insultationem, & ludibrium. Sine commeatu nihil facit ad victo-

 riam,

riam, quamvis fortissimus peditatus; non multum prodest, licet munitissimus equitatus, nihil ad victoriam confert sociale auxilium, nihil ardor civium, nihil Ducum prudentia, nihil astus, stratagemata, consilia bellica. Sine commeatu à frustr sunt galeæ ex ære, acinaces ex chalybe, loricæ ex ferro: frustrà gladij, pugiones, sarissæ: frustrà clypeus, scutum, pelta; frustrà balistæ, sclopi, fistulæ æneæ, machinæ, tormenta bellica: frustrà panoplia omnis. Defectu commeatus, capiuntur deditione munitissimæ urbes, arces humana vi inexpugnabiles, inaccessa in rupibus castella, velut avium receptacula. Si desit Commeatus, tumultuatur miles, detrectant imperium Centuriones; imperare nihil audet Dictator: jacet disciplina militaris: nihil non solùm præclarè, sed ne quidem vulgare geritur. Denique, penjuriâ commeatus coguntur ad indignas conditiones nnmerosissimi exercitus, exuuntur castris, veniunt in manus hostium, jugum admittunt, aut trucidantur, ut canes, postquam circumierunt civitatem, famem passi, ut canes. Misera conditio, & pudenda dum hostis insequitur & ridet umbras famelicas.

OB hanc caussam summæ censetur prudentiæ, & quæ belli Ducem reddit immortalem, suisque gratissimum, si prospiciat Militi de commeatu, ut nunquam desit in castris annona, sit abundè panis, non deficiat unquam alimonia. Nam pugnare cum ventre, & hoste censetur ἀδύνατον. Hinc inter præcipua Militiæ munia est Procuratio commmeatus, quam habet Structor, seu Præfectus annonæ. Qui titulus in Republicâ Romanâ fuit inter præcipuos. Quare unum quempiam de principibus Reip. viris deputabant sapientes illi Politici ad curandam annonam. Et primum annonæ Præfectum, reperi fuisse L. Minutium, (a) eo tempore, quo tanta urbem egestas invasit, ut multi ex plebe capitibus involutis se in Tiberim projecerint. Cujus quidem Præfecturæ tanta postmodum æstimatio fuit ac dignitas, ut Magno Pompeio, (b) post debellatum Orientem, tresque orbis partes subactas, delata fuerit, multumque ei gloriæ addiderit. Præsertim, cùm frumenti plurimum è Siciliâ & Sardiniâ comportari curaret ad famelicam urbem: ingenti autem tempestate obortâ, cùm nautæ cunctarentur, anchoras sustulit & clamavit, navigandi necessitas est, non vivendi. Sed majorem nemo laudem habuit à Præfectura illa optimè administrata, quàm Josephus, qui cùm in Ægypto à Pharaone illius administrationem accepisset, ita eo munere functus est, eaque sedulitate & prudentia omnia est exequutus, ut vocatus fuerit Ægyptiorum linguâ, SALVATOR MUNDI. (c) Quomodo, qui in Militiâ procurat semper annonæ copiam abundantem, appellari meretur SERVATOR EXERCITUS.

MEM-

(a) *Tit. Liv.* (b) *Plinius Panegy.* (c) *Genes* XLI. 47.

MEMBRVM II.
EVCHARISTIA
Commeatus militaris, quà *PANIS.*

CHRISTO Domino, tanquam summo Militiæ Sacræ Imperatori prima cura fuit, antequam Milites suos emitteret, prospicere de Annonâ, quam usque adeò copiosam in suis castris esse voluit, ut non solùm non posset deficere, sed ne quidem ullâ in parte diminui. In eâ autem primum locum obtinet EVCHARISTIA. De quâ cùm toto hoc octiduo personent templa, fora, cathedræ, plateæ, campi, sylvæ, Oratoria, religio mihi esset tacere in hoc sacris commentationibus destinato sacrario. Sed ne vel latum unguem ab instituto meo deflectam, non tractabo de Eucharistiâ, nisi quatenus est COMMEATVS MILITARIS. Nomine autem Commeatus designatur imprimis PANIS, tum alia cibaria, & quælibet esculenta ac poculenta ad alimoniam, & sustentationem exercitus. Inde *Miles commeatilis*, qui in stipendij partem accipit alimenta ex commeatu. id est, ex alimento publico. De quo loquuntur Leges Justinianææ, *(a)* dum prohibent, ne de commeatilibus militum, aut eorum stipendijs lucrum faciant Præfecti. Item, ne audeant Duces, aut Tribuni, commeatilem de ipsis dimittere, ne dum sibi lucrum student conficere, in custoditas relinquant provincias, ut loquitur Imperator. Jam verò. Commeatum Militum Christianorum, spiritualiter in sacrâ Militiâ bellantium esse EVCHARISTIAM dubitari non potest, cùm omnia illa contineat, quæ ad alimoniam pertinent. Sed pedetentim progrediendum est, & paullò accuratius examinandum, Quomodo *Eucharistia*, & in quibus cum Commeatu conveniat.

IMPRIMIS autem est PANIS. *(b) Ego sum* Panis *vivus* Joannis VI. Panis, *quem ego dabo Caro mea est,* Joannis VI. *Hic est* Panis, *qui de cælo descendit,* Joannis VI. An Panis tantùm? nequaquam, sed ciborum genus omne. Hinc simpliciter apud Evangelistam Joannem eodem capite dicitur CIBVS. *Caro mea verè est Cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Quamobrem Concilium Oecumenicum Tridentinum Sessione XIII. cap. 2. docet, *Sacramentum* Eucharistiæ *esse institutum, tanquam spiritualem animarum* CIBVM, *quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit*: Qui manducat me, & ipse vivet propter me, *Joannis* VI. 58 Addunt Patres Concilij, esse quoque institutum, ut ANTIDOTVM, *quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* EVCHARISTIA est

(a) *Just. de Præfect. Prætor. Afr. l. quæ Dei.* (b) *Joan. VI. 41. 52. 59. 56.*

est Panis (sed Sacer, & TRANSVBSTANTIATVS) non tantùm, quia habet speciem Panis, sed etiam, quia ad omnem cibum adhibetur panis. Unde Panis à pascendo quibusdam dicitur. Hinc & ab Hebræis, quilibet cibus ac pabulum vocatur Panis: Eucharistia autem omnimodo pabulo animam pascit. Nec male Panis Eucharisticus, à Græco πᾶν, id est, *omne*, derivatur, non tantùm quod omnibus pulmentis adhiberi possit, sicut panis quotidianus, qui nullum obsonium facit gustatu ingratius; sed quod revera omnis alimenti vicem subeat, ac virtute sit cibus omnis omnem in se continens saporis suavitatem. Hic PANIS verius, quàm vulgaris pro *Annona* sumitur. Quo modo usurpatur aliquando apud Jurisperitos. Ut cùm Justinianus in Authentica de non alienand. §. *Hac ergo* à Fisco percipiendos reditus, *Annonam civilem* appellat. Idemque Imperator in L. ultima de Jure dotium, & in L. Hac edictali, §. His illud Cod. de secundis nuptijs *Panem civilem* vocat. (a)

(a) *Alciatus I.C. Hotomannus in Lexico.*

MEMBRVM III.
EVCHARISTIA
Commeatus militaris, quà
FRVMENTVM.

QUI de Commeatu Romanorum exactissimè scripsit Polybius historicus nominat illum *Frumentum*. Frumenti autem genera, ut scribit Plinius hæc vulgatissima sunt, *Far*, quod adoreum dixerunt veteres, *Siligo*, *Triticum*, *Hordeum*. Hinc Panis militaris fuit *frumentaceus*, nempe, ex frumento. Atque idcirco multi apud Romanos erant frumentarij negociatores, ac mercatores. qui frumenta comparabant, ac vendebant. Et mittebatur aliquando miles frumentatum: nimirum, ut frumentum colligeret, tuncque dicebatur *Frumentator*. Inde verbum castrense, *Frumentatio*, quo significabatur egressio militum ad frumentum in castra congerendum. Eandem denominationem quam Romanorum Commeatus, habet etiam Militiæ Christianæ, quâ quidem usus est Zacharias Propheta capite IX. ubi cùm egisset de Apostolis, virisque Apostolicis, tanquam animosissimis, & ad bella Domini instructissimis Militibus, subjungit: *Quid enim bonum ejus*? nempe, populi, ac exercitus illius: *quid pulchrum ejus*? quid faciet eum fortem? quid animosum? quid venustum? *nisi* FRVMENTVM ELECTORVM, *& Vinum germinans Virgines*? Hic illius Commeatus, hic cibus castrensis, hic Panis militaris, quo aletur, augescet,

gescet, roborabitur; quo tanquam adipe, ac pinguedine replebitur. Caussa, cur Apostoli, ac eorum sequaces sint futuri Sagittæ, ac jacula fulgurantia, quod præcesserat apud Prophetam. & cur omnes gentes sternent, sibique subjicient, erit robur, quod eis dabit DEVS, dum pascentur *Frumento electorum*. & bibent *Vinum germinans Virgines*.

QVODNAM illud *Frumentum*? Quodnam *Vinum*? Omitto Rabbinorum sensus, quippe viles & terrenos. Designatur à Prophetâ planè ad litteram, ut sentiunt præclari Interpretes, S. Hieronymus, Remigius, Haymo, Lyranus, Ribera, Castrius, Cornelius, alij, EVCHARISTIA, in quâ Corpus Christi Domini sub specie panis è frumento confecti, vi consecrationis, nimirum, verborum CHRISTI, realiter ac substantialiter præsens sistitur. Quod Apostolos, ut Duces, ac fideles ceteros, ut Milites, nutrit, corroborat, & inflammat ad præliandum prælia Domini, eosdemque à terrenis desiderijs ad cælestia traducit, ac elevat. Dicitur autem EVCHARISTIA *Bonum*, vel, ut vertit Pagninus, & Vatablus, *Bonitas* Christi: tum quia Christus in eâ summâ bonitate, summum bonum, nimirum se ipsum, quantus quantus est, nempe, Deitatem cum Humanitate Militibus suis communicat, & dat in escam: tum quia Eucharistia tam perfectus est cibus, ut nihil ei desit: tum quia, ea adeptâ, tanquam commeatu, nihil bonus miles amplius desiderare potest. Eadem dicitur *Pulchrum*, & *Pulchritudo* Christi. Tum *Substantiâ*, quia substantialiter exhibet Christum. Qui, quà DEVS, est Verbum, Imago, Pulchritudo Patris: quà Homo, est *Speciosus forma præ filijs hominum*. Tum caussalitate & effectu, quia tanquam flos frumenti, uinumque generosissimum, efficit in sumentibus floridam juventam, elegantissimamque formam interiorem, quæ exterius etiam sæpe effulget. Cum enim *pulchra sit casta generatio cum claritate*, Sapientiæ IV. refunditur frequenter hæc claritas etiam ad exteriora. Tum Sacramento, quoniam species panis ac vini, repræsentant Militibus suis Christum in Cruce immolatum: scilicet, Corpus à sanguine separatum; quippe occisum & mortuum. O pulcherrimam Victimam! ô speciem elegantissimam! Quid pulchrius Christo in Cruce?

CHRISTVS fateor, est pulcher in cælo, pulcher in terrâ, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher in flagellis, pulcherrimus pro suis Militibus in Vexillo Crucis. Quid ergo ejus bonum? quid pulchrum nisi *Frumentum electorum*, & *Vinum germinans Virgines*? temperatos, sobrios, castos, Virgineos Milites. Verè EVCHARISTIA est bonum ac Pulchrum DEI, & Christi, nec minus nostrum: adeò, ut nihil melius pulchriusque nobis dare possit, bonorum Optimus & & pulchrorum Pulcherrimus. Eleganter de eâ Poëta Christianus:

 Sanctum,

Sanctum, augustum, almum, cæli admirabile munus,
Per Te melliflui rorant dulcedine montes.
Per Te melliflua complentur nectare valles.
Ipse Amor, ipse animis nostris innexa Voluptas.

MEMBRUM IV.
EUCHARISTIA
Quà Commeatus, apparat
CONVIVIUM MILITARE.

EX Commeatu instruitur Convivium, quod eo est splendidius, quo osculenta & poculenta magis lauta. Quid autem lautius, sapidius, palatoque gratius, quàm *Panis Angelorum*, qui pinsitur ex Frumento Electorum? Estque esca, nec humana solùm, nec Angelica tantùm, sed etiam Divina, quæ Militibus Christi apponitur. *Escam dedit timentibus se.* (*a*) Quam escam? *Panem cæli dedit eis: Panem Angelorum manducavit homo.* (*b*) O Sacrum CONVIVIUM, *in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis: mens impletur gratia: & futura gloria nobis pignus datur!* O quàm suavis est Dominus Spiritus tuus, *qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares Pane suavissimo de cælo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.* Est hoc Convivium Militare, institutum ad animandos, & conjungendum inter se, & cum Duce suo Milites, ad robur eorum augendum, ad victoriæ certam fiduciam ingenerandam. Idcirco tam frequenter celebratur. Reprehensus olim fuit Paulus Æmylius, (*c*) nominatissimus Romani exercitus Ductor, quod nimis frequens esset in convivijs, eo potissimùm tempore, quo ad disciplinam militarem juvenes formare deberet: & exciperet in cænaculum, quos in arenâ & campo exercere conveniebat. Quod ut intellexit, adversarijs ipse suis respondit graviter: Militaria se convivia instituere, quibus non minus, quàm armis Rempublicam muniri ac conservari oporteat. Quoniam si armis inimici perduntur, convivijs militaribus amici parantur.

ID etiam-num obtinet in minimè sordidis bellorum Ducibus, quibus mensa opipara, vel solo pane dapsilis, & vini haustulo, more militari, stipatur coronaturque commilitonibus. Hoc autem multo magis de Divina Christi mensa ac Convivio licet asserere, quo intimè ad hostis excidium uniuntur convivæ, dum Christo, cujus sunt membra, divinitus copulantur, & spe certissima gloriosi conflictus implentur. Adhibentur autem illi ad hoc Convivium, quos Christus sibi se legit ad Exercitum suum conficiendum,

(a) *Psal. CX. 5.* (b) *Psal. LXX. 7.* (c) *Plutarch. in Paul. Æmyl.*

dum, Mundumque & hostem infernalem subjungandum. Nam in eo apponitur pro primo, secundo, tertio missu, immò & pro bellarijs, ac tragematis FRVMENTVM ELECTORVM. Hebraicè est בחורים *bachurim*, quod LXX. Interpres, Syrus, Arabicus, Vatablus, Pagninus vertunt, *Iuvenum*, nempe illorum, qui idonei sunt ad Militiam. Siquidem ad opera laboresque bellicos præ senibus eliguntur, ac seponuntur juvenes, quippe magis vegeti. EVCHARISTIA igitur, quæ est *Commeatus* noster rectè nominatur *Frumentum*, & quidem *Electorum*. Tum quia est illorum qui à Duce supremo *Electi* fuerunt in suam Militiam. Tum quia facit *Electos*, alacres, incitatos, fortes, animosos, ad omnem expeditionem, & quodvis prælium idoneos. Tum quia ostendit *Electos* esse istiusmodi Milites ad vitam æternam, distinctosque à *Reprobis*, ut colligitur ex S. Joanne cap. VI. Et sanè Electionis ad gloriam signum est sacra hujus Commeatus frequens participatio, ut Theologi demonstrant.

MEMBRVM V.

EVCHARISTIÆ

Quà Commeatus militaris

DISTRIBVTIO.

IN Militia certo designatoque tempore distribui solet Commeatus. Quod apud Romanos fiebat singulis mensibus, & quidem Kalendis cujusque, ut reor. Et tunc dicebantur Militibus frumentum admetiri, quorum hoc erat munus. Sic, *diem instare, quo militibus frumentum metiri oporteret*, scribit Cæsar lib. I. Belli Gallici. Idem libro VIII. *Post diem septimum se reversurum confirmat, quam ad diem legioni, quam in præsidio relinquebat deberi frumentum sciebat*, ut admetiendo ei distribueretur. Utile profectò institutum, ut Militi nunquam deesset victus, ne inopiâ alimoniæ cogeretur ad rapiendum, vel stationem deserendam. Melior sors in Militiâ sacrâ est Militum Christianorum, quibus quotidie distribuitur annona, si expetant, & sit necessarium, ab Episcopis & Parochis, qui huic rei præsident, ut olim in castris Præfecti. Fiebat ea distributio primis Ecclesiæ temporibus, Pontificis decreto, quot diebus. Sed postquam primævus ille fervor refrixit; constitutum est, lege latâ, ut quot annis, tempore Paschali omnibus Militiæ sacræ adscriptis, id est, fidelibus ætatem militarem habentibus admetiatur Curator rei frumentariæ debitam singulis portionem. Sed ô vos felices! quibus quolibet mense, immò, hebdomade fit, nisi negligatis ipsi, divini Commeatus distributio.

PORRO,

post multa, ejus ope, præclara contra hostem infernalem edita facinora, & strenuitatis invictæ documenta, ad Christiani *Centuriatus* decus perveniamus. Quod utinam fiat, ad ejus gloriam, cui bonam militemus in hac mortalitate militiam, DEI PATRIS & FILII & SPIRITVS-SANCTI. AMEN.

NOTÆ.

In quibus Auctores, & Prætermissa.

§. I. CENTVRIO.] *Dicebatur apud Romanos qui centum peditibus præerat: In Exercitu autem omnes suo Centurioni, Centurio Tribuno, Tribunis Legato, Legatus Consuli, seu Imperatori obediebat. Seorsim verò Magister equitum soli Dictatori obtemperabat. Porrò, quia observatum erat, commisso prælio, acies facilè turbari, ut hoc incommodum evitaretur, cohortes in Centurias diviserant Romani, & singulis Centurijs singulos Centuriones præfecerant. Qui antiquis temporibus* Centurioni *vocabantur: quemadmodum Decuriones Decurioni.*

COHORTES *in Exercitu deceme rant, in singulis legionibus, Sed prima, quæ reliquas, & numero militum, & dignitate præcedebat,* Aquilam *habebat. Hujus Cohortis* Centuriones *cæteris Centurionibus digniores habebantur. Prima Centuria* Primipilum *vocabatur; quod circa signa gravis armaturæ constituta esset, in qua, inter cetera armorum genera hastile erat pedum quinque, & semissis, quod* Pilum *nominabant; cui ferrum erat trigonali forma novem unciarum. Dicebatur* Pilum *à perimendo, quasi perillum: eratq́; Telum Romanorum, sicut* Gesum *Gallorum,* Sarissa *Macedonum.* Centurio, *Primipili Centurio dicebatur, aut* Primiqilus. *Hic non modò Aquilæ præerat, sed quattuor Centurias, seu quadringentos milites in primâ acie gubernabat: & tanquam princeps totius legionis merita consequebatur & commoda. Martialis.*

Grata pudens meriti tulerit cùm præmia pili.

COHORS *primitus erat decima pars legionis, constans quinquaginta Manipulis:* Manipulus *autem* XXV. *militibus. Quare* Cohors *constabat mille ducentis quinquaginta Militibus:* Legio *duodecim millibus & quingentis, ut patet ex* Cæsare *lib.* VI. *de bello civili Velleio libro* 2. *& alijs. Postea uti Legionis, ita Cohortis numerus fuit imminutus, idq́; variè pro varietate temporum & locorum. Tandem,* Legio *redacta fuit ad sex millia & sexcentos. Contrà,* Centuria, *licet initio constaret centum militibus, tamen varijs de causis fuit adauctus. Nunc* Cohors *vulgo vocatur* Regimentum, *Gallico vocabulo. Legendi, Vegetius, lib.* 2. *cap.* 6 Iustus Lips. *lib.* 2. *dialogo* 8. Valtrinus *lib* 2. *cap.* 10. *&* 11. Nicolaus Serarius *Iosue* 1. *cap.* 8. *q.*1. *Theatrum vitæ humanæ, Verbo,* Magistratus. *Ver.* Militia. *Ver.* Bellum, *ubi accuratè dividitur Exercitus, & nominantur omnis generis, Præfecti, ab Imperatore, usq́; ad Decanum, Quintanum, Quartanum, & contubernij Custodem. Nomina quædam recentia Præfectorum Militiæ, quæ nunc sunt in usu, suppeditat Famianus*

Strad

Strada de Bello Belgico Decade 1. & 2. in qua est peculiaris titulus, explicans voces aliquot militares in eo opere usurpatas. Denique, Nomenclator octilinguis Adriani Iunij, & Hermanni Germbergij omnium officiorum, immò rerum militarium, propria nomina ponit & explicat cap. XLII. *de Militaribus Officiarijs, & cap.* XLIII. *de Militaribus rebus.*

§. II. CENTENARIVS numerus perfectus.] *Centenarium boni, ac perfecti præsagium habere somniorum interpretes olim existimabant. Admirandum est, & ingeniosum quod habet* Artemidorus *lib. 3. Oneirocritica cap. 34. Docet is ex disciplinâ quam profitebatur, de somniorum explicatione; per singulas litteras singulatim conspectas divinationem capi. Et postquam dixisset,* Vocales *significare timores, & turbationes* Semivocales *autem, res quidē & actiones nō impedire, timores tamē inducere: Mutas neq. timores, neque actiones inducere; agit de littera ϙ quā pronūciat, portendere felicitatē ob numerationē. Siquidē ad Græci numeros in dicādos utūtur Alphabeto in tres classes diviso: quarū prima est unitatū, ab α ad iota: altera denariorum à κάππα, usque ad ϙ tertia Centenariorum ab ϙ usque ad finem alphabeti. Tum ita docet ille somniorum Interpres, ϙ hic qui ad actionem animum advertunt, bona, est propter numeri Centenarij bonitatem, perfectionemq. Addit alia, quæ eò tendunt, ut persuadeatur, numerum Centenarium bonum perfectumq. indicare. Quamvis autem vana sint, nec titivilitio emenda ad usum, ut pleraque illius Scriptoris; haud vanè tamen adducuntur ad firmandam persuasionem communem, de bono ac perfecto, quod latet in numero* Centum. *De quo lege solidiora in* Petro Bongo, & Alfonso Salmerone, *illo in lib. de numerorum myster. hoc in Prolegomenis Sacræ Scripturæ.*

§. III. HOMO Perfectus. Perfectio. *Legendi, qui scripserunt de Perfectione Evangelicâ, Religiosa: de Perfectione præcepti & consilij: de Perfectione status cujuslibet.* Iacobus Alvarez Paz, Bernardinus Rosignolius, Francis. Salas, Hieronym. Platus, *qui lib. 1. de bono status Religiosi docet, 1. Perfectionem in omni re esse amabilem, maximè in anima. 2, duplicem esse in Christiano. 3. Ad perfectionem omnes Christianos obligari. 4. Vix adquiri posse, nisi relictis omnibus terrenis. 5. Summam esse in statu religioso.*

§. IV. MAGISTRATVS Militaris.] *De hoc & varijs, qui in exercitu præsunt appellationibus, nominibus, ac titulis, legendi,* Alexander ab Alexandro *lib. 5. & 6.* Sabellicus *lib. 5. Ennead.* Sigonius *de Regno Ital.* Cælius *lect. ant.* Iulius Cæsar Bullingerus. *Ex quibus alijsq. Catalogum texit, & ob oculos ponit* Laurentius Beyerlinck *in Theatro, titulo. Magistratus, & tit. Bellum.*

§. V. DVX Militaris, belli, exercitus.] *Inspice* Theatrum vitæ. *Verbo.* Bellum. *Tit.* Dux. Imperator: Ducum Militarium ordines, genera. *Verbo* Magistratus. *Tit.* Duces, Comites. Tribuni Militares. *Verbo*, Dux. Duces. Ducenarij. *Tit. Quadraginta septem Monita historica pro Ducibus. Præcepta Leonis M. Imperatoris data filio, de exercitu formando, ordinando, & ducendo: & de qualitatibus Imperatoris, quæ sunt in Tacticis Leonis perfectè editis à Ioanne Muersio Batavo. Consulatur etiam Onosander in Stratag. Denique extant de Boni Ducis ac Imper. Virtutibus, & conditionibus Monastica nonnulla, quæ leges in Theatro. Litt. D. pag.* 431.

§. VI. DVX & CENTVRIO CHRISTIANVS.] *Hunc egregiè format, ac instruit* Ferrandus *Carthaginensis quondam Ecclesiæ Diaconus, Scriptor, ante M. C. pluresq. annos celebris. nam floruit*

ruit anno Christi D.Parænetica ad Regnum Romanæ Militiæ Ducem pro conservanda in Præfectura militari innocentia: Sive, qualis esse debeat Dux Christianus in actibus militaribus. Post præfationem protrepticam, sunt ista libelli capita. I. Septem Regulæ ad septem Spiritus-Sancti Dona accommodatæ. II. Duci Militiæ in primis necessaria in DEUM fiducia, & omnis odium arrogantiæ. III. In Duce requiritur vita exemplaris. IV. S. Ioannis Baptistæ fidelissima pro Ducibus & Militibus monita. V. Dux habeat sibi propositum finem, & assiduum studium, ut subditis prosit. VI. Dux inferior, ut Centurio, conetur prodesse suis, intercessione apud Superiorum. VII. Dux bonus commissum sibi exercitum, centuriam, cohortem, quantoperè debeat diligere. VII. Duci Militari commendatur amor in sibi commissas copias ex amore, quem debet DEO IX. Ducis Militaris Christiani præcipua cura sit Catholicæ fidei integritas. X. Ducis Militiæ boni, quomodo resecentur vitia, augeantur virtutes. XI. Duci Militari servanda est in juramentis fidelitas XII. Veritati constanter insistendum. XIII. Dux Militaris, quomodo moderatione justitiæ DEO possit placere & hominibus. XIV. Probatur Pietas Duci exercitus ad omnia utilis.

IN his continentur septem Innocentiæ pro Duce Christiano præcepta, sive Regulæ, quæ Auctor fusius probat, & diducit. Prima est, quam tenere inter actus debes militares, ut nihil viribus tuis superbus adsignes; sed omnia, quæ sapienter, fortiter, ac feliciter geris, ad laudem referas potentissimi Creatoris. Secunda. In Duce militaribus actibus occupato, quasi in speculo, Milites videant, quid agere debeant. Et magis eos imitatio ad bonum provocet, quam potestas. Dux enim Sapiens illuc debet ire, quo cupit ducere subditos: ideò enim dicitur Dux, quia ducit. Tu ergo esto Signifer disciplinæ sanctissimæ: Tu erige trophæum virtutis intuendum jugiter ceteris: Tu imitandus appare; præsertim in tribus quæ Baptista optimus Militum Magister præscribit: I. Ut neminem per te, vel per tuos concutias. II. Ut nulli calumniam per te, perq; tuos facias. III. Ut stipendiis tuis sis contentus. Tertia Innocentiæ Regula est. Sic præsis, ut prosis: prodesse autem videberis, si tempus & locum tuæ administrationis intelligas.

Quarta. Diligas exercitum, regnum, rempublicam, sicut te ipsum caritate libera: ut dilexit Dux Moses suos, & populum, orans pro eo deleri de libro vitæ, Exodi XXXII. & Rex David in peste dicens Angelo percutienti: Convertatur manus tua in me, & in domum patris mei: isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Lib. 2. Regum 24. Quinta. Deficiat temporibus administrationis tuæ peccantium Synagoga, crescat electorum numerus: gaude ad lucra Christi, dole de dispendiis. Sexta. Quicquid dixeris, gesseris, disposueris, fac ut Deo & hominibus placeas: ac fervore caritatis mirabiliter iniquitatis frigus excludas. Noli esse multum justus: neque sapiens plus quam necesse est. Nimirum: Esto justus, ut corripias inquietos: noli esse multum justus, ut consoleris pusillanimes: ut suscipias infirmos: & patiens sis ad omnes. Considera ergo quibus imperes, & quàm dura corda flectere cupias, ut modò minando, modò feriendo, modò veniam largiendo, nullatenus quidem remanere impunita Militum peccata dimittas; neque tamen semper excessibus eorum supplicia condigna retribuas, dicens tibi ipsi: Noli esse multum justus. Septima regula. Pietas ad omnia Duci utilis est: gubernationi exercitus & reipublicæ, securitati, saluti, concordiæ plus prospicitur, quando Dux optimus amari eligit, non timeri. Dux amabilis murus est exercitus & patriæ. Pius esto bonus, quam

quàm severus. Est Ducis optimi perfecta laus, oblivisci semper injurias.

Huic libello parænetico ad Duces Militiæ, conjunctus est alius, cujus inscriptio, Practica instructio, seu Lydius Lapis probæ gubernationi Reipublicæ explorandæ aptatus, qui continet certissimas quasdam regulas è SS. Litteris desumptas, ad quas, ceu Lydium lapidem adhibita hominum ingenia dignosci possunt, & judicari, an idonei sint, vt gubernationi, sive politicæ, sive militari admoveri queant. Utiùs sanè, vt Præfecturæ in Republica vel Militia haud malè committantur.

LIBER IV.

COMMEATVS
Militiæ Christianæ
EVCHARISTIA.

Parasti in conspectu meo Mensam adversus eos, qui tribulant me. Psalm. XXII. 5.

PRÆFECTVS ANNONÆ.

COMMENTATIO I.

EVCHARISTIA

Commeatus. Cibus Castrensis. Panis Militaris.

MEMBRVM I.
NECESSITAS COMMEATVS.



IHIL penè magis ad Militiam est necessarium, quàm COMMEATVS. Sine Commeatu flaccessit militis corpus, concidit animus, jumenta intereunt, robur omne deperit, exercitus dissipatur, homines moriuntur, ut pecudes. Qui supersunt, tanquam umbræ, in castris obambulant, aut jacent passim per campos & tentoria, commilitonibus ad commiserationem, hostibus ad insultationem, & ludibrium. Sine commeatu nihil facit ad victo-

 riam,

riam, quamvis fortissimus peditatus; non multum prodest, licet munitissimus equitatus, nihil ad victoriam confert sociale auxilium, nihil ardor civium, nihil Ducum prudentia, nihil astus, stratagemata, consilia bellica. Sine commeatuá frustr sunt galeæ ex ære, acinaces ex chalybe, loricæ ex ferro: frustrà gladij, pugiones, sarissæ: frustrà clypeus, scutum, pelta; frustrà balistæ, sclopi, fistulæ æneæ, machinæ, tormenta bellica: frustrà panoplia omnis. Defectu commeatus, capiuntur deditione munitissimæ urbes, arces humana vi inexpugnabiles, inaccessa in rupibus castella, velut avium receptacula. Si desit Commeatus, tumultuatur miles, detrectant imperium Centuriones: imperare nihil audet Dictator: jacet disciplina militaris: nihil non solùm præclarè. sed ne quidem vulgare geritur. Denique, penjuriâ commeatus coguntur ad indignas conditiones numerosissimi exercitus, exuuntur castris, veniunt in manus hostium, jugum admittunt, aut trucidantur, ut canes, postquam circumiecrunt civitatem, famem passi, ut canes. Misera conditio, & pudenda dum hostis insequitur & ridet umbras famelicas.

OB hanc caussam summæ censetur prudentiæ, & quæ belli Ducem reddit immortalem, suisque gratissimum, si prospiciat Militi de commeatu, ut nunquam desit in castris annona, sit abundè panis, non deficiat unquam alimonia. Nam pugnare cum ventre, & hoste censetur ἀδύνατον. Hinc inter præcipua Militiæ munia est Procuratio commmeatus, quam habet Structor, seu Præfectus annonæ. Qui titulus in Republicâ Romanâ fuit inter præcipuos. Quare unum quempiam de principibus Reip. viris deputabant sapientes illi Politici ad curandam annonam. Et primum annonæ Præfectum, reperi fuisse L. Minutium, (a) eo tempore, quo tanta urbem egestas invasit, ut multi ex plebe capitibus involutis se in Tiberim projecerint. Cujus quidem Præfecturæ tanta postmodum æstimatio fuit ac dignitas, ut Magno Pompeio, (b) post debellatum Orientem, tresque orbis partes subactas, delata fuerit, multumque ei gloriæ addiderit. Præsertim, cùm frumenti plurimum è Siciliâ & Sardiniâ comportari curaret ad famelicam urbem: ingenti autem tempestate obortâ, cùm nautæ cunctarentur, anchoras sustulit & clamavit, navigandi necessitas est, non vivendi. Sed majorem nemo laudem habuit à Præfectura illa optimè administrata, quàm Josephus, qui cùm in Ægypto à Pharaone illius administrationem accepisset, ita eo munere functus est, eaque sedulitate & prudentia omnia est exequutus, ut vocatus fuerit Ægyptiorum linguâ, SALVATOR MUNDI. (c) Quomodo, qui in Militiâ procurat semper annonæ copiam abundantem, appellari meretur SERVATOR EXERCITUS.

MEM-

(a) *Tit. Liv.* (b) *Plinius Panegy.* (c) *Genes* XLI. 47.

MEMBRVM II.
EVCHARISTIA
Commeatus militaris, quà
PANIS.

CHRISTO Domino, tanquam summo Militiæ Sacræ Imperatori prima cura fuit, antequam Milites suos emitteret, prospicere de Annonâ, quam usque adeò copiosam in suis castris esse voluit, ut non solùm non posset deficere, sed ne quidem ullâ in parte diminui. In eâ autem primum locum obtinet EVCHARISTIA. De quâ cùm toto hoc orbe diduo personent templa, fora, cathedræ, plateæ, campi, sylvæ, Oratoria, religio mihi esset tacere in hoc sacris commentationibus destinato sacrario. Sed ne vel latum unguem ab instituto meo deflectam, non tractabo de Eucharistiâ, nisi quatenus est COMMEATVS MILITARIS. Nomine autem Commeatus designatur imprimis PANIS, tum alia cibaria, & quælibet esculenta ac poculenta ad alimoniam, & sustentationem exercitus. Inde *Miles commeatilis*, qui in stipendij partem accipit alimenta ex commeatu, id est, ex alimento publico. De quo loquuntur Leges Justinianæ, *(a)* dum prohibent, ne de commeatilibus militum, aut eorum stipendijs lucrum faciant Præfecti. Item, ne audeant Duces, aut Tribuni, commeatilem de ipsis dimittere, ne dum sibi lucrum student conficere, in custoditas relinquant provincias, ut loquitur Imperator. Jam verò. Commeatum Militum Christianorum, spiritualiter in sacrâ Militiâ bellantium esse EVCHARISTIAM dubitari non potest, cùm omnia illa contineat, quæ ad alimoniam pertinent. Sed pedetentim progrediendum est, & paullò accuratius examinandum, Quomodo *Eucharistia*, & in quibus cum Commeatu conveniat.

IMPRIMIS autem est PANIS. *(b) Ego sum* Panis *vivus* Joannis VI. Panis, *quem ego dabo Caro mea est*, Joannis VI. *Hic est* Panis, *qui de cælo descendit*, Joannis VI. An Panis tantùm? nequaquam, sed ciborum genus omne. Hinc simpliciter apud Evangelistam Joannem eodem capite dicitur CIBVS. *Caro mea verè est Cibus, & Sanguis meus verè est potus*. Quamobrem Concilium Oecumenicum Tridentinum Sessione XIII. cap. 2. docet, *Sacramentum* Eucharistiæ *esse institutum, tanquam spiritualem animarum* CIBVM, *quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit*: Qui manducat me, & ipse vivet propter me, *Joannis VI. 58* Addunt Patres Concilij, esse quoque institutum, ut ANTIDOTVM, *quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur*. EVCHARISTIA est

(a) *Just. de Præfect. Prætor. Afr. l. quis Deo.* (b) *Joan. VI. 41. 52. 59. 56.*

est Panis (sed Sacer, & TRANSVBSTANTIATVS) non tantùm, quia habet speciem Panis, sed etiam, quia ad omnem cibum adhibetur panis. Unde Panis à pascendo quibusdam dicitur. Hinc & ab Hebræis, quilibet cibus ac pabulum vocatur Panis: Eucharistia autem omnimodo pabulo animam pascit. Nec male Panis Eucharisticus, à Græco πᾶν, id est, *omne*, derivatur, non tantùm quod omnibus pulmentis adhiberi possit, sicut panis quotidianus, qui nullum obsonium facit gustatu ingratius; sed quod revera omnis alimenti vicem subeat, ac virtute sit cibus omnis omnem in se continens saporis suavitatem. Hic PANIS verius, quàm vulgaris pro *Annona* sumitur. Quo modo usurpatur aliquando apud Jurisperitos. Ut cùm Justinianus in Authentica de non alienand. §. *Hac ergo* à Fisco percipiendos reditus, *Annonam civilem* appellat. Idemque Imperator in L. ultima de Jure dotium, & in L. Hac edictali, §. His illud Cod. de secundis nuptijs *Panem civilem* vocat. (a)

(a) *Alciatus I.C. Hotomannus in Lexico.*

MEMBRVM III.

EVCHARISTIA

Commeatus militaris, quà

FRVMENTVM.

QUI de Commeatu Romanorum exactissimè scripsit Polybius historicus nominat illum *Frumentum*. Frumenti autem genera, ut scribit Plinius hæc vulgatissima sunt, *Far*, quod adoreum dixerunt veteres, *Siligo*, *Triticum*, *Hordeum*. Hinc Panis militaris fuit *frumentaceus*, nempe, ex frumento. Atque idcirco multi apud Romanos erant frumentarij negociatores, ac mercatores. qui frumenta comparabant, ac vendebant. Et mittebatur aliquando miles frumentatum: nimirum, ut frumentum colligeret, tuncque dicebatur *Frumentator*. Inde verbum castrense, *Frumentatio*, quo significabatur egressio militum ad frumentum in castra congerendum. Eandem denominationem quam Romanorum Commeatus, habet etiam Militiæ Christianæ, quâ quidem usus est Zacharias Propheta capite IX. ubi cùm egisset de Apostolis, virisque Apostolicis, tanquam animosissimis, & ad bella Domini instructissimis Militibus, subjungit: *Quid enim bonum ejus* ? nempe, populi, ac exercitus illius *: quid pulchrum ejus* ? quid faciet eum fortem? quid animosum ? quid venustum? *nisi* FRVMENTVM ELECTORVM, *& Vinum germinans Virgines*? Hic illius Commeatus, hic cibus castrensis, hic Panis militaris, quo aletur, augescet,

gescet, roborabitur; quo tanquam adipe, ac pinguedine replebitur. Caussa, cur Apostoli, ac eorum sequaces sint futuri Sagittæ, ac jacula fulgurantia, quod præcesserat apud Prophetam. & cur omnes gentes sternent, sibique subjicient, erit robur, quod eis dabit DEVS, dum pascentur *Frumento electorum.* & bibent *Vinum germinans Virgines.*

QVODNAM illud *Frumentum*? Quodnam *Vinum*? Omitto Rabbinorum sensus, quippe viles & terrenos. Designatur à Prophetâ planè ad litteram, ut sentiunt præclari Interpretes, S. Hieronymus, Remigius, Haymo, Lyranus, Ribera, Castrius, Cornelius, alij, EVCHARISTIA, in quâ Corpus Christi Domini sub specie panis è frumento confecti, vi consecrationis, nimirum, verborum CHRISTI, realiter ac substantialiter præsens sistitur. Quod Apostolos, ut Duces, ac fideles ceteros, ut Milites, nutrit, corroborat, & inflammat ad præliandum prælia Domini, eosdemque à terrenis desiderijs ad cælestia traducit, ac elevat. Dicitur autem EVCHARISTIA *Bonum*, vel, ut vertit Pagninus, & Vatablus, *Bonitas* Christi: tum quia Christus in eâ summâ bonitate, summum bonum, nimirum se ipsum, quantus quantus est, nempe, Deitatem cum Humanitate Militibus suis communicat, & dat in escam; tum quia Eucharistia tam perfectus est cibus, ut nihil ei desit: tum quia, ea adeptâ, tanquam commeatu, nihil bonus miles amplius desiderare potest. Eadem dicitur *Pulchrum*, & *Pulchritudo* Christi. Tum *Substantiâ*, quia substantialiter exhibet Christum. Qui, quà DEVS, est Verbum, Imago, Pulchritudo Patris: quà Homo, est *Speciosus forma præ filijs hominum.* Tum caussalitate & effectu, quia tanquam flos frumenti, uinumque generosissimum, efficit in sumentibus floridam juventam, elegantissimamque formam interiorem, quæ exterius etiam sæpe effulget. Cum enim *pulchra sit casta generatio cum claritate*, Sapientiæ IV. refunditur frequenter hæc claritas etiam ad exteriora. Tum Sacramento, quoniam species panis ac vini, repræsentant Militibus suis Christum in Cruce immolatum: scilicet, Corpus à sanguine separatum; quippe occisum & mortuum. O pulcherrimam Victimam! ô speciem elegantissimam! Quid pulchrius Christo in Cruce?

CHRISTVS fateor, est pulcher in cælo, pulcher in terrâ, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher in flagellis, pulcherrimus pro suis Militibus in Vexillo Crucis. Quid ergo ejus bonum? quid pulchrum nisi *Frumentum electorum, & Vinum germinans Virgines*? temperatos, sobrios, castos, Virgineos Milites. Verè EVCHARISTIA est bonum ac Pulchrum DEI, & Christi, nec minus nostrum: adeò, ut nihil melius pulchriusque nobis dare possit, bonorum Optimus & & pulchrorum Pulcherrimus. Eleganter de eâ Poëta Christianus:

dum, Mundumque & hostem infernalem subjungandum. Nam in eo apponitur pro primo, secundo, tertio misso, immò & pro bellarijs, ac tragematis FRUMENTUM ELECTORUM. Hebraicè est בחורים *bachurim*, quod LXX. Interpres, Syrus, Arabicus, Vatablus, Pagninus vertunt, *Iuvenum*, nempe illorum, qui idonei sunt ad Militiam. Siquidem ad opera laboresque bellicos præ senibus eliguntur, ac seponuntur juvenes, quippe magis vegeti. EUCHARISTIA igitur, quæ est *Commeatus* noster rectè nominatur *Frumentum*, & quidem *Electorum*, Tum quia est illorum qui à Duce supremo *Electi* fuerunt in suam Militiam. Tum quia facit *Electos*, alacres, incitatos, fortes, animosos, ad omnem expeditionem, & quodvis prælium idoneos. Tum quia ostendit *Electos* esse istiusmodi Milites ad vitam æternam, distinctosque à *Reprobis*, ut colligitur ex S. Joanne cap. VI. Et sanè Electionis ad gloriam signum est sacra hujus Commeatus frequens participatio, ut Theologi demonstrant.

MEMBRUM V.

EUCHARISTIÆ

Quà Commeatus militaris

DISTRIBUTIO.

IN Militia certo designatoque tempore distribui solet Commeatus. Quod apud Romanos fiebat singulis mensibus, & quidem Kalendis cujusque, ut reor. Et tunc dicebantur Militibus frumentum admetiri, quorum hoc erat munus Sic, *diem instare, quo militibus frumentum metiri oporteret*, scribit Cæsar lib. I. Belli Gallici. Idem libro VIII. *Post diem septimum se reversurum confirmat, quam ad diem legioni, quam in præsidio relinquebat deberi frumentum sciebat*, ut admetiendo ei distribueretur. Utile profectò institutum, ut Militi nunquam deesset victus, ne inopiâ alimoniæ cogeretur ad rapiendum, vel stationem deserendam. Melior sors in Militiâ sacrâ est Militum Christianorum, quibus quotidie distribuitur annona, si expetatur, & sit necessarium, ab Episcopis & Parochis, qui huic rei præsident, ut olim in castris Præfecti. Fiebat ea distributio primis Ecclesiæ temporibus, Pontificis decreto, quot diebus. Sed postquam primæuus ille fervor refrixit; constitutum est, lege latâ, ut quot annis, tempore Paschali omnibus Militiæ sacræ adscriptis, id est, fidelibus ætatem militarem habentibus admetiatur Curator rei frumentariæ debitam singulis portionem. Sed ô vos felices! quibus quolibet mense, immò, hebdomade fit, nisi negligatis ipsi, divini Commeatus distributio.

PORRO,

PORRO, non omnes in partitione æqualem accipiebant frumenti acervum; sed personarum, munerum, laborum, meritorumque habebatur ratio. Plus dabatur equiti, quàm pediti: amplius quid consequebantur ordinum ductores, quàm gregarij, servatâque analogiâ, duplum aut triplum habebant, qui alios eadem proportione, dignitate, aut familiæ amplitudine superabant. Distribuebatur ergo frumentum, non secundum modum justitiæ commutativæ, sed distributivæ, attendendo proportionalitatem geometricam. Id constat ex Polybio diligentissimo Romanarum rerum observatore & scriptore, qui agens de hac re, (a) *Frumenti modum*, inquit, *accipiunt pedites Attici medimni duas partes, equites medimnos duos*. Suidas & Nepos in vita Attici, sex modios in medimno ponunt: & ita est, ut scriptores omnes de mensuris Romanis asserunt. Itaque pedites accipiebant modios quaternos: id *Dimensum* ipsorum dicebatur: equites duodenos: quia majoris dignitatis, quia servum, aut etiam servos habebant: est autem in capita terna justum dimensum duodecim modiorum cumulus. Simile quid accidit in Commeatus sacri, seu Frumenti electorum distributione. Quamvis enim Sacramentum Eucharistiæ idem sit, eundemque CHRISTUM, & quidem totum contineat; nec major in majore, nec minor in minore sit Hostiâ; & idcirco, quantum iste, tantum ille, ex communicantibus, de Christi Corpore & Sanguine participet, immò etiam de re Sacramenti, id est, Gratia illâ, quæ confertur ex opere operato, sive ex vi tantùm Sacramenti: tamen plus distribuitur illi de alimoniâ spirituali, qui majoris est dignitatis, non temporariæ, non humanæ ac popularis, seu terrenæ, cujus nulla hic habetur ratio, sed æternæ, cælestis, divinæ. Nimirum, plus ille accipit, qui cum majori dispositione accedit; qui se magis ad divinum Sacramentum debitè participandum præparavit; qui exactiorem Confessionem Sacramentalem præmisit; qui ferventiori affectu ad illud tantum bonum adspiravit.

QVIS dubitet, quod plus gratiæ cum participatione Sacramenti, accipiat is Adolescens, qui, ut benè paratus ad Communionem Eucharisticam accedat, pridie, post diligentem conscientiæ excussionem ad Pænitentiæ Sacramentum sese confert, & accuratissimè de peccatis in sacro tribunali Sacerdoti, cui notus est, confitetur. Quod sanè laudabilius est, quàm in ipso die festo, manè, immediatè ante communionem festinanter, præcipitanterque, se exonerare in turbâ, deindeque statim, post ructum illum purulentum & acidum, puritatis Auctorem, in os illud, nondum benè abstersum immittere. Antecedente vespere commodius cum conscientiæ moderatore agitur, qui tunc opportunitatem habet examinandi, instruendi, hortandi, monendi. Qui, dico, hoc facit, ac deinde, vel levius cænat, vel jejunat planè, à verbis non scurrilibus tantùm, sed etiam jocosis ac

(a) *Polyb. ex quo Lipsius lib. 5. Milit. dis. 16.*

ac vanis, quàm diligentissimè cavet: qui ante somnum recordatur, se crastino die ad sacram Mensam accessurum: qui si nocte evigilet, idem facit, animoque volvit, quem sit hospitem recepturus: qui in eum finem libellum aliquem spiritualem legit: qui meditatiunculam de Venerabili, ad id ipsum instituit; qui singulari modestiâ ea propter domo egreditur, per plateas collectis omnibus sensibus ambulat, qui in templo, aut Oratorio Mariano, ante Concionem, & multo magis, dum illa habetur, sine ullo vanitatis, multo minus petulantiæ signo, versatur. Plus, ajo, isti Præfectus Annonæ cælestis admetietur, cum Frumento Electorũ, gratiæ, quàm illi vago, immodesto, immorigero, qui tota septimâ præcedente, nunquam animum ad Sacro sancta mysteria retulit; qui post aliquas præcedentis diei blasphemias, turpiloquia, scurrilitates, è lecto exiliens, vix benè lotus, pexus, vestitus, ad templum, currendo se confert, de peccatis quidem aliquibus, sed vix recogitatis, aut non satis perpensis, nisi fortasse, quantum præcisè ad valorem Sacramenti est necessarium, confitetur: nec aliud curat, quàm, ne communicando cum peccati mortalis conscientiâ, novum sacrilegium committat. Si tamen huc cogitationem reflectat, & non potius, ut officio Sodalis Mariani exterius saltem satisfaciat; aut cum alijs sui ordinis sacræ Mensæ accumbere videatur. Majus est inter hunc & superiorem discrimen in participatione alimoniæ spiritualis, quàm fuerit in distributione militaris frumenti apud Romanos inter equitem & peditem; immò, quàm, inter Ducem supremum, & minimum ex gregariorum, & proletariorum numero Militem. Itaque conandum omnibus, ut quàm optimè parati ad Annonam hanc accipiendam veniant.

AD quod plurimum facit Amor adfectusque peculiaris erga Sanctissimum Sacramentum. Quem ille, vel concipit, vel fovet, qui ingentem ejus in se excitat famem, nempe, ingens desiderium sumendi Panem hunc cælestem. Atque hæc censetur dispositio, sive præparatio optima, unde cetera emanant ad Sacro-sanctam Communionem. Quemadmodum enim ad utiliter sumendum cibum corporeum melior non est dispositio, quàm appetitus, & esuritio, quæ Græcis dicitur ὄρεξις, nec à fame differt: hæc enim quicquid est insipidum facit sapidum, illudque stringit, optimè concoquit, & in succum sanguinemque vertit. Unde est illud vulgate: *Optimum cibi condimentum est fames*, quæ magis, quàm ullæ cupediæ, ulla scitamenta, embammata, vel illinctus suavitatem cibo aspergit. Ita prorsus se res habet in cibo spirituali Eucharistiæ. Quocirca S. Chrysostomus monet accedentem ad Eucharistiam, ut cum tanta aviditate feratur, cum quanta infantes ad ubera matris. *Nonne videtis*, inquit, Hom. LXXXIII. in Matth *quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus cum tantâ nos quoque alacritate ad hanc Mensam, & ad Vbera poculi spiritalis. Quinimmò cum*

 longè

longè majori trahamus, tanquam infantes lactentis Spiritus gratiam, & unus sit nobis dolor, hac esca privari. Ne torpeamus tanti digni caritate, & honore putati. Cogitemus sumendo Eucharisticum Panem, & cum eo Vinum germinans Virgines, nos applicare os nostrum Lateri Christi, ex eoque sugere ac bibere Sanguinem Christi: quod revera facimus.

B. CATHARINA Senensis, commendatur, quod accederet ad Sacram Synaxim orexi tam avida, quàm solet esse infantium famelicorum, aut sitibundorum ad lac maternum: adeò, ut præ fame ac siti optatissimi alimenti, quod simul siccum est, ad sedandam famem, & humidum ad restinguendam sitim, videretur deficere. At unde tanta àviditas? caussam suggerit S. Thomas Aquinas divini Sacramenti amator flagrantissimus, & laudator excellentissimus, *Suavitatem*, inquit, *hujus Sacramenti nullus dignè exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur; & recolitur memoria illius quam in sua Passione Christus monstravit excellentissimæ caritatis.* (*a*) Verùm ego, inquis, rarò, immò, nunquam, mi Pater, illam in animo flammam amoris erga VENERABILE suscitatam animadverti: nec meæ videtur esse potestatis, aut ullius humanæ, ut desiderium tam ardens excitem. Quid mihi ergo faciundum? abstinendum-ne potius à Communione Eucharisticâ, quàm sine illa præparatione accedendum? B. MECHTILDE, Virgo devotissima, à DEO se didicisse non inficiabatur optimam in suo genere ad Eucharistiam dispositionem, DEoque gratissimam esse, ut licet quis in se non sentiat avidam, anhelamque ejus famem, concipiat tamen famis illius appetitum, quod est desiderij desiderium; ac doleat, se non efferuescere, nec sentire, quod maximè vellet, optando vehementer Cibi illius insatiabilem esuriem, & interim orando suppliciter Dominum, ut sibi fervidam Panis cælestis orexim ingeneret. Hoc fac, & quamvis maximè aridus, ut tu quidem arbitraris, ad Mensam divinam accedas, benè præparatus accumbes, abundanter particeps futurus Commeatus illius militaris, quem in Eucharistiâ contineri demonstravimus.

(a) *S. Thomas Aquin. opusculo* LVII.



MEM-

MEMBRVM VI.

EUCHARISTIÆ

Quà Panis Castrensis, Pistor, Forma, Figura.

PANIS SVBCINERICIVS.

FRVMENTI Militibus distributi, ut fit usus, molâ teritur, frangitur, in farinam redigitur, aqua maceratur, massa conficitur, pinsitur, coquitur, sicque Panis subsequitur ad comestionem idoneus. Quis hæc omnia præstabat olim in castris? Romani aliquando, ut operæ parcerent, & tempus lucrarentur, sine pane, frumento utebantur in pulte, (*a*) quâ per sexcentos omninò annos uti illos potuisse, quis non miretur? Unde à Plauto vocantur, non absque sarcasmo, Pultifagi. Quod nomen Germanis quoque conveniebat, qui ante Christi adventum, loco panis, pulte vescebantur, & etiam-num frequenter aq[illegible]ulum pultibus farciunt. Postea Romani noluerunt curiosè, & ab op[illegible]e artem professo panem coctum edi in castris: qualem ergo? subitarium, & quem suâ manu miles parasset: quis credat? ita tamen apud Romanos agebatur: & suâ manu coquebant Cives illi, ingenui, nobiles, Martigenæ rerum Domini, gens toga sagoque illustris. Res mira, Imperatorem in castris idem factitasse, neque ex Curijs aut Fabritijs, sed ex posterioribus Antoninis. Auctor est Herodianus, (*b*) Antoninum Caracallam cum duritiam, robur & antiquã severitatem præferret, omnia militariter egisse: atque etiam, inquit, *Panem addebat subitarium, & negligenter factum. Triticum enim sua manu molens, quod ipsi satis esset, massamq́ ex eo conficiens, & in carbonibus coquens, eo vescebatur.*

Quare vel manuarias molas circumferebant vel in lapide tundebant frumentum, nisi antea fuisset militi farina distributa. Denique, sine furno, aut clibani operâ, subitò in carbonibus, aut sub cinere coquebant: hinc *Subcinericius Panis.* Panis igitur Militaris erit gravis ac madidus plerumque, ut scripserit Plinius, (*c*) *Legem certam naturæ esse, ut in quocumq́ genere panis militari tertia portio ad grani pondus accedat* Ejus adhuc usus est in multis Turcarum ditionibus. Narrat Augerius Gislenius Busbequius nobilis Belga, Ferdinandi I. ad Solimanũ Legatus Epist. I. Legationis Turcicæ, cùm pluribus diebus iter faceret, per amænas, & non infrugiferas Bulgarorũ valles, usum se fuisse pane subcinericio: *Fugacias* ibi vocãt. Eũ puellæ, mulieresq; vendũt: neq; enim sunt in eâ regione pistores.

(a) *Alexand. ab Alexan. lib. VIII. cap. 7. Tiraquel. ibid.* (b) *Herodian. in Cæsar.* (c) *Plin. lib. XIII. cap. 9.*

Illæ ubi hospites advenisse sentiunt, unde lucelli quid sperent, subactam subitò cum aqua, sine fermento, farinam calidis cineribus subijciunt: atque ita ferventes etiamnum à foco panes parvo pretio circumferunt. Nec alio ferè pane in castris Turcicis miles saginatur.

PANIS itaque Militaris, & apud Romanos olim, & nunc apud Barbaros erat, estque SUBCINERICIUS; commeatus castrensis, vel pars vel totus. Idem autem ille in Divinis Litteris est symbolum Eucharistiæ, ut intelligamus, in hac Commeatum Militis Christiani consistere. Recolite animo historiam, quæ habetur libro tertio Regum cap. 19. de Propheta Eliâ fugiente Jezabelem persequutricem suam. Is præ animi mæstitudine cùm obdormiret in umbra juniperi, *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Respexit & ecce ad caput suum* Subcinericius Panis, *& vas aquæ. Comedit ergò & bibit, & rursum obdormivit. Iterumque audivit ab Angelo: Surge, comede, grandis tibi restat via.* Surrexit, comedit, bibit, *& ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, usque ad montem DEI Horeb.* Grandis nobis restat via fugientibus à facie tyrannidis hujus Mundi, & Cacodæmonis; sed nunquam perveniemus ad Montem Visionis DEI, ac felicitatis æternæ, nisi in fortitudine SUBCINERICII PANIS, sub cineribus Humanitatis Filii DEI, Divinæ Caritatis carbonibus ignitis cocti. Cùm Angeli, tanquam peregrini ab Abrahamo Patriarcha essent hospitio excepti, festinavit ad Saram, dixitque: (a) *Accelera, tria sata similæ commisce, & fac Subcinericios Panes*; occultâ præsagitione, fore, ut Angelorum Panis, peregrinantibus nobis, Subcinericii specie, aliquando apponeretur. Sed quæ evidentior imago Eucharistiæ, quàm *Panes Subcinericii,* (b) quos egredientes ex Ægypto filii Israel confecerunt, ut Pascha suum celebrarent? *Coxerunt* (inquit Historicus divinus) *farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant, & fecerunt* Subcinericios Panes *azymos.* Quid, cùm Eucharistiâ fruimur, aliud facimus, quàm, quod *epulemur in azymis sinceritatis ac veritatis?* (b) id est, veris sincerisque azymis, non triticeis, sed ijs, quorum isti erant typi & figuræ.

AT nullus *Panis Subcinericius* æquè Eucharistiam, quatenus est Militaris, repræsentat, quàm ille, cujus fit mentio in Historiâ Ducis Gedeonis. Hic cùm exploratum iret, ac pervenisset ad Madianitarum castra, narrabat aliquis somnium proximo suo, & in hunc modum referebat, quod viderat, (b) *Videbatur mihi quasi* Subcinericius Panis *ex hordeo volui, & in castra Madian descendere, cumq; pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, & terræ funditus coæquavit.* Fuit hoc somnium, ut monent Interpretes plerique, non humanum, fortuitum, aut naturale; neque à Dæmone, sed à DEO immissum; ideoque ad somnij hujus auditionem

(a) *Genesis XVIII. 6.* (b) *Exodi XII. 39.* (b) *1. Cor. v. 8.* (b) *Judic. VII. 13.*

tionem tam seriò, & tantâ cum curâ, ac cautione Gedeonem vocavit, misitque Dominus. Subjunxit autem Somniatoris socius interpretationem, quæ Angelicæ Divinæque patefactioni ac revelationi est adscribenda: *Non est hoc aliud, quàm GLADIUS Gedeonis. Tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, & omnia castra ejus.* En PANIS SUBCINERICIUS, seu ut Hebræum & Chaldaicum sonat, *Torta assata*. Græcè est, Μαγίς, *Massula*, qui in mactrâ, vel magide pista, aut in ferreâ lance, cacabóve cocta est. Qua bellè exprimitur farinacea Placentula, quàm Vulgus Hostiam vocare solet. Istiusmodi ergo orbicularis Panis, visus est è terrâ, ac statione Israëlitarum sublimé tolli, per aëra ferri, volvique identidem ac revolvi, tandemque in Madianitarum castra labi: in ijs tabernaculum, vel unum, per excellentiam, præcipuum, ceterorumque princeps, & Principis Militiæ, vel synecdochικῶς, omnia, ac singula impetere, ferire, & à summo funditus evertere. Nec desunt Scripturæ Sacræ Interpres, qui existimant, plures Panes Subcinericios fuisse visos, tanquam Hostias plurimas, quæ in Madianitarū castra devoluta, ea percusserint subruerint terræ æquaverint.

NON me latet per hunc *Panem*, paratum *Subcinericium*, at materiâ *Hordeaceum*, & volantem seque volutantem, ac revolventem, significari potuisse id, quod vile ac contemptibile est; qualis erat in oculis Madianitarum Gedeon, qualis etiam populus Israëliticus, ut exponit Josephus, (*a*) nec dissentit S. Augustinus. (*b*) Quo pacto quidam Interpretes, per illum accipiunt CHRISTUM D. qui apud Isaiam, (*c*) *Novissimus virorum*, & SS. Apostolos, (*d*) qui *omnium peripsema*, Paulo teste, audiebant, denique alios horum imitatores, strenuissimos Milites. Hi sese ad DEI nutum, omnemque haud vitiosam, sed divinis consentaneam mandatis voluntatem vertunt, revertuntque, ut omnes lucrifaciant, Pauli Apostoli exemplo. (*e*) Hi sese in Madianitarum castra concionabundi magno doctrinæ ac spiritus impetu inferunt, omnia superstitionum, hæreseon vitiorumque tabernacula diruunt. Sed in futuro seculo maximè sese in vertet, ac immutabit *Panis* iste; ita ut justorum nulla ibi egestas sit futura: impij verò ne unam quidam aquæ guttam impetrare possint: atque illi omni felicitate perfundantur: hi ærumna omni crucientur, & felicitate aliorum angantur affliganturque, ut infelices illos quasi in theatrum inducens multis exponit Sapiens cap. v.

HÆC quamvis accommodatè ad sensum spiritualem dicantur, negari non potest, *Panem Subcinericium* in Castra Madianitarium devolutum, per bellè exprimere Sacratissimam Eucharistiam, cujus est præclarum Symbolum.

(a) *Lib. 5. cap. 8.* (b) *Quæst. XXXIV. in Gen.* (c) *Cap. L. 5. 3. Serar. Judic. VII. q. 23. num. 11.* (d) *1. ad Corinth. IV.* (e) *1. Corinth. IX. 20, Galat. IV. 20.*

bolum. (*a*) Eadem Militibus CHRISTI est Commeatus tam pretiosus, ac dulcis ac si esset ex frumenti medullâ, juxta illud: *Cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos.* Idem hostibus, hoc est, impijs ac sceleratis est *Hordeaceus*, nempe, vilis, contemptus, rejectus, tanquam cibus bestiarum. Sic in pœnis militaribus, pro frumenti annonâ, hoc est, tritici aut siliginis, datum legimus hordeum, apud Livium, (*b*) Appianum, (*c*) Vegetium, (*d*) Dionem, (*e*) Suetonium, (*f*) Plutarchum (*g*) *Non enim jucunda res est, aqua & polenta, aut frustum hordeacei panis*, inquit alicubi Seneca. (*h*) Et inter jumentorum cibos ponit hordeum S. Hieronymus, in cap. x. Oseæ, idque in cap. tertium vocat *alimentum equorum & mulorum.* Numerorum xxi. dicebant murmuratores Hebræi, cùm à DEO tam liberaliter subministratum Panem castrensem contemnerent, qui erat Eucharistiæ typus: *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Ita Manna appellabant impij. Tales etiam-num reperiuntur haud pauci, qui Panem Eucharisticum fastidiunt, tanquam levem, nullius precij, nullius suavitatis, nullius substantiæ. Atque ideò tam facile illum vendunt. O scelus!

(a) *Osorius Serm. de expedit. contra hæret. tom. 4. p. 187. Serm. de reditu Hispan. è bello Angl. p. 204. Barth. Scobar Serm. 5. de Test. Christi ad Mancipia V. Sacram.* (b) *Lib. 37.* (c) *De Illyric.* (d) *Lib. 1. de Mil. cap. 13.* (e) *Lib. 47.* (f) *In August.* (g) *Plutarch. in Marcel.* (h) *Epist. 18.*

MEMBRUM VII.

EUCHARISTIA.

Quia Commeatus militaris, vendi non debet, quod fit ab impiis.


APUD Romanos gravissimè prohibebatur Militibus, Commeatum suum castrensem vendere. Sallustius certè inter militaria probra recenset: *Frumentum publicè datum vendere: panem in dies mercari.* Vendunt multi Frumentum Electorum, quod iis tam bonâ, tam confertâ, tamque coagitatâ, & supereffluente mensurâ in commeatum distribuitur. Non loquor de iis sceleratis, omni pœnâ ac carnificina in hac quoque vita dignissimis, qui pejores Juda, cui bolus Eucharisticus damnationis fuit tessera, *Hostias* sacratas rabidis in Dominum Judæis conculcandas, pungendas, transfodiendas; aut Dæmonicolis, & Veneficis deturpandas, illudendas, conspuendas pecuniâ vendunt, mortalium nequissimi. De quibus narrationes extant, supra omnem penè fidem horribiles, quibus nolo delicatas piorum aures temerare. De illis ago, qui sacram Communionem, tempore vel debito, vel congruente omittunt, ut eo melius vacare vanitati,

pota-

potationi indulgere, ludis occupari, voluptatibus operam dare possint. Quod est Militiæ Christianæ Commeatum vilissimæ voluptatulæ precio vendere.

TALES meminerint severitatis Divinæ, cujus aliquatenus exemplum sumere licet ex facto Imperatoris Galbæ, de quo Suetonius: *Militi, qui per expeditionem, annona arctissimâ, residuum cibariorum, tritici modium, centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simul atque indigere cibo cœpisset, à quoquam opem ferri. Atque is fame contabuit.* Hæc pœna esse solet illorum, qui non pluris Divinum hunc cibum æstimant, ideoque tam facile illum negligunt. Veniet aliquando tempus, quo maximè eo indigebunt, ac desiderabunt: in extremis fortasse. Sed tunc justo DEI judicio, nemo iis porriget, nemo iis vel micam suppeditabit, aut opem feret; sicque fame, non panis corporei, ac terreni, sed spiritualis, cœlestis, Eucharistici contabescent. Atque hinc ad effectum Annonæ militaris transeamus.

(a) *Suet. in Galba cap. 7.*



COMMENTATIO II.

EVCHARISTIAE

Quatenus est Commeatus Militaris, EFFECTUS.

MEMBRVM I.
EUCHARISTIA
Vt Commeatus Militaris, pascit, corroborat, confortat.

HABET hoc EVCHARISTIA cum Annona castrensi commune, quod hominem alat, confortet, vividum, vegetumque, & ad pugnandum expeditum faciat. Quocirca Concilium Florentinum decernit, effectum Eucharistiæ esse augmentum gratiæ, & omnē illum effectum, quē materialis cibus in copore efficit. Et Synodus Tridentina asserit, Sacramentum Eucharistiæ esse institutum, tanquam spiritualem cibum, quo alantur & confortentur viventes. Ex quo fit, ut Frumentum hoc militare vires addat, ad prælian-

dum

dum fortiter. Quod firma persuasione tenebant animosissimi Christi Milites primitivæ Ecclesiæ, qui idcirco Eucharistia se muniebant, & roborabant ituri ad tribunalia, equuleos, catastas, & immania, quæ imminebant à Tyrannis supplicia, ut scribit S. Cyprianus ad Cornelium. (a) Eâ de caussâ, tempore persequutionis, Eucharistiam domum deferebant Christiani, quemadmodum olim apud Romanos Milites frumentum in saccis & peris, ut Commeatum hunc vivificantem ac roborantem, instante periculo, sumerent; quemadmodum prædaturi campestrem cibum, antequam se conferant ad conflictum. Dum enim cum Carne Christi Sanguinem sumimus, pro nobis tam copiosè effusum, excitamur, ut & nostrum sanguinem pro ipso generosè, ac libenter perfundamus, inquit Martyr illustrissimus Cyprianus. Quia *fortis est, ut Mors Dilectio.* Addit idem eos, qui in prælio cum Tyrannis & persequutoribus congrediuntur, non posse fortiter pugnare, nisi roborati hoc Commeatu; quo non solùm ut annona confortante saginantur, verum etiam ut panoplia armantur: *Idoneus*, inquit, *non potest esse ad Martyrium, qui ab Ecclesia Corpore & Sanguine Christi non armatur ad prælium.*

QUAPROPTER S. Anacletus, à S. Petro quartus Pontifex Maximus, & Martyr, anno Domini CXII. incrudescente persequutione Trajani, sancivit, ut omnes Christiani Sacrificio Missæ præsentes, eo peracto, sacramentaliter communicarent; atque ita se ad Martyrii agonem firmarent; ut habet ejus vita, & constat ex Decretis quæ nondum interierunt. Verùm, illam fuisse consuetudinem primorum Christianorum statim post acceptum in Pentecoste Spiritum Sanctum innuit S. Lucas Actuum Apostolicorum secundo, ubi scribit fuisse *perseverantes* fideles *in Communicatione fractionis Panis*, seu, ut est in Græco, κοινωνία id est, *Communione*, seu communi unione. Vocatur autem EUCHARISTIA, & à S. Apostolo, & à Patribus, κοινωνία, aut *Communio*, quattuor potissimùm de caussis, ut observant præclari Divinarum Scripturarum Interpretes. PRIMA est, quoniam Eucharistia est Mensa ac Cibus communis, qui in castris Christi omnibus apponitur. Unde Græci *Cœnam*, quasi κοινὴν, id est, communem nuncupari censent. SECUNDA, quia in Eucharistia communicant omnes, qui sub Christi vexillo militant cibo planè eidem ac individuo, nempe Corpori Christi, qui est *Panis vitæ*, quod non fit in Cœnis aliis, ubi unus hanc sibi partem, alius aliam sumit, ac manducat. Hinc est illa S. Chrysostomi (b) conceptio: Fideles per Communionem cum Christo effici unam massam. Quod hac similitudine declarat S. Cyrillus (c) sicut cera liquefactæ ceræ miscetur, & in unam coalescit; ac ignis ferro ignito se insinuat; ita nos misceamur Corpori Christi, ac consequenter ejus Divinitati. Itaque efficimur *Concorporei*, & Consanguinei Christi, immò, *Christiferi*. Quocirca Isidorus Pelusiota

(a) *Lib. 1. Epist. 2.* (b) *Hom.* 88. (c) *Lib. 4. in Joan. cap. 17.*

ſiota (*a*) aſſerit, *Communionem vocari propter conjunctionem cum Deo, & quia regni participes reddit.* Quæ deſumi potuerunt ex Paulo Apoſtolo, qui ita ſcribit Corinthiis: *Calix benedictionis, cui benedicimus. nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt? & Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Nimirum, potus Calicis benedicti, & conſequenter, Calix continens hunc potum Sanguinem Chriſti nobis communicat: Panis item benedictus Chriſti Corpus. TERTIA, quia Euchariſtia eſt communis omnium fidelium unio. Siquidem unit omnes eidem Corpori Chriſti: quo fit, ut etiam uniat inter ſe. Quæ enim ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, juxta axioma Philoſophorum.

Hoc inſinuabat Paulus, cùm ſubderet: *Quoniam unus Panis, unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno Pane participamus.* Nonne ex multis granis unus fit panis? haud ſequus ex multis fidelibus conficitur unus Panis, ſacer, vivus, animatus, qui eſt unus, ſc. Corpus Chriſti myſticũ; nempe Eccleſia, non ſolùm generaliter & myſticè, ſed propriè ac corporaliter, quia omnes realiter uniuntur Corpori Chriſti, cum eoque fiunt unum in Euchariſtiâ, quemadmodum cibus fit unum cum comedente. Ob quam cauſſam etiam infantibus olim dabatur Euchariſtia poſt Baptiſmum, ut perfecè incorporarentur Chriſto. Alia hinc oritur *Unio* moralis affectuum, quæ dicitur *animorum*, de quâ S. Dionyſius in Eccleſiaſtica Hierarchia capite III. *Diviniſſima unius ejuſdemque* Panis, *atque* Poculi *communis pacificâque communicatio, divinam illis* (fidelibus Chriſti Militibus) *velut convictoribus, morum conjunctionem ſancit.* Quod in Apoſtolis potiſſimùm fuit animadverſum, quorum cor & anima hinc fuit una. Loqui autem S. Lucam, dum agit de κοινωνίᾳ Panis, de communione Panis Euchariſtici tam certum fuit Interpreti Syro ut verterit Euchariſtiæ. Quod nomen licet Græcum retinuerunt Syri, ſicut & Latini. Textus autem Græcus habet cum articulo τοῦ ἄρτου, id eſt, illius *Panis, Euchariſtici* & *Divini*, quem quotidie fideles ſumebant, eaque erat præcipua cauſſa tanti roboris contra omnes adverſarios, tantæque ſanctitatis. Duravit ea conſuetudo diu in Eccleſia. Nam & Tertullianus libro de Oratione, ſcribit, *Orationem eſſe ſolvendam Corpore Domini accepto.* Idem etiamnum facere dicuntur Abyſſini, ſub nominato vulgariter Prete-Joanne. Et hoc eſt, quod altiore ſenſũ Oratio Dominica habet, *Panem noſtrum quotidianum*, Græcè ὑπερούσιον, id eſt, *ſuperſubſtantialem*, ut vertit interpres S. Matthæi, cap. VII. *da nobis.*

CUM autem mos ille inceperit in Eccleſiâ primitivâ mox à Pentecoſte prima, deſcenſuque viſibilis Spiritus Sancti, in ejus rei memoriam feſtum Corporis Chriſti inſtitutum ab Urbano IV. Pontifice, initium ſumit à feria V. poſt octavam Pentecoſtes. Nam ut diſſerit S. Thomas Aquinas in

(a) *Lib. I. epiſt. 228.* (b) *I. Corinth. 10. 16.*

Officio Ecclesiastico ejus Festi: *Congruit, ut tanti Sacramenti institutionem, illo tempore specialiter recolamus, quo Spiritus-Sanctus corda discipulorum edocuit, ad plenè cognoscenda hujus Mysteria Sacramenti. Nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum à fidelibus frequentari.* Hinc in iis tantum robur adversus Inferorum phalanges, quarum rabiem fideles Christi Milites Eucharistia pasti ac muniti facillimè superant, easque profligant. Unde S. Chrysostomus (*a*) *Tanquam leones*, inquit, *ignem spirantes ab hac mensa recedamus, facti Diabolo terribiles* juxta illud Psalmi: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* (*b*) Nec ferunt Dæmones dum sunt in corporibus energumenorum præsentiam Eucharistiæ: Exemplum est memoratu dignissimum apud B. Prosperum de quadam quæ Carthagine sic fuit ab insidente liberata. Tantum potest contra hostes tartareos FRUMENTUM ELECTORUM.

(a) *Hom. 61. ad Popul.* (b) *Psal. 22. 5.* (c) *De promiss. cap. 6.*

MEMBRUM II.

EUCHARISTIA


Quà Panis castrensis, est GLADIUS.

SI cuilibet Pani militari in profana Militiâ conveniret, quod habet PANIS EUCHARISTICUS, nunquam non, qui eo vesceretur, spondere sibi posset de hoste, quantumlibet numeroso victoriam. Id verò explicatur in declaratione somnii de Pane Subcinericio devoluto in castra Madianitarum: dicebat enim enarrator visionis: *Non est hoc aliud, quam* GLADIUS Gedeonis. *Panis* ergo Christi, & ejus *Gladius*, re sunt idem, & effectu, vocabulo differunt. Eucharistia nutrit & confortat, ut Commeatus militaris: hostem petit, illumque conficit, ut Gladius. Hac persuasione ducti Christiani bellatores operam dederunt, ut antequam cum hoste confligerent, & Eucharistia velut Pane castrensi confortarentur, & eodem, tanquam Gladio accingerentur. Exempla aliquot è multis selecta accipite. Otho Imp. prælium cōmissurus cum Hungaris, prius cum suis Eucharistiam sumpsit. Quod illi tam benè cessit, ut deinde dimicans ingentem hostium multitudinē trucidarit, illustremq; victoriam obtinuerit, Anno M.CCCLV. ut in ejus gestis scribit Udalricus, & ex eo Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis. CATALACUS Michaëlis Imperatoris Præfectus magnas Saracenorum copias Messanam invadentes profligavit, militibus ante aciem sacro viatico communitis, ut ex Curopalata & Cedreno narrat idem Annalium scriptor ad Annum Domini MXL. D. HENRICUS Imp. maritus S. Cunegundis, præterquam quod omne genus subsidii advocaret è

cælo

cœlo, non se tamen sat tutum existimabat, nisi Eucharistiam prius cum suis suscepisset: tunc progrediebatur, & insignes de hostibus reportabat victorias. Ut ex Petro Damiano, & Bonifacio refert laudatus auctor ad Annum Christi M.XXII. CONSTANTIUM M. Constantini filium milites suos hortatum ad muniendos seu Eucharistiâ ante certamen cum Magnentio scribit Theodoretus (a)

IDEM posterioribus seculis factitasse Christianos, in bello sacro, cùm Ierosolyma obsideretur, auctor est Gulielmus Tyrius, (b) & ex eo Joannes Molanus. (c) Memorabilis fuit victoria, quam virtute Eucharistiæ, ac sanctæ Crucis de Saracenis retulit ALPHONSUS VIII. Rex Castellæ tempore Innocentii III. Pontificis Anno Domini M.CCXII. die XVI. Julii. Cùm enim Rex cum omnibus suis militibus ante prælium sacrâ confessione, atque communione Eucharisticâ se communissent, & Rodericus Archiepiscopus Toletanus Crucis vexillum in Barbaros intulisset, cæsa sunt ad ducenta Saracenorum millia, viginti quinque duntaxat è Christianorum numero desideratis; an fortasse iis, qui Gladio Eucharistico minimè accincti processerant? (d) Non minus illustris fuit victoria, quam de ejusdem perfidiæ hostibus eadē armaturâ obtinuit RAMIRUS Rex, Anno DCCCXXXIV. Cum enim Ramirus prius cæsus, cum suis se recepisset ad montes, afflictusque DEUM obsecraret, apparuit ei S. Jacobus, mandans, ut juberet Milites omnes sacra Confessione expiari, & sancta Communione refici, itaque hostes invaderet, inclamans nomen DEI & sancti Jacobi: se enim equo candido exercitum præiturum, & hostes dissipaturum. Ita factum, sicque ceciderunt in eo prælio septuaginta Maurorum millia. Atque exinde Hispani in præliis inclamare consueverunt Eucharisticum suum hortatorem Jacobum. Utinam imitarentur majores suos hoc tempore Duces bellici, ac Milites Christiani, experirentur haud dubiè Panem Eucharisticum esse Gladium Domini, ac similes de inimicis Catholicæ Religionis triumphos reportarent. Nec de his tantùm, sed etiam, & multo certius de invisibilibus animæ, Cacodæmone, Vitiis, ac Concupiscentiis. Monuit hoc S. Chrysostomus, (e) qui vel sola cogitatione illius armaturæ nos satis munitos fore existimat. *Cùm nos, inquit, ab ira corripi viderimus, vel ab alio vitio, cogitemus, quo facti simus digni* Convivio, quibus escis, quo Pane, *& fit irrationabilium nobis motuum correctio, talis cogitatio.*



(a) *Lib. 3 histor. cap. 3.* (b) *De Bello Sac.* (c) *Julii 15.* (d) *Epist. Regis ad Innocent. Pont. Roderic. lib. 7 hist. c. 1. Ribadeneira in Flore SS. die 16 Jul. vita S. Jacobi.* (e) *Hom. 61. ad popul.*

MEMBRVM III.
EVCHRISTIA
Quà Commeatus Militaris, est PANCHRESTUM CASTRENSE.

QUAM benè provisum esset Exercitui, si Frumentum, quod militibus distribuitur, simul esset Medicamentum morbis omnibus conducibile, emplastrum vulnerum quorumcumque curativum, bolus Ponticus, quem Mithridates Rex Ponti sumebat quotidie contra mortifera, remedium præservativum, curativum, conservativum, semper & ubique præsentaneum? Præter effectum hactenus explicatum Commeatus nostræ Militiæ est alius longè diversus ab eo, quem præstat in Militiâ profanâ Cibus campestris, & castrensis. Qui licet famem sedet, satiet, roboret; non tamen invaletudinem, tanquam pharmacum curat, febrem ardentem non restinguit, ulcus pestilens non tollit, vulnus hians non constringit, cicatrices deformantes non aufert, denique morbos acutos, ancipites, palabundos, inveteratos, lethales non sanat. Quod facit Eucharistia, quæ morborum non solùm animæ spiritualium, sed & corporalium est medicina, verè PHARMACVM IMMORTALITATIS, ut nominatur ab Ecclesiæ Doctoribus.

IN Vitis Patrum legimus Sanctos nonnullos ex eremis cultoribus, absque alio cibo solâ Eucharistiâ sustentatos, à morbis longo tempore liberos, vitam sanam ac diuturnam egisse. Palladius in historia Lausiaca capite xv. refert *Ioannem Monachum* cibum nunquam sumere solitum, nisi die Dominico Eucharistiam. Hanc solam ei fuisse Sacramentum, Commeatum, Medicinam. *Severus* Abbas celebris à jejunio, Dominico die Eucharistiâ, & modico pane refectus, per reliquum hebdomadæ nihil amplius comedebat; existimans unicam contra famem ac morbos omnes sufficere Eucharistiam, medicamentum æquè, ac Sacramentum, quod longâ experientiâ erat doctus. Scribit S. Bonaventura libro de Perfectione ad Sororem, personas debiles, infirmas, morbidas in sacra Synaxi tantum sentire roboris, confortationis, consolationisque, ut ab eâ robusti discedant, perinde, ac si nulli infirmitati fuissent obnoxiæ. Nimirum, Eucharistia est *Medicina*, confortans & curativa. LVDOVICVS Pius Imperator, cùm longissimo morbo torqueretur, totos quadraginta dies jejunus transegit, Eucharistiâ solam quotidie, cibi, & medicamenti loco sumens, ut qui adfuit ei Scriptor testatur. (a) Auctor est Sigebertus in Chronico, Anno DCCC.XXII. Puellam quandam duodennem, ditionis Tullensis, sumptâ in Paschate Eucharistia, per triennium omni cibo abstinuisse, neque morbo interim ulli succubuisse.

B. MA-

(a) *Thomas Bozius Tom. 2. de Sign. Eccl. cap. 2.*

B. MARIA Oigniacensis in Belgio sanctitatis famâ celebris, firma cibum omnem respuebat, solâ Eucharistiâ vivebat, convalescebat, optimè habebat: ac subinde facies ejus quosdam ex se radios lucis vibrare, & diffundere videbatur, inquit Cardinalis de Vitriaco in ejus vitâ. S. Gregorius Nazianzenus Oratione quam habuit in funere sui patris, memorat illum ardentissimâ ac diuturna febri exhaustum, sumptâ Eucharistia convaluisse. Ac subjungit, idem accidisse matri suæ. *Cùm nunquam non*, inquit, *dolore premeretur* (pater) *& quidem persæpe singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex soli liturgiâ robur concipiebat. ac morbus, tanquam ex edicto ac imperio fugatus se subducebat.* Idem Theologus in funere Gorgoniæ sororis, scribit, illam ad S. Eucharistiam orantem à membrorum omnium solutione, ac gravissimis cruciatibus, quibus augebatur, sanitati, sibique restitutam. Non unum ergo tantum effectum, quemadmodum Commeatus Militiæ profanæ, habet Panis Eucharisticus, qui simul morborum omnium est nobile Medicamentum, Christianorum Militum Panchrestũ.

MEMBRVM IV.

EVCHARISTIA

Quâ Commeatus militaris, est

OBSONIVM.

SUNT præterea in Eucharistiâ omnia, quæ militaris cibi nomine designantur. Siquidem, præter Panem, etiam obsonia ad victum accipiebant. Qualia autem illa? Obvia, & maximè parabilia. Nempe, Salem, sine quo vita non ducitur, Legumina, Caseum, ac Laridum, seu carnem suillam. Certè, Synesius (a) Caro Imperatori militariter cænanti scribit cænam fuisse, *è pisis pulmentum pridianum, & in ipso frusta aliquot suillæ salitæ carnis.* Hinc inter laudes Galliæ Cisalpinæ profert Polybius (b) glandes, & quod porci in ea abundent. Argumentum ejus rei adjungit, quod, *cùm plurimi in Italia cædantur, tum ad usus vitamq́; privatam tum ad ea, quæ in exercitus legionesq́; præbentur, his tamen omnibus sufficere Galliæ illam regionem* constet. Lautius Milites suos tractat Christus, in cujus Commeatu sunt ciborum omnes deliciæ. Unicus ille *Panis*, quicquid Cæna adipalis, genialis, Saliaris, Pontificalis, Regia spondere potest, & plus immensùm, continet. De illo enim verissimè dicitur: *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum* Panem *de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem,* Sapientiæ XVI. Græca sonant: ad omnem voluptatem valentem, & ad omnem

(a) *Orat. de regno.* (b) *Libro IX.*

omnem congruum gustum; vel omni voluptate pollentem, eumque gustui accommodatum.

TALIS esca erat MANNA, typus Eucharistiæ. De quo adjungit Sapiens: *Ad quod quisque volebat, convertebatur.* Quod nonnulli de verâ substantialique mutatione, quæ est conversio philosophica, intelligunt; ita ut Exempli gratiâ, si quis perdicem appeteret, verteretur Manna in perdicis veram substantiam, salvis accidentibus prioribus. Quo pacto nos fides Catholica docet in Eucharistiâ fieri, cùm per *Transubstantiationem* transit substantia panis vinique in Corpus & Sanguinem Christi, remanentibus eorum accidentibus, quas deinde species Eucharisticas vocamus. Atque ita, inter summos ævi nostri Theologos Gregorius de Valentia, *(a)* scribit, Manna in varias ciborum substantias, ut quisque obtabat conversum fuisse. Quod innuit S. Augustinus *(b)* libro tertio de Trinitate. Ex recentioribus etiam Claudius Sainctes, *(c)* in eundem sensum, adfirmat, substantiam Mannæ in varias fuisse naturas transubstantiatam. Quod asserunt quoque, Nicolaus Sanderus, *(d)* Thomas Bozius, *(e)* ac Nicolaus Villagagnon, *(f)* qui probat accidentia panis ac vini, cum substantia Corporis ac Sanguinis Christi esse ad eum modum, quo cum accidentibus roris ac pruinæ sive Mannæ erat substantia panis. Cui sententiæ favet D. Chrysostomus appellans Manna novum quotidie cibum. Verùm, etiamsi hoc nō contigisset, certum tamen est, habuisse Panem illum omnium ciborum delicias, divinâ providentiâ, gratiaque peculiari, licet ex naturâ suâ unius tantùm esset saporis, videlicet, quasi panis oleati; Eucharistiam referebat ob priorem illam amplitudinem, cùm nullius alimenti alterius in eâ desideretur suavitas. O! *quàm suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, Pane suavissimo*, immò, suavitatum omnium, *de cœlo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.*

(a) *Tomo 4. disp. 6. q. 3, puncto 2. §. 4.* (b) *Lib. 3. cap. 1.* (c) *De Euchar. Rep. 7. cap.* (d) *Apud Claud.* (e) *Lib. 13. de Not. Eccl. cap. ult.* (f) *Lib. 3. in Calvi. cap. 52.*



MEMBRVM V.
EVCHARISTIA
In Militia Christianâ
PANIS BVCCELLATVS.

EVCHARISTICVS Panis forma quoque exteriore, prout nunc apparatur, repræsentat Panem militarem. Cujus rei gratia, *Observo.* In scriptoribus, qui rem Militarem veterum posteritati tradiderunt, nominari *Panem Buccellatum.* Spartianus in Pescennio: *Pistores sequi expeditionem prohibuit, buccellato jubens Milites, & omnes contentos esse:* nempe, Legatos etiam ac Duces. Ammianus quoque in rebus Juliani libro XVII. *Viginti dierum frumentum ad usus diuturnitatem excoctum, Buccellatum, ut vulgo appellant, humeris imposuit lubentium militum.* Hinc in Volumine Codicis Theodosiani, *de erogat. milit. anno.* legere est: Milites expeditionis tempore, *Buccellatum* primis diebus, mox laridum, deinde carnem vervecinam accipere debere. Nam posteriori Imperatorum ævo non amplius dabatur Militibus frumentum, sed ex eo panis excoctus. Qui modus, ut nunc etiam servatur in Militia profana, aut utinam servaretur, veteri est utilior & commodior militi: quia ponderis minus est in mensura, ac modo eodem frumenti; facilius etiam portatur, & convehitur.

QVID est autem *Buccellatum*? Panis castrensis, in bucceas, seu buccellas, & quasi tessellata frustra dissectus. Vnde dicitur frustulum, seu particula, quantum bucca seu oris concavitas commodè capere potest. Posset-ne effingi quidpiam magis simile particulæ Eucharisticæ, quæ accumbenti ad sacram Mensam porrigitur? Quæque fuit distributa Discipulis Christi manu in suprema Cæna, ut manu pictorum artificiosè exhibetur? Vidistis, haud dubiè, in multis tabulis aut imaginibus. Nec pictura illa à veritate abludit; & nititur Scripturæ Divinæ verbis satis manifestis. Nam Matthei XXVI. *Canantibus eis,* inquit Evangelista, *accepit IESVS Panem, & benedixit, ac fregit, deditq;,* dicens; *Hoc est Corpus meum.* Hinc in Sacris Paginis, Eucharistia, appellatur *Panis fractionis* seu fractus, divisus, *Buccellatus.* 1 Corinth. x. 16. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Et sanè Christus, tum alias, tum in ultima cum Apostolis Cænâ, dicitur Panem fregisse, ac distribuisse, nempe, more Hebræorum, apud quos paterfamilias mensæ benedicens discumbentibus convivis panem frangere, ac cibos dividere solebat. Tradunt sanè Thalmudici apud Judæos ritum hunc fuisse receptum, ut in domestico convivio

pater

paterfamilias panem sumeret, benediceret, frangeret. Id ut tibi persuadeas facilius, scito, Orientales habuisse olim non panes elevatos, & per modum turbinis factos, quemadmodum nos habemus, ita ut ad scindendum cultro esset opus; sed pinsebant illi latos, atque subtiles, instar placentæ, unde manibus eos frangebant: sicut in plerisque regionibus buccellatim frangimus placentulas quadragesimales, quæ diebus esurialibus vesperi solent apponi. (*a*) Ut observatum à Convivialium Scriptoribus.

EXISTIMANT autem nonnulli, Christum habuisse pecuriarem aliquem, ac notabilem modum frangendi panem: ideoque Discipulos duos in Emaunte cognovisse Dominum in *Fractione Panis* Lucæ ultimo. Quod de Eucharistico Pane intelligunt è Patribus, tum antiqui, tum recentes magno numero: & hi acuratè id probant. A multo autem tempore in Ecclesiâ Catholica non usurpatur fractio, dum laicis Eucharistia porrigitur, sed singula buccellata, seu minores hostiæ consecrantur ad vitandum periculum decidentium micarum. Et quod oporteat laicos, aliosque ministros, etiam sacros, præter Presbyterum sacrificantem, qui Hostiam majorem buccellatim frangit, minore contentos esse. Contrarium si fiat à quopiam, caveat, ne pænas det arrogantiæ aut temeritatis, ut ille, cujus punitionem divinitus factam describit Tilmannus Bredenbachius (*b*) in Collationibus sacris ex tabula ænea, quæ prope Oenipontem adhuc pendet, & à peregrinis legi solet. Ecclesia tamen Græca & Æthiopica retinet antiquam frangendi consuetudinem. Habemus igitur in Commeatu Militiæ Christianæ Buccellatum.

(a) *Stuckius lib. 2. Convival. cap. 3.* (b) *Lib. 1. cap. 52. Oswaldus Mulser pago Senell.*

MEMBRUM VI.

EUCHARISTIA

In Militia Christiana

PANIS BIS-COCTUS.

POSTERIORIBUS temporibus, in Militiâ profana, Panis castrensis, ut diuturnior esset, bis coquebatur, maximè, ad expeditionem nauticam. Unde etiam-num Panis nauticus vulgo appellatur, & bis-coctus. Clarissimè Procopius lib. 1. belli Wandalici, agens de Joanne quodam Præfecto Prætorij sub Justiniano: *Panem, qui in exercitu fertur, bis est consuetudo in clibanum ponere, ut diligenter coctus diu duret, non citò corrumpi possit. Verùm, eundem pondere à primo, deficere pro quarta minimum parte, necesse est.* Addit deinde, vafrum illum Joannem, ut pondus

hoc

hoc lucri sibi faceret, nec sumptus tamen ad ignem adderet; *panem istum in balneis jussisse siccari, ut in speciem coctus videretur: sed eundem in naves illatum (maritima tunc forte expeditio erat) statim in farinam solutum, eamq; olidam & rancidam; cujus esu milites inciderunt in morbos.* Celebrant etiam *Bis-coctum* panem Græci, quem vocant Δίπυρον, bis ignitum. A Bizantinis idem appellatur παξαμᾶς. *Paxamadium* est in Leonis Imperatoris præscriptionibus, cap. x. ubi dicitur. *Commeatus Paxamadij, sive biscocti habeat viginti aut triginta libras.* Alibi legitur, *Milites saccos pelliceos in humeris ferentes, in quibus nihil aliud, quàm panes biscoctos domi imposuerant, abibant.* Saccos istiusmodi militares πήρας vocat Polybius.

QVIS *Panis* veriore denominatione *Bis coctus* dici potest, quam Eucharisticus? Christus DEI Filius in candido farinulæ exterius apparentis orbiculo delitescens? Verbum Patris in niveâ panis placentulâ absconditum? An-non in ardentissimo nostri amore Patris æterni sinu, tanquam in ignitis carbonibus hæsit, antequam ad nos devolveretur? An-non Virginis Matris uterus fuit clibanus ardore cælesti fervens, in quo Opificis divini manu formam Panis vivi ac vitalis induit? An-non Panis Eucharisticus è cælo transmissus, operâ Spiritus S. paratus in alvo maternâ, attritus mola laborum, subactus aqua tribulationum, persequutionum, tormentorum, excoctus iterum igne caritatis ardentissimæ fuit in camino Crucis? Verè *Bis-coctus, Bis ignitus*: igne amoris DEI, igne dilectionis proximi. Quamvis Eucharistia, non tam sit Panis, vel Carbo ignitus quàm IGNIS ipse amoris divini, accendens in sumentibus dignè, ardorem caritatis ignitæ. In ea enim Christus est AMOR AMORVM. qui

Se nascens dedit Socium:
Convescens in edulium:
Se moriens in precium:
Se regnans dat in præmium.

Quis itaque non amet Christum, totumque in eum non transeat, dum totus in eum, Amore impellente, & igne convertente, transit Christus? Quis Christum, Panem bis ignitum, Carbonem accensum, Ignem penetrabilem ac penetrantem suscipiens, eo non inardescat? *Factus est DEVS homo, ut homo fieret DEVS. Vt Panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo,* (a) inquit S. Augustinus (b) De B. Catharina Senensi scribit auctor Vitæ, (c) Cor illius Christi Patientis consideratione, & amore fissum fuisse, atque ita illam expirasse. Profectò, mirum est, Cor nostrum in Eucharistiæ perceptione tanto Christi amore non findi, & igne tam violento, ac torrido non consumi.

(a) *S. Bernard. de Cœna Dom.* (b) *Serm. 9. de Nativitate Domini* (c) *Lib. 2. cap. 30.*

MEMBRVM VII.
EVCHARISTIA
Deliciæ Militares
PANIS - CALIDVS.

IN delicijs olim erat Militibus *Panis recens & calidus*, atque aliquid cocti obsonij. Quare delicatiores quidam ac opulentiores, communem sicci panis & asperi alimoniam detrectantes, habebant in exercitu pistores ad panem recentem, quos amandavit Pescennius, apud Spartianum. Reperies etiam scriptum in Polyæno: cùm Scipio ad Numantiam restitueret disciplinam militarem, jussisse, ut in prandio adhiberét *sine igne cibum*, id est, incoctum; *in cœnam verò* proferrent, & adderent *carnem assam*, vel *elixam* (quod indulgentis fuit) *si illius copia esset*. (a) Ad delicias Commeatum suis suppeditat noster Imperator. Siquidem *Panem* semper, non insuavem, sed dulciarium; non mucidum fœtentemque, sed benè olentem; non confusaneum, sed purum; non furfuraceum, sed purgatum; non deformem, sed elegantem; non siccum, sed adipatum; non durum, sed mollem; non frigidum, sed calidum, & calefacientem; vetè, ex flore & polline purissimæ farinæ confectum, verè saccharitem, verè Panem Martium; addito, carnis optimæ, ad ignem Amoris assæ obsonio suppeditat. Sentiebat hanc dulcedinem, si quis alius, certè S. FRANCISCVS, qui flagrabat, ut scribit (b) D. Bonaventura, erga Sacramentum Corporis & Sanguinis Dominici fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo, illam carissimam dignationem, & dignantissimam caritatem. Sæpe communicabat, & tam devotè, ut alios devotos efficeret. Dum ad Agni immaculati degustationem suavem perveniret, quasi spiritu EBRIVS, in mentis, ut plurimum rapiebatur excessus. Monachus quidam Ordinis Cisterciensis, ut habent Chronica, quoties Christo in Eucharistiâ reficiebatur, toties videbatur sibi favum mellis sumere, cujus suavitas illi in ore toto die perdurabat. S. MARIA Ægyptiaca vadens ad eremum Synaxim sumpsit, ac deinde vixit ibi sine alio cibo multis annis. Moritura eandem, instar viatici, accipiens, extensis in cælum manibus, ingemiscens cum lacrymis exclamabat: *Nunc dimittas* Ancillam tuam, *Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Et mox sanctè, placidèque obdormivit in Domino. Vt refert oculatus testis Zozymas in vita. Idem majori pietatis & amoris sensu fecit S. MARIA Magdalena, paullò ante mortem Eucharistiam ei præbente S. Maximino. S. Cassius Episcopus Narniensis quotidiè celebrans sanctis pijsque lacrymis præ dulcedine diffluebat, ut refert S. Gregorius. (c) Et hunc nos Panem sæpe

(a) *I. Lips. lib. 5. Milit. Dialog. 16.* (b) *Vit. S. Francisc. cap. 9.* (c) *Homil. 37.*

sæpe fastidimus, cùm tamen ipse summus Princeps, illum, quando in castris agebat, habuerit in delicijs.

MIRE commendantur illi in Militiâ Duces, qui cibo militari eodem quo ceteri fuerunt pasti. Hanc laudem inter alios meruit Pescennius, qui, ut est apud Spartianum: *In omni expeditione cibum militarem sumpsit.* Alexander etiam, ut Lampridius narrat: *apertis papilionibus prandit, atque cœnavit, cùm militarem cibum, cunctis videntibus, atque gaudentibus sumeret.* En Virum dignum titulo & loco Principali! exclamat quidam. De Juliano quoque in castris agente scribit Ammianus lib. XXI. *Imperatori non cupedia ciborum ex regio more, sed sub columellis tabernaculi cœnaturo pultis portio parabatur exigua, etiam municipi fastidienda gregario.* Id gloriolæ captandæ gratiâ forrasse faciebat impius Apostata, quod alij ex vera virtute. Sed omnibus major, magisq; sincerus Christus Imperator, processurus ad conflictum, dapsilem commilitonibus daturus cœnam, eamque supremam, militariter sanè suos pavit; at ita, ut ipse primus castrensi more pasceretur, nec alio quàm militari commeatu. Hac de caussâ ante Passionem in amplissimo cœnaculo Eucharistiam instituit, Panem Eucharisticum sumpsit, eundemque selectis suis Militibus distribuit. Illustri exemplo, monitoque, ut quotiescumque nobis contra hostes, seu visibiles, seu invisibiles est procedendum ad prælium, quotiescumque tentationi alicui gravi resistendum, militari hoc COMMEATV nos muniamus, & armemus, cum GLADIVS sit & PANIS, Cibus quoque ac integrum Convivium. O sacrum CONVIVIVM in quo CHRISTVS sumitur!

NOTÆ.

In quibus Auctores, & Spicilegium.

§. I. COMMEATVS.] *Significat I. facultatem abeundi, quæ vulgo* Salvusconductus *dicitur, quem dat militi Imperator ad certum diem reversuro. Auctor ad Herennium*: Ille ad diem commeatus non venit, quod eum aquæ interclusissent. *Livius lib.* XXIII. Magna pars sine commeatibus dilabebatur. *II. Significat alimonia necessaria. Cic. pro Lege Manil.* Commeatu & privato & publico prohibemur. *Trium dierum commeatus dicitur, cùm instare paupertas extrema significatur Hinc proverbialiter*: Commeatus tridui.

§. ANNONA.] *Est res frumentaria, quæ ad annuum victum reponitur. Vel quæ toto anno suppeditantur ad alimentum: non fruges tantùm, sed alia quæcumq;. Item, definita annuorum cibariorum mensura. Nonnumquam pro solo pane usurpatur apud Iurisconsultos, apud quos nominantur, Annona civiles, quæ & panes civiles. Sic Annona militaris, qui Panis militaris. Annonarias expensas vocat Vegetius, eas frugum pabuliq; species, quas provinciales militibus expendunt. Annotinas naves dixit Cæsar 5. bell. Gal. quibus annona comportatur. Deniq; ut Annona pro pane capitur, sic panis pro an-*

 nona,

nona, apud Iustian in Authent, & abu sivè, pro victu.

§. II. PANIS.] *Hebrais significat quemvis cibum, & patet ex lib.* IV. *Reg.* VI.22. Pone panem & aquam coram eis ut comedant & bibant, & vadāt ad dominum suum. 23 Appositaq; est eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt, & dimisit eos. *Sic Ioā.* VI.31. *Manna* 3 *&* 41. *Christus vocatur* Panis. *Quoniam panis communis omniū & necessatius est cibus.*

§. III. FRVMENTVM.] *De frumento, quatenus apud Romanos dabatur in commeatum legendus I. Lipsius lib.* 5. *de Militia Romana Dial.* 16.

§ IV. BVCCELLATVM.] *Bucca est oris concavitas intra malas à mento ad oculos, quæ spiritu à pulmone revocato, & oppressis labijs retento inflatur. Sonus qui ex inflatis buccis erumpit, ficti io nomine scloppus dicitur.* Buccea, *à bucca, significat frustulū alicujus rei esui apta, quantum scilicet bucca commodè capit, quod &* Bolus *dicitur. Nonnunquam etiam* Buccella, *quomodo S. Augustinus particulam Panis Eucharistici nominat, Tract.* XXVI. *in Ioan.* Nonne BVCCELLA DOMINICA venenum fuit Iudæ? Mauritius *in Tacticis:* Die belli debet quisq; Miles aquam, & buccellatū in sellis secū ferre. *Apud Cōstantinū* περὶ θεμάτων, *Buccellus orbiculatum frustum vocatur. Ab hoc pane expeditionali, seu buccellato, eleganter Panem, quem benedictionis loco, transmittebant, vocarunt Paulinus & Therasia ad Romanianū, epist.* XXXVI. *apud Augustin.* Ne vacuum humanitatis officium videretur, de *buccellato* Christianæ expeditionis, in cujus procinctu quotidie ad singalitatis annonam militamus, Panes quinque tibi pariter & filio nostro Licentio misimus. *Denique dicitur* Buccellatum *à buccâ, in bucceas divisus panis. vel qui dividi potest, & ad id est idoneus. Legendus* Heribertus Roswvydus *in Onomastico ad Vitas PP.*

§. V. FRACTIO Panis.] *Quod est Lucæ ult. in fractione Panis Discipulos duos cognovisse Dominum, intelligi de Eucharistiâ, accuratè probat* Ioannes Maldonatus *veterum testimonijs.* Toletus *Ioann.* VI. *Annot.* XXVII. Bellarminus *lib.* VI. *de Euchrist. cap.* 29. Henriquez *lib.* VIII. *de Eucharist. cap.* 44 Claudius Sainctes, *Repet.* X. *cap.* 1. Ioan. Lorinus, Cornelius, *alijq;*, *Actuum secundo, ver.* 42.

§. VI. EVCHARISTIA vendita *ab improbis, sacrilegis, veneficis.*] *Exempla petantur ex Disquisitionib. Magic. Delrij abomiranda.*

§. VII. PANIS bis-ignitus.] *Suidas* Δίπυρος ἄρτος *à Romanis, id est, Græculis Romanæ originis, ut sunt Bizantini dicitur* Παξαμᾶς. *Fragmentum super hoc pane in eodem Suida est incerti Scriptoris, quod in saccis pelliceis panes tales tulerint milites, quos saccos peras vocat Polybius.*

§. VIII. PANIS bis-coctus.] *Quomodo Panis Eucharisticus, Christus Dominus sub speciebus Eucharisticis, coctus fuerit, ceu Panis. Quis fuerit Pistor coquens? nempe, Spiritus-Sanctus: quis Clibanus? Videlicet, Vterus Marianus: quod Panarium? scilicet, vel MARIA, vel Sacramentum continens, legatur in Artifice Evangelico* Sandæi, V. PISTOR.

§. IX. PAXIMATES *Panes, seu* Paximatia, *seu*: Paxamidia.] *Horum meminerunt varij Auctores, tum Sacri, in Vitis PP. tum Profani. Ad rem militarem spectant ista. Leo Imp. in Tacticis cap.* X. §. 13. Commeatus Paxamadij, aut pisti, aut alterius cujusquam expeditæ rei, habeas viginti, aut triginta libras. *Idem cap.* XII. §. 123. Ipso belli die unusquisque miles gestet. ad sellam suam secum aquam in phlascijs, & Paxamadium in sellopungio, & farinæ unam atque alteram libram.

Idem

Idem cap. XIII. §. 11. Quisque miles, quando ad dimicationem belli procedit, habeat in Sellopungio suo, unam aut duas libras panis aut farinæ, aut stipi cocti, aut paxamadii, aut carnis. *Suidas.* Δίπυρος ἄρτος, *Biscoctus Panis apud Romanos dicitur* Παξαμᾶς. *Idem:* Παξαμάς, Panis biscoctus: *est vox Romana. Per Romanos intelligit ibi* Lipsius *de Militia Romana lib.* V. *dialo.* XI. *Græculos illos Romanos in Imperio Byzantino, qui sic dixere:* Isidori Glossæ, *Paximatium*, Panis subcinericius. *Nicolaus Rigaltius in Glossario Tactico mixo barbaro, haud improbabiliter existimat, à Paxamo cupediario, de quo Suidas, dictum Paxamatium.*

Paximates isti Panes dicti fuerunt Panes sicci: *quia* Δίπυροι *panes: bis cocti: nam siccitas ex recoctione oriebatur: recoctio verò & siccitas ad diuturnitatem faciebant: sicque per annum incorrupti durabant. Vnde & aqua macerabantur ante comestionem. Plura* Heribertus Rosweidus *in Onomastico ad Vitas PP.*

COMMENTATIO III.

EVCHARISTIA POTVS MILITARIS.

Quid bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi Frumentum Electorum, & Vinum germinans Virgines? Zachariæ IX. 17.

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Psal. CXV. 13.

MEMBRVM I.
ASSOCIATIO
Cibi Potusque in Convivio Militari.



CUM differuerim proximè de Commeatu militari, quem EVCHARISTIAM esse asserebam in Militiâ Christiana, multaq; attulerim in medium de cibis castrensibus, eorumque apparatu ut convivium lautius facerem; fortasse venit in mentem alicui sciscitari, num siccum esse debeat Militare convivium, aut olim fuerit sine potu castrensis epulatio, cùm illius nulla sit facta mentio? Quid esculenta sine poculentis? quid sine potu symposium? quid epulæ, quamvis saliares, sine vino? Addidisses aliquid de hoc succo, & ple-

MEMBRUM III.
EUCHRISTIA
Quæ Commeatus Militaris, est
PANCHRESTUM CASTRENSE.

QUAM benè provisum esset Exercitui, si Frumentum, quod militibus distribuitur, simul esset Medicamentum morbis omnibus conducibile, emplastrum vulnerum quorumcumque curativum, bolus Ponticus, quem Mithridates Rex Ponti sumebat quotidie contra mortifera, remedium præservativum, curativum, conservativum, semper & ubique præsentaneum? Præter effectum hactenus explicatum Commeatus nostræ Militiæ est alius longè diversus ab eo, quem præstat in Militiâ profanâ Cibus campestris, & castrensis. Qui licet famem sedet, satiet, roboret; non tamen invaletudinem, tanquam pharmacum curat, febrem ardentem non restinguit, ulcus pestilens non tollit, vulnus hians non constringit, cicatrices deformantes non aufert, denique, morbos acutos, ancipites, palabundos, inveteratos, lethales non sanat. Quod facit Eucharistia, quæ morborum non solùm animæ spiritualium, sed & corporalium est medicina, verè PHARMACUM IMMORTALITATIS, ut nominatur ab Ecclesiæ Doctoribus.

IN Vitis Patrum legimus Sanctos nonnullos ex eremis cultoribus, absque alio cibo solâ Eucharistiâ sustentatos, à morbis longo tempore liberos, vitam sanam ac diuturnam egisse. Palladius in historia Lausiaca capite xv. refert *Ioannem Monachum* cibum nunquam sumere solitum, nisi die Dominico Eucharistiam. Hanc solam ei fuisse Sacramentum, Commeatum, Medicinam. *Severus* Abbas celebris à jejunio, Dominico die Eucharistiâ, & modico pane refectus, per reliquum hebdomadæ nihil amplius comedebat; existimans unicam contra famem ac morbos omnes sufficere Eucharistiam, medicamentum æquè, ac Sacramentum, quod longâ experientiâ erat doctus. Scribit S. Bonaventura libro de Perfectione ad Sororem, personas debiles, infirmas, morbidas in sacra Synaxi tantum sentire roboris, confortationis, consolationisque, ut ab eâ robusti discedant, perinde, ac si nulli infirmitati fuissent obnoxiæ. Nimirum, Eucharistia est *Medicina*, confortans & curativa. LUDOVICUS Pius Imperator, cùm longissimo morbo torqueretur, totos quadraginta dies jejunus transegit, Eucharistiâ solam quotidie, cibi, & medicamenti loco sumens, ut qui adfuit ei Scriptor testatur. *(a)* Auctor est Sigebertus in Chronico, Anno DCCC.XXII. Puellam quandam duodennem, ditionis Tullensis, sumptâ in Paschate Eucharistia, per triennium omni cibo abstinuisse, neque morbo interim ulli succubuisse.

B. MA-

(a) Thomas Bozius Tom. 2. de Sign. Eccl. cap. 2.

B. MARIA Ogniacensis in Belgio sanctitatis famâ celebris, firma cibum omnem respuebat, solâ Eucharistiâ vivebat, convalescebat, optimè habebat: ac subinde facies ejus quosdam ex se radios lucis vibrare, & diffundere videbatur, inquit Cardinalis de Vitriaco in ejus vitâ. S. Gregorius Nazianzenus Oratione quam habuit in funere sui patris, memorat illum atdentissimâ ac diuturna febri exhaustum, sumptâ Eucharistia convaluisse. Ac subjungit, idem accidisse matri suæ. *Cùm nunquam non*, inquit, *dolore premeretur* (pater) *& quidem persæpe singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex solâ liturgiâ robur concipiebat. ac morbus, tanquam ex edicto ac imperio fugatus se subducebat.* Idem Theologus in funere Gorgoniæ sororis, scribit, illam ad S. Eucharistiam orantem à membrorum omnium solutione, ac gravissimis cruciatibus, quibus augebatur, sanitati, sibique restitutam. Non unum ergo tantum effectum, quemadmodum Commeatus Militiæ profanæ, habet Panis Eucharisticus, qui simul morborum omnium est nobile Medicamentum, Christianorum Militum Panchrestũ.

MEMBRVM IV.

EVCHARISTIA

Quà Commeatus militaris, est OBSONIVM.

SUNT prætereà in Eucharistiâ omnia, quæ militaris cibi nomine designantur. Siquidem, præter Panem, etiam obsonia ad victum accipiebant. Qualia autem illa? Obvia, & maximè parabilia. Nempe, Salem, sine quo vita non ducitur, Legumina, Caseum, ac Laridum, seu carnem suillam. Certè, Synesius (a) Caro Imperatori militariter cænanti scribit cænam fuisse, *è pisis pulmentam pridianum, & in ipso frusta aliquot suillæ salitæ carnis.* Hinc inter laudes Galliæ Cisalpinæ profert Polybius (b) glandes, & quod porci in ea abundent. Argumentum ejus rei adjungit, quod, *cùm plurimi in Italia cadantur, tum ad usus vitamq́; privatam tum ad ea, quæ in exercitus legionesq́; præbentur, his tamen omnibus sufficere Galliæ illam regionem* constet. Lautius Milites suos tractat Christus, in cujus Commeatu sunt ciborum omnes deliciæ. Unicus ille *Panis*, quicquid Cæna adipalis, genialis, Saliaris, Pontificalis, Regia spondere potest, & plus immensùm, continet. De illo enim verissimè dicitur: *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum* Panem *de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem*, Sapientiæ XVI. Græca sonant: ad omnem voluptatem valentem, & ad

(a) *Orat. de regno.* (b) *Libro IX.*

omnem congruum gustum; vel omni voluptate pollentem, cumque gustui accommodatum.

TALIS esca erat MANNA, typus Eucharistiæ. De quo adjungit Sapiens: *Ad quod quisque volebat, convertebatur.* Quod nonnulli de verâ substantialique mutatione, quæ est conversio philosophica, intelligunt; ita ut Exempli gratiâ, si quis perdicem appeteret, verteretur Manna in perdicis veram substantiam, salvis accidentibus prioribus. Quo pacto nos fides Catholica docet in Eucharistiâ fieri, cùm per *Transubstantiationem* transit substantia panis vinique in Corpus & Sanguinem Christi, remanentibus eorum accidentibus, quas deinde species Eucharisticas vocamus. Atque ita, inter summos ævi nostri Theologos Gregorius de Valentia, *(a)* scribit, Manna in varias ciborum substantias, ut quisque obtabat conversum fuisse. Quod innuit S. Augustinus *(b)* libro tertio de Trinitate. Ex recentioribus etiam Claudius Sainctes, *(c)* in eundem sensum, adfirmat, substantiam Mannæ in varias fuisse naturas transubstantiatam. Quod asserunt quoque, Nicolaus Sanderus, *(d)* Thomus Bozius, *(e)* ac Nicolaus Villagagnon, *(f)* qui probat accidentia panis ac vini, cum substantia Corporis ac Sanguinis Christi esse ad eum modum, quo cum accidentibus roris ac pruinæ sive Mannæ erat substantia panis. Cui sententiæ favet D. Chrysostomus appellans Manna novum quotidie cibum. Verùm, etiamsi hoc nõ contigisset, certum tamen est, habuisse Panem illum omnium ciborum delicias, divinâ providentiâ, gratiaque peculiari, licet ex naturâ suâ unius tantùm esset saporis, videlicet, quasi panis oleati; Eucharistiam referebat ob priorem illam amplitudinem, cùm nullius alimenti alterius in eã desideretur suavitas. O *! quàm suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, Pane suavissimo*, immò, suavitatum omnium, *de cælo præstito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.*

(a) *Tomo 4. disp. 6. q. 3. puncto 2. §. 4.* (b) *Lib. 3. cap. 1.* (c) *De Euchar. Rep. 7. cap.* (d) *Apud Claud.* (e) *Lib. 13. de Not. Eccl. cap. ult.* (f) *Lib. 3. in Calvi. cap. 52.*



MEM-

MEMBRVM V.
EVCHARISTIA
In Militia Christianâ
PANIS BVCCELLATVS.

EVCHARISTICVS Panis forma quoque exteriore, prout nunc apparatur, repræsentat Panem militarem. Cujus rei gratia, *Observo.* In scriptoribus, qui rem Militarem veterum posteritati tradiderunt, nominari *Panem Buccellatum.* Spartianus in Pescennio: *Pistores sequi expeditionem prohibuit, buccellato jubens Milites, & omnes contentos esse*: nempe, Legatos etiam ac Duces. Ammianus quoque in rebus Juliani libro XVII. *Viginti dierum frumentum ad usus diuturnitatem excoctum*, Buccellatum, *ut vulgo appellant*, *humeris imposuit lubentium militum.* Hinc in Volumine Codicis Theodosiani, *de erogat. milit. anno.* legere est: Milites expeditionis tempore, *Buccellatum* primis diebus, mox laridum, deinde carnem vervecinam accipere debere. Nam posteriori Imperatorum ævo non amplius dabatur Militibus frumentum, sed ex eo panis excoctus. Qui modus, ut nunc etiam servatur in Militia profana, aut utinam servaretur, veteri est utilior & commodior militi: quia ponderis minus est in mensura, ac modo eodem frumenti; facilius etiam portatur, & convehitur.

QVID est autem *Buccellatum*? Panis castrensis, in bucceas, seu buccellas, & quasi tessellata frustra dissectus. Vnde dicitur frustulum, seu particula, quantum bucca, seu oris concavitas commodè capere potest. Posset-ne effingi quidpiam magis simile particulæ Eucharisticæ, quæ accumbenti ad sacram Mensam porrigitur? Quæque fuit distributa Discipulis Christi manu in suprema Cœna, ut manu pictorum artificiosè exhibetur? Vidistis, haud dubiè, in multis tabulis aut imaginibus. Nec pictura illa à veritate abludit; & nititur Scripturæ Divinæ verbis satis manifestis. Nam Matthei XXVI. *Cœnantibus eis*, inquit Evangelista, *accepit IESVS Panem, & benedixit, ac fregit, deditq;*, dicens, *Hoc est Corpus meum.* Hinc in Sacris Paginis, Eucharistia, appellatur *Panis fractionis* seu fractus, divisus, *Buccellatus* 1 Corinth. x. 16. *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Et sanè Christus, tum alias, tum in ultima cum Apostolis Cœnâ, dicitur Panem fregisse, ac distribuisse, nempe, more Hebræorum, apud quos paterfamilias mensæ benedicens discumbentibus convivis panem frangere, ac cibos dividere solebat. Tradunt sanè Thalmudici apud Judæos ritum hunc fuisse receptum, ut in domestico convivio

pater

paterfamilias panem sumeret, benediceret, frangeret. Id ut tibi persuadeas facilius, scito, Orientales habuisse olim non panes elevatos, & per modum turbinis factos, quemadmodum nos habemus, ita ut ad scindendum cultro esset opus; sed pinsebant illi latos, atque subtiles, instar placentæ, unde manibus eos frangebant: sicut in plerisque regionibus buccellatim frangimus placentulas quadragesimales, quæ diebus esurialibus vesperi solent apponi. (a) Ut observatum à Convivialium Scriptoribus.

EXISTIMANT autem nonnulli, Christum habuisse peculiarem aliquem, ac notabilem modum frangendi panem: ideoque Discipulos duos in Emaunte cognovisse Dominum in *Fractione Panis* Lucæ ultimo. Quod de Eucharistico Pane intelligunt è Patribus, tum antiqui, tum recentes magno numero: & hi accuratè id probant. A multo autem tempore in Ecclesiâ Catholica non usurpatur fractio, dum laicis Eucharistia porrigitur, sed singula buccellata, seu minores hostiæ consecrantur ad vitandum periculum decidentium micarum. Et quod oporteat laicos, aliosque ministros, etiam sacros, præter Presbyterum sacrificantem, qui Hostiam majorem buccellatim frangit, minore contentos esse. Contrarium si fiat à quopiam, caveat, ne pænas det arrogantiæ aut temeritatis, ut ille, cujus punitionem divinitus factam describit Tilmannus Bredenbachius (b) in Collationibus sacris ex tabula æneâ, quæ prope Oenipontem adhuc pendet, & à peregrinis legi solet. Ecclesia tamen Græca & Æthiopica retinet antiquam frangendi consuetudinem. Habemus igitur in Commeatu Militiæ Christianæ Buccellatum.

(a) *Stuckius lib. 2. Convivial. cap. 3.* (b) *Lib. 1. cap. 52. Oswaldus Mulser pago Senell.*

MEMBRUM VI.

EUCHARISTIA

In Militia Christiana

PANIS BIS-COCTUS.

POSTERIORIBUS temporibus, in Militiâ profana, Panis castrensis, ut diuturnior esset, bis coquebatur, maximè, ad expeditionem nauticam. Unde etiam-num Panis nauticus vulgo appellatur, & bis-coctus. Clarissimè Procopius lib. 1. belli Wandalici, agens de Joanne quodam Præfecto Prætorij sub Justiniano: *Panem, qui in exercitu fertur, bis est consuetudo in clibanum ponere, ut diligenter coctus diu duret, non citò corrumpi possit. Verùm, eundem pondere à primo, deficere pro quarta minimum parte, necesse est.* Addit deinde, vafrum illum Joannem, ut pondus

hoc

hoc lucri sibi faceret, nec sumptus tamen ad ignem adderet; *panem istum in balneis jussisse siccari, ut in speciem coctus videretur: sed eundem in naves illatum (maritima tunc forte expeditio erat) statim in farinam solutum, eamq; olidam & rancidam; cujus esu milites inciderunt in morbos.* Celebrant etiam *Bis-coctum* panem Græci, quem vocant Δίπυρον, bis ignitum. A Bizantinis idem appellatur παξαμᾶς. *Paxamadium* est in Leonis Imperatoris præscriptionibus, cap. x. ubi dicitur. *Commeatus Paxamadij, sive biscocti habeas viginti aut triginta libras.* Alibi legitur, *Milites saccos pelliceos in humeris ferentes, in quibus nihil alind, quàm panes biscoctos domi imposuerant, abibant.* Saccos istiusmodi militares πήρας vocat Polybius.

QVIS *Panis* veriore denominatione *Bis coctus* dici potest, quam Eucharisticus? Christus DEI Filius in candido farinulæ exterius apparentis orbiculo delitescens? Verbum Patris in niveâ panis placentulâ absconditum? An-non in ardentissimo nostri amore Patris æterni sinu, tanquam in ignitis carbonibus hæsit, antequam ad nos devolveretur? An-non Virginis Matris uterus fuit clibanus ardore cælesti fervens, in quo Opificis divini manu formam Panis vivi ac vitalis induit? An-non Panis Eucharisticus è cælo transmissus, operâ Spiritus S. paratus in alvo maternâ, attritus mola laborum, subactus aqua tribulationum, persequutionum, tormentorum, excoctus iterum igne caritatis ardentissimæ fuit in camino Crucis? Verè *Bis-coctus, Bis ignitus*: igne amoris DEI, igne dilectionis proximi. Quamvis Eucharistia, non tam sit Panis, vel Carbo ignitus quàm IGNIS ipse amoris divini, accendens in sumentibus dignè, ardorem caritatis ignitæ. In ea enim Christus est AMOR AMORVM. qui

Se nascens dedit Socium:
Convescens in edulium:
Se moriens in precium:
Se regnans dat in præmium.

Quis itaque non amet Christum, totumque in eum non transeat, dum totus in eum, Amore impellente, & igne convertente, transit Christus? Quis Christum, Panem bis ignitum, Carbonem accensum, Ignem penetrabilem ac penetrantem suscipiens, eo non inardescat? *Factus est DEVS homo, ut homo fieret DEVS. Vt Panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo,* (a) inquit S. Augustinus (b) De B. Catharina Senensi scribit auctor Vitæ, (c) Cor illius Christi Patientis consideratione, & amore fissum fuisse, atque ita illam expirasse. Profectò, mirum est, Cor nostrum in Eucharistiæ perceptione tanto Christi amore non findi, & igne tam violento, ac torrido non consumi.

(a) *S. Bernard. de Cœna Dom.* (b) *Serm. 9. de Nativitate Domini* (c) *Lib. 2. cap. 30.*

MEMBRVM VII.
EVCHARISTIA
Deliciæ Militares
PANIS - CALIDVS.

IN delicijs olim erat Militibus *Panis recens & calidus*, atque aliquid coĉti obſonij. Quare delicatiores quidam ac opulentiores, commumem ſicci panis & aſperi alimoniam detreĉtantes, habebant in exercitu piſtores ad panem recentem, quos amandavit Peſcennius. apud Spartianum Reperies etiam ſcriptum in Polyæno: cùm Scipio ad Numantiam reſtitùeret diſciplinam militarem, juſſiſſe, ut in prandio adhiberét *ſine igne cibum*, id eſt, incoĉtum; *in cænam verò* proferrent, & adderent *carnem aſſam*, vel *elixam* (quod indulgentis fuit) *ſi illius copia eſſet.* (*a*) Ad delicias Commeatum ſuis ſuppeditat noſter Imperator. Siquidem *Panem* ſemper, non inſuavem, ſed dulciarium; non mucidum fœtentemque, ſed benè olentem; non confuſaneum, ſed purum; non furfuraceum, ſed purgatum; non deformem, ſed elegantem; non ſiccum, ſed adipatum; non durum, ſed mollem; non frigidum, ſed calidum, & calefacientem; verè, ex flore & polline puriſſimæ farinæ confeĉtum, verè ſaccharitem, verè Panem Martium; addito, carnis optimæ, ad ignem Amoris aſſæ obſonio ſuppeditat. Sentiebat hanc dulcedinem, ſi quis alius, certè S. FRANCISCVS, qui flagrabat, ut ſcribit (*b*) D. Bonaventura, erga Sacramentum Corporis & Sanguinis Dominici fervore omnium medullarum, ſtupore admirans permaximo, illam cariſſimam dignationem, & dignantiſſimam caritatem. Sæpe communicabat, & tam devotè, ut alios devotos efficeret. Dum ad Agni immaculati deguſtationem ſuavem perveniret, quaſi ſpiritu EBRIVS, in mentis, ut plurimum rapiebatur exceſſus. Monachus quidam Ordinis Ciſtercienſis, ut habent Chronica, quoties Chriſto in Euchariſtiâ reficiebatur, toties videbatur ſibi favum mellis ſumere, cujus ſuavitas illi in ore toto die perdurabat. S. MARIA Ægyptiaca vadens ad eremum Synaxim ſumpſit, ac deinde vixit ibi ſine alio cibo multis annis. Moritura eandem, inſtar viatici, accipiens, extenſis in cælum manibus, ingeniſcens cum lacrymis exclamabat: *Nunc dimittas* Ancillam tuam, *Domine, ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Et mox ſanĉtè, placidèque obdormivit in Domino. Vt refert oculatus teſtis Zozymas in vita. Idem majori pietatis & amoris ſenſu fecit S. MARIA Magdalena, paullò ante mortem Euchariſtiam ei præbente S. Maximino. S. Caſſius Epiſcopus Narnienſis quotidiè celebrans ſanĉtis pijs que lacrymis præ dulcedine diffluebat, ut refert S. Gregorius. (*c*) Et hunc nos Panem ſæpe

(a) *I. Lipſ. lib. 5. Milit. Dialog.* 16. (b) *Vit. S. Franciſ. cap.* 9. (c) *Homil.* 37.

sæpe fastidimus, cùm tamen ipse summus Princeps, illum, quando in castris agebat, habuerit in delicijs.

MIRE commendantur illi in Militiâ Duces, qui cibo militari eodem quo ceteri fuerunt pasti. Hanc laudem inter alios meruit Pescennius, qui, ut est apud Spartianum: *In omni expeditione cibum militarem sumpsit.* Alexander etiam, ut Lampridius narrat: *apertis papilionibus prandit, atque cænavit, cùm militarem cibum, cunctis videntibus, atque gaudentibus sumeret.* En Virum dignum titulo & loco Principali! exclamat quidam. De Juliano quoque in castris agente scribit Ammianus lib. XXI. *Imperatori non cupedia ciborum ex regio more, sed sub columellis tabernaculi cænaturo pultis portio parabatur exigua, etiam municipi fastidienda gregario.* Id gloriolæ captandæ gratiâ fortasse faciebat impius Apostata, quod alij ex vera virtute. Sed omnibus major, magisq; sincerus Christus Imperator, processurus ad conflictum, dapsilem commilitonibus daturus cænam, eamque supremam, militariter sanè suos pavit; at ita, ut ipse primus castrensi more pasceretur, nec alio quàm militari commeatu. Hac de caussâ ante Passionem in amplissimo cænaculo Eucharistiam instituit, Panem Eucharisticum sumpsit, eundemque selectis suis Militibus distribuit. Illustri exemplo, monitoque, ut quotiescumque nobis contra hostes, seu visibiles, seu invisibiles est procedendum ad prælium, quotiescumque tentationi alicui gravi resistendum, militari hoc COMMEATV nos muniamus, & armemus, cum GLADIVS sit & PANIS, Cibus quoque ac integrum Convivium. O sacrum CONVIVIVM in quo CHRISTVS sumitur!

NOTÆ.

In quibus Auctores, & Spicilegium.

§. I. COMMEATVS.] *Significat I. facultatem abeundi, quæ vulgo* Salvusconductus *dicitur, quem dat militi Imperator ad certum diem reversuro. Auctor ad Herennium* : Ille ad diem commeatus non venit, quod cum aquæ interclusissent. *Livius lib.* XXIII. Magna pars sine commeatibus dilabebatur. *II. Significat alimonia necessaria. Cic. pro Lege Manil.* Commeatu & privato & publico prohibemur. *Trium dierum commeatus dicitur, cùm instare paupertas extrema significatur Hinc proverbialiter* : Commeatus tridui.

§. ANNONA.] *Est res frumentaria, quæ ad annuum victum reponitur. Vel quæ toto anno suppeditantur ad alimentum : non fruges tantùm, sed alia quæcumq;. Item, definita annuorum cibariorum mensura Nonnunquam pro solo pane usurpatur apud Iurisconsultos, apud quos nominantur, Annonæ civiles, quæ & panes civiles. Sic Annona militaris, qui Panis militaris. Annonarias expensas vocat Vegetius, eas frugum pabuliq; species, quas provinciales militibus expendunt. Annotinas naves dixit Cæsar 5. bell. Gal. quibus annona comportatur. Deniq; ut Annona pro pane capitur, sic panis pro annona,*

Idem cap. XIII. §. 11. Quisque miles, quando ad dimicationem belli procedit, habeat in Sellopungio suo, unam aut duas libras panis aut farinæ, aut stipi cocti, aut paxamadii, aut carnis. *Sindas.* Δίπυρος ἄρτος, *Biscoctus Panis apud* Romanos *dicitur* Παξαμᾶς. *Idem:* Παξαμάς, Panis biscoctus: *est vox Romana. Per Romanos intelligit ibi* Lipsius *de Militia* Romana *lib.* V. *dialo.* XI. *Græculos illos Romanos in Imperio Byzantino, qui sic dixere:* Isidori Glossæ, *Paximatium*, Panis subcinericius. *Nicolaus* Rigaltius *in Glossario Tactico miso barbaro, haud improbabiliter existimat, à Paxamo cupediario, de quo Suidas, dictum Paxamatium.*

Paximates isti Panes dicti fuerant Panes sicci: *quia* Δίπυροι *panes: bis cocti: nam siccitas ex recoctione oriebatur: recoctio verò & siccitas ad diuturnitatem faciebant: sicque per annum incorrupti durabant. Vnde & aqua madefabantur ante comestionem. Plura* Heribertus Rosweidus *in Onomastico ad Vitas PP.*




COMMENTATIO III.

EVCHARISTIA POTVS MILITARIS.

Quid bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi Frumentum Electorum, & Vinum germinans Virgines? Zachariæ IX. 17.

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Psal. CXV. 13.

MEMBRVM I.
ASSOCIATIO
Cibi Potusque in Convivio Militari.



CUM disseruerim proximè de Commeatu militari, quem EVCHARISTIAM esse asserebam in Militiâ Christiana, multaq; attulerim in medium de cibis castrensibus, eorumque apparatu ut convivium lautius facerem; fortasse venit in mentem alicui sciscitari, num siccum esse debeat Militare convivium, aut olim fuerit sine potu castrensis epulatio, cùm illius nulla sit facta mentio? Quid esculenta sine poculentis? quid sine potu symposium? quid epulæ, quamvis saliares, sine vino? Addidisses aliquid de hoc succo, & ple-

nissima ac jucundissima fuisset dissertatio, quæ ob siccitatem parum fortasse apud aliquos habuit amœnitatis. Et haud dubiè multorum est desiderium audire nonnihil de Potu castrensi. Itaque satisfaciamus expectationi. Tũ ut plena sit hæc de Commeatu militari Commentatio. Tum, ut quoniá dies superiores divinissimo Eucharistiæ Sacrãmento fuerunt dicati, & de una illius specie à nobis actum est alteri quoque non minus dignæ suus & locus & tempus detur, ac honos habeatur, Tum, ut hinc eluceat, quantus optimo Pastorum Christo fuerit amor erga genus humanum, tãquam unam oviculam, ex nonaginta novem, quam quæsitam, in humeros conjectam, deportatam ad Ecclesiæ ovile, non solùm pascere voluit frumento sacratissimi Corporis, sed etiam dare potum preciosissimi sui Sanguinis. Qui est scopus Evangelii, quod hac Dominicâ recitatur.

MEMBRVM II.

VINVM

A Militia profana olim proscriptum.

QUEM putatis vos fuisse potum castrensem veteribus in Militia usurpatum? Fortasse Vinum Chium, aut Falernum edentulum? fortasse Appianum, Creticum, Hispaniense? aut, si hæc nimis generosa & valida, caput petere, & vincire pedes solita, saltem, vinũ patrium, acescens, asperum, exolescens, cibarium, idque benè dilutum & lymphatum, à quo nullum cerebro periculum, nulla manibus aut pedibus vacillatio? Has delicias non norant castra Romana, imò, nec gentis ullius. Vbique Aquam propinatam reperio. Itaque cellaria militum erant rivi, lacus, fluvii. Hinc petebant potum, ut sitim restinguerent, tam ipsi, quàm jumenta. Graviter ac severè Pescennius apud Spartianum: *Cùm apud Ægyptum, ab eo limitanei milites vinum peterent, respondit: Nilum habetis & vinum quæritis?* De Catone Censorio ita scribit Plutarchus: *Aquam bibit in militia nisi si in acri siti, & calore acetum posceret, aut viribus defectus exiguum aliquod villum sumeret.* Græcè est, μικρὸν οἰνάριον, vinum nullarum, aut exiguarum virium. Ita villum sumit Terentius: vappam vocant alii. Sic bibebat Cato, ille in Republica nobilis, illustris eques; in militia inter Duces inclytus, ubique honoratus. Vulgo, ac penè semper utebatur aqua mera; interdum, quando postulabat id necessitas, aceto, non solo quidem, sed cum aqua mixto.

QVI potus *Posca* dicebatur, ut est apud Plinium. Celsus & Medici communiter *Puscam* nominant. Aëtius & Æginеta etiam *Phuscam*. De ea intelligo quod habet Spartianus in Pescennio: *Jussit vinum in expeditione nemi-*

neminem bibere, sed aceto universos esse contentos: nempe Duces quoque ipsos comprehendens. Fuit hic olim servorum potus, qui joco caussam dedit Plauto scomma jacienti,

Sed hic Rex cum aceto pransurus est & sale.

Loquitur de Servo, cui Regis persona erat imposita, de quo iterum

Hic Rex poscam bibet, & salem pro obsonio delinget.

Alii ebrii sunt, alii poscam potitant.

Nimirum, ex iis quidam, licet servi, vino sunt ebrii; alii, quamvis liberi, poscam bibunt. Habetis potum militum apud Romanos & gentes alias. Certè, Cretēses, & Lacedæmonii militibus, in omni militia vino interdixerunt. Plato li.2. de leg. & in Timæo quoque legem antiquam Carthaginiensium fuisse refert: Ne quis toto belli tempore vino uteretur, aquæ potu contentus. Cujus legis meminit Aristoteles in Oeconomicis lib.5. cap.5. rationemque adjungit, quia ferociam inducit. Sed sunt plures aliæ, quas postea indicabimus.

MEMBRVM III.

VINVM EVCHARISTICVM
In Militia Christiana.

LAVTIVS splendidiusque suos in hac quoque parte Commeatus Militaris CHRISTVS Imperator habere solet: siquidem omnibus sub vexillo suo militantibus indulget Vinum. Quare præter Frumentum, ex quo Pānis castrensis, Zacharias Propheta capite IX. nominat VINVM, cui nobilissimam qualitatem & effectum adjungit: *Quid bonum est*, inquiens, *quid pulchrum ejus, nisi* Frumentum Electorum, *&* VINVM GERMINANS VIRGINES? Quod ad Eucharistiæ Sacramentum esse referendum litterali quoque sensu superius est demonstratum. Est in eā Vinum, quia Sanguis Christi. Apud Prophetam, vocabulum Hebraicum, *tiros*, significat Vinum recens, sive mustum, ut monet nobilis Interpres. Est autem illud suavissimum, atque adeò potens, ut ebulliat, & vasa maxima ac crassissima, nisi hiatus laxitatem inducat, cureturque spiraculum, per quod exæstuet, dirumpat. Quid musto recenti dulcius? quid fortius? quid ferventius? quid splendidius? quid efficacius? quid accommodatius ad cor exhilarandum? ad vitales & animales vires reficiendas? ad spiritus excitandos? ad animum permovendum? ad mentem illustrandam, acuendamque? Tam suave, dulce, sapidum, tam fervens, tam splendidum, tam efficax; immò, suavius, dulcius, sapidius, ferventius, splendidius, efficacius, quàm linguâ

(a) תירוש tiros, *mustum. Cornel. Zachar.* IX.

guâ effecri, aut cogitatione, & judicio à nobis nostro æstimari possit, est *Vinum Eucharisticum*. Quo succus ac Spiritus Christi Ducis nostri nobis instillatur. Quo hausto, excitantur ignavi ac languidi, reviviscunt mortui, & in alios bellatores transformantur catenus vix umbræ. Eodem ardorem concipiunt juvenilem effœti, viresque ardori conformes ad omnes Militiæ labores fortiter sustinendos, quamlibet expeditionem promptè suscipiendam, & quemcumque conflictum cum quibuscunque hostibus ineundum.

O VINUM verè vitale! Profectò, quod quidam dixit: Vinum videri vitam alteram, non sine DEI consilio à Noë Patriarcha inventum, ut succederet in locum Ligni vitæ, hominibus post Protoplasti scelus vetiti, in Vinum Eucharisticum melius, quàm in vulgare nostrum quadrat. Vinum istud ait Propheta esse *Germinans virgines*. (*a*) Hebraicè est, *jenobeb*. quod LXXta Interpretes vertunt, εὐωδιάζων, hoc est, odoratum ad Virgines: bonum odorem exhalans ad Virgines: ut videatur aromatites, omni Cretico, Chio, Malvasio, splendidius, odoratius, sapidius. Verè Vinum COS, quomodo optimúm vocant œnopolæ, nempe trium litterarum, quorum prima C. indicat colorem, qui sit aureus; altera, O. odorem; ultima, S, saporem quem habeat eximium. Quale, ut differit S. Hieronymus, erat illud Sponsæ dicentis Canticorum VIII. *Dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum*. Easdem dotes, variosque effectus Vini illius mystici declarant Interpretes sacri variis lectionibus: Tigurinus legit, *Vinum succulentos, & vegetos reddens*. Sanchez. *florere faciens*. Alii *fructificans, procreans, propagans*. Vatablus, *exhilarans*: Syrus, *jucundans, delectans*. Arabicus, *unguens instar unguenti*. Pagninus, *cantare faciens*. Sic enim vertit, *Frumentum juvenes, & Vinum cantare faciens Virgines*. Nimirum, EUCHARISTIA, quæ omnia hæc præstat abundantissimè. Nam & animam corroborat, & eandem vegetam, florentem, alacrem, atque expeditam ad quodlibet virtutis opus inchoandum, perficiendumque efficit; & hilaritate perfundit cœlesti; denique, inebriat, ebrietate sanctâ, qua fit, ut in DEI laudes clamoresque frequenter erumpat. Quod in primitiva Ecclesiâ erat solenne, quando post sacram Synaxin fideles, haud secus, ac si Christi Sanguine, ejusque amore temulenti essent, canebant, psallebant ac propè tripudiabant: sæpe etiam velut enthusiasmo, & Spiritu Sancto correpti, arcana, altissimaque mysteria miris modis odisque suavissimis eructabant. Cujus testis locuples est Paulus Apostolus, scribens (*b*) Corinthiis, & Ephesijs, quos monet: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Quo igitur? Vino Eucharistico, in quo est sancta ac sobria ebrietas: atque ita *implemini Spiritu-Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino*.

MEM-

(*a*) ינבב *jenobeb*. εὐωδιάζων. (*b*) 1. *Corinth*. XIV. 26. *Ad Ephes*. V.

MEMBRVM IV.

VINUM

Quare in Militia profana à Romanis vetitum?

FACILIS est responsio, quia vino Bacchico nihil nocentius est pugnantibus cum hoste corporeo. Vinum istud inebriat: ebrietas autem & temulentia maximè noxia est in bello. Vinum Bacchicum veram animi fortitudinem diminuit, immò tollit prorsus. Militi necessaria est præter fortitudinem, I. Vigilantia. II. Taciturnitas, seu secreti fides. III. Prudentia. IV. Moderatio, contra furorem, & cæcam rabiem. V. Corpus validum, firmumque, pedes minimè vacillantes, cerebrum benè constitutum, sanitas integra, morborum expers. VI. Castimonia. Quod argumentis alibi probatur validissimis. At, hæc omnia corrumpit, vel omninò aufert Vinum, in quo est Luxuria; unde exercitus instructissimi, jam propè partâ victoriâ perierunt ob quorundam temulentiam. Quid si omnes, aut magna pars sint ebrij? quid exspectetur ab ebriorum exercitu? certè, minus quàm à leporum & damarum. Exemplis agatur ad rem nostram accommodatissimis.

NARRAT sacra Regum historia, Benadabum Syriæ Regem potentissimum omni exercitus robore coacto, cum alijs triginta duobus Regibus in belli societatem assumptis, numeroso peditum, equitum, ac falcatorum curruum apparatu Samariam civitatem obsedisse, atque Israëlitarum Regi Achabo ultimum exterminiũ denunciasse minis insolentissimis. Libro III. Reg. cap. 20. Hæc faciant mihi Dij (jurejurando asseverabat Benadab) ,,
& hæc addant, si sufficeerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui se- ,,
quitur me. Et respondens Rex Israël, ait. Dicite ei, non glorietur accin- ,,
ctus æquè ac discinctus. Factum est autem cùm audisset Benadab verbum ,,
istud, bibebat ipse & Rex in umbraculis. Et ait servis suis: circumdate ,,
civitatem & circumdederunt eam. Et ecce Propheta unus accedens ad ,,
Achab Regem Israël, ait ei: Hæc dicit Dominus: certè, vidisti omnem ,,
hanc multitudinem nimiam. Ecce ego tradam illam in manu tua hodie, ,,
ut scias, quia ego sum Dominus. Et ait Achab, per quem? dixitque ei: ,,
hæc dicit Dominus, per pedissequos Principum Provinciarum. Et ait. ,,
quis incipiet prœliari? Et ille dixit, Tu. Recensuit ergo pueros provin- ,,
ciarum, & reperit numerum ducentorum triginta duorum. Et recensuit ,,
post eos populum, omnes filios Israël, septem millia: & egressi sunt meri- ,,
die. Benadab autem bibebat temulentus in umbraculo suo, & triginta duo ,,
Reges cum eo, qui ad auxilium ejus venerant. Egressi sunt autem pueri ,,

paterfamilias panem sumeret, benediceret, frangeret. Id ut tibi persuadeas facilius, scito, Orientales habuisse olim non panes elevatos, & per modum turbinis factos, quemadmodum nos habemus, ita ut ad scindendum cultro esset opus; sed pinsebant illi latos, atque subtiles, instar placentæ, unde manibus eos frangebant: sicut in plerisque regionibus buccellatim frangimus placentulas quadragesimales, quæ diebus esurialibus vesperi solent apponi. (a) Ut observatum à Convivialium Scriptoribus.

EXISTIMANT autem nonnulli, Christum habuisse pecuriarem aliquem, ac notabilem modum frangendi panem: ideoque Discipulos duos in Emaunte cognovisse Dominum in *Fractione Panis* Lucæ ultimo. Quod de Eucharistico Pane intelligunt è Patribus, tum antiqui, tum recentes magno numero: & hi acuratè id probant. A multo autem tempore in Ecclesiâ Catholica non usurpatur fractio, dum laicis Eucharistia porrigitur, sed singula buccellata, seu minores hostiæ consecrantur ad vitandum periculum decidentium micarum. Et quod oporteat laicos, aliosque ministros, etiam sacros, præter Presbyterum sacrificantem, qui Hostiam majorem buccellatim frangit, minore contentos esse. Contrarium si fiat à quopiam, caveat, ne pænas det arrogantiæ aut temeritatis, ut ille, cujus punitionem divinitus factam describit Tilmannus Bredenbachius (b) in Collationibus sacris ex tabula æneâ, quæ prope Oenipontem adhuc pendet, & à peregrinis legi solet. Ecclesia tamen Græca & Æthiopica retinet antiquam frangendi consuetudinem. Habemus igitur in Commeatu Militiæ Christianæ Buccellatum.

(a) *Stuckius lib. 2. Convivial. cap. 3.* (b) *Lib. 1. cap. 52. Oswaldus Mulser pago Senell.*

MEMBRUM VI.

EUCHARISTIA

In Militia Christiana

PANIS BIS-COCTUS.

POSTERIORIBUS temporibus, in Militiâ profana, Panis castrensis, ut diuturnior esset, bis coquebatur, maximè, ad expeditionem nauticam. Unde etiam-num Panis nauticus vulgo appellatur, & bis-coctus. Clarissimè Procopius lib. 1. belli Wandalici, agens de Joanne quodam Præfecto Prætorij sub Justiniano: *Panem, qui in exercitu fertur, bis est consuetudo in clibanum ponere, ut diligenter coctus diu duret, non citò corrumpi possit. Verùm, eundem pondere à primo, deficere pro quarta minimum parte, necesse est.* Addit deinde, vafrum illum Joannem, ut pondus

hoc

hoc lucri sibi faceret, nec sumptus tamen ad ignem adderet; *panem istum in balneis jussisse siccari, ut in speciem coctus videretur: sed eundem in naves illatum (maritima tunc forte expeditio erat) statim in farinam solutum, eamq; olidam & rancidam; cujus esu milites inciderunt in morbos.* Celebrant etiam *Bis-coctum* panem Græci, quem vocant Δίπυρον, bis ignitum. A Bizantinis idem appellatur παξαμᾶς. *Paxamadium* est in Leonis Imperatoris præscriptionibus, cap. x. ubi dicitur. *Commeatus Paxamadij, sive biscocti habeat viginti aut triginta libras.* Alibi legitur, *Milites saccos pelliceos in humeris ferentes, in quibus nihil aliud, quàm panes biscoctos domi imposuerant, abibant.* Saccos istiusmodi militares πήρας vocat Polybius.

QVIS *Panis* veriore denominatione *Bis coctus* dici potest, quam Eucharisticus? Christus DEI Filius in candido farinulæ exterius apparentis orbiculo delitescens? Verbum Patris in niveâ panis placentulâ absconditum? An-non in ardentissimo nostri amore Patris æterni sinu, tanquam in ignitis carbonibus hæsit, antequam ad nos devolveretur? An-non Virginis Matris uterus fuit clibanus ardore cælesti fervens, in quo Opificis divini manu formam Panis vivi ac vitalis induit? An-non Panis Eucharisticus è cælo transmissus, operâ Spiritus S. paratus in alvo maternâ, attritus mola laborum, subactus aqua tribulationum, persequutionum, tormentorum, excoctus iterum igne caritatis ardentissimæ fuit in camino Crucis? Verè *Bis-coctus, Bis ignitus*: igne amoris DEI, igne dilectionis proximi. Quamvis Eucharistia, non tam sit Panis, vel Carbo ignitus quàm IGNIS ipse amoris divini, accendens in sumentibus dignè, ardorem caritatis ignitæ. In ea enim Christus est AMOR AMORVM. qui

Se nascens dedit Socium:
Convescens in edulium:
Se moriens in precium:
Se regnans dat in premium.

Quis itaque non amet Christum, totumque in eum non transeat, dum totus in eum, Amore impellente, & igne convertente, transit Christus? Quis Christum, Panem bis ignitum, Carbonem accensum, Ignem penetrabilem ac penetrantem suscipiens, eo non inardescat? *Factus est DEVS homo, ut homo fieret DEVS. Vt Panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est homo,* (a) inquit S. Augustinus (b) De B. Cathatina Senensi scribit auctor Vitæ, (c) Cor illius Christi Patientis consideratione, & amore fissum fuisse, atque ita illam expirasse. Profectò, mirum est, Cor nostrum in Eucharistiæ perceptione tanto Christi amore non findi, & igne tam violento, ac torrido non consumi.

Nnn MEM-

(a) *S. Bernard. de Cœna Dom.* (b) *Serm. 9. de Nativitate Domini* (c) *Lib. 2. cap. 30.*

MEMBRVM VII.
EVCHARISTIA
Deliciæ Militares
PANIS - CALIDVS.

IN delicijs olim erat Militibus *Panis recens & calidus*, atque aliquid cocti obsonij. Quare delicatiores quidam ac opulentiores, communem sicci panis & asperi alimoniam detrectantes, habebant in exercitu pistores ad panem recentem, quos amandavit Pescennius. apud Spartianum. Reperies etiam scriptum in Polyæno: cùm Scipio ad Numantiam restitueret disciplinam militarem. jussisse, ut in prandio adhiberét *sine igne cibum*, id est, incoctum; *in cænam verò* proferrent, & adderent *carnem assam*, vel *elixam* (quod indulgentis fuit) *si illius copia esset*. (a) Ad delicias Commeatum suis suppeditat noster Imperator. Siquidem *Panem* semper, non insuavem, sed dulciarium; non mucidum fætentemque, sed benè olentem; non confusaneum, sed purum; non furfuraceum, sed purgatum; non deformem, sed elegantem; non siccum, sed adipatum; non durum, sed mollem; non frigidum, sed calidum, & calefacientem; verè, ex flore & polline purissimæ farinæ confectum, verè saccharitem, verè Panem Martium; addito, carnis optimæ, ad ignem Amoris assæ obsonio suppeditat. Sentiebat hanc dulcedinem, si quis alius, certè S. FRANCISCVS, qui flagrabat, ut scribit (*b*) D. Bonaventura, erga Sacramentum Corporis & Sanguinis Dominici fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo, illam carissimam dignationem, & dignantissimam caritatem. Sæpe communicabat, & tam devotè, ut alios devotos efficeret. Dum ad Agni immaculati degustationem suavem perveniret, quasi spiritu EBRIVS, in mentis, ut plurimum rapiebatur excessus. Monachus quidam Ordinis Cisterciensis, ut habent Chronica, quoties Christo in Eucharistiâ reficiebatur, toties videbatur sibi favum mellis sumere, cujus suavitas illi in ore toto die perdurabat. S. MARIA Ægyptiaca vadens ad eremum Synaxim sumpsit, ac deinde vixit ibi sine alio cibo multis annis. Moritura eandem, instar viatici, accipiens, extensis in cælum manibus, ingeniscens cum lacrymis exclamabat: *Nunc dimittas* Ancillam tuam, *Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et mox sanctè, placidèque obdormivit in Domino. Vt refert oculatus testis Zozymas in vita. Idem majori pietatis & amoris sensu fecit S. MARIA Magdalena, paullò ante mortem Eucharistiam ei præbente S. Maximino. S. Cassius Episcopus Narniensis quotidiè celebrans sanctis pijs que lacrymis præ dulcedine diffluebat, ut refert S. Gregorius. (*c*) Et hunc nos Panem sæpe

(a) *1. Lips. lib. 5. Milit. Dialog. 16.* (b) *Vit. S. Francisc. cap. 9.* (c) *Homil. 37.*

sæpe fastidimus, cùm tamen ipse summus Princeps, illum, quando in castris agebat, habuerit in delicijs.

MIRE commendantur illi in Militiâ Duces, qui cibo militari eodem quo ceteri fuerunt pasti. Hanc laudem inter alios meruit Pescennius, qui, ut est apud Spartianum: *In omni expeditione cibum militarem sumpsit.* Alexander etiam, ut Lampridius narrat: *apertis papilionibus prandit, atque cænavit, cùm militarem cibum, cunctis videntibus, atque gaudentibus sumeret.* En Virum dignum titulo & loco Principali! exclamat quidam. De Juliano quoque in castris agente scribit Ammianus lib. XXI. *Imperatori non cupedia ciborum ex regio more, sed sub columellis tabernaculi cænaturo pultis portio parabatur exigua, etiam municipi fastidienda gregario.* Id gloriolæ captandæ gratiâ fortasse faciebat impius Apostata, quod alij ex vera virtute. Sed omnibus major, magisq; sincerus Christus Imperator, processurus ad conflictum, dapsilem commilitonibus daturus cænam, eamque supremam, militariter sanè suos pavit; at ita, ut ipse primus castrensi more pasceretur, nec alio quàm militari commeatu. Hac de caussâ ante Passionem in amplissimo cænaculo Eucharistiam instituit, Panem Eucharisticum sumpsit, eundemque selectis suis Militibus distribuit. Illustri exemplo, monitoque, ut quotiescumque nobis contra hostes, seu visibiles, seu invisibiles est procedendum ad prælium, quotiescumque tentationi alicui gravi resistendum, militari hoc COMMEATV nos muniamus, & armemus, cum GLADIVS sit & PANIS, Cibus quoque ac integrum Convivium. O sacrum CONVIVIVM in quo CHRISTVS sumitur!

NOTÆ.

In quibus Auctores, & Spicilegium.

§. I. COMMEATVS.] *Significat I. facultatem abeundi, quæ vulgo* Salvus-conductus *dicitur, quem dat militi Imperator ad certum diem reversuro. Auctor ad Herennium*: Ille ad diem commeatus non venit, quod cum aquæ intercludissent. *Livius lib.* XXIII. Magna pars sine commeatibus dilabebatur. *II. Significat alimonia necessaria. Cic. pro Lege Manil.* Commeatu & privato & publico prohibemur. *Trium dierum commeatus dicitur, cùm instare paupertas extrema significatur. Hinc proverbialiter*: Commeatus tridui.

§. ANNONA.] *Est res frumentaria, quæ ad annuum victum reponitur. Vel quæ toto anno suppeditantur ad alimentum: non fruges tantùm, sed alia quæcumq;. Item, definita annuorum cibariorum mensura. Nonnumquam pro solo pane usurpatur apud Iurisconsultos, apud quos nominantur, Annonæ civiles, quæ & panes civiles. Sic Annona militaris, qui Panis militaris, Annonarias expensas vocat Vegetius, eas frugum pabuliq; species, quas provinciales militibus expendunt. Annotinas naves dixit Cæsar 5. bell. Gal. quibus annona comportatur. Deniq; ut Annona pro pane capitur, sic panis pro an-*

Idem cap. XIII. §. II. Quisque miles, quando ad dimicationem belli procedit, habeat in Sellopungio suo, unam aut duas libras panis aut farinæ, aut stipi cocti, aut paxamadii, aut carnis. *Sindas.* Δίπυρος ἄρτος, *Biscoctus Panis apud* Romanos *dicitur* Παξαμᾶς. *Idem:* Παξαμάς, Panis biscoctus: *est vox Romana. Per Romanos intelligit ibi* Lipsius *de Militia* Romana *lib.* V. *dialo.* XI. *Græculos illos Romanos in Imperio Byzantino, qui sic dixere:* Isidori Glossæ, *Paximatium*, Panis subcinericius. *Nicolaus* Rigaltius *in Glossario Tactico miso barbaro, haud improbabiliter existimat, à Paxamo cupediario, de quo Suidas, dictum Paxamatium.*

Paximates isti Panes dicti fuerunt Panes sicci: *quia* Δίπυροι *panes: bis cocti: nam siccitas ex recoctione oriebatur: recoctio verò & siccitas ad diuturnitatem faciebant: sicque per annum incorrupti durabant. Vnde & aqua madcrabantur ante comestionem. Plura* Heribertus Rosweidus *in Onomastico ad Vitas PP.*

COMMENTATIO III.

EVCHARISTIA POTVS MILITARIS.

Quid bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi Frumentum Electorum, & Vinum germinans Virgines? Zachariæ IX. 17.

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Psal. CXV. 13.

MEMBRVM I.

ASSOCIATIO

Cibi Potusque in Convivio Militari.



CUM differuerim proximè de Commeatu militari, quem EVCHARISTIAM esse asserebam in Militiâ Christiana, multaq; attulerim in medium de cibis castrensibus, eorumque apparatu ut convivium lautius facerem; fortasse venit in mentem alicui sciscitari, num siccum esse debeat Militare convivium, aut olim fuerit sine potu castrensis epulatio cùm illius nulla sit facta mentio? Quid esculenta sine poculentis? quid sine potu symposium? quid epulæ, quamvis saliares, sine vino? Addidisses aliquid de hoc succo, & plenissi-

nissima ac jucundissima fuisset dissertatio, quæ ob siccitatem parum fortasse apud aliquos habuit amœnitatis. Et haud dubiè multorum est desiderium audire nonnihil de Potu castrensi. Itaque satisfaciamus expectationi. Tũ ut plena sit hæc de Commeatu militari Commentatio. Tum, ut quoniá dies superiores divinissimo Eucharistiæ Sacrãmento fuerunt dicati, & de una illius specie à nobis actum est alteri quoque non minus dignæ suus & locus & tempus detur, ac honos habeatur, Tum, ut hinc eluceat, quantus optimo Pastorum Christo fuerit amor erga genus humanum, tãquam unam oviculam, ex nonaginta novem, quam quæsitam, in humeros conjectam, deportatam ad Ecclesiæ ovile, non solùm pascere voluit frumento sacratissimi Corporis, sed etiam dare potum preciosissimi sui Sanguinis. Qui est scopus Evangelii, quod hac Dominicâ recitatur.

MEMBRVM II.

VINVM

A Militia profana olim proscriptum.

QUEM putatis vos fuisse potum castrensem veteribus in Militia usurpatum? Fortasse Vinum Chium, aut Falernum edentulum? fortasse Appianum, Creticum, Hispaniense? aut, si hæc nimis generosa & valida, caput petere, & vincire pedes solita, saltem, vinũ patrium, acescens, asperum, exolescens, cibarium, idque benè dilutum & lymphatum, à quo nullum cerebro periculum, nulla manibus aut pedibus vacillatio? Has delicias non norant castra Romana, imò, nec gentis ullius. Vbique Aquam propinatam reperio. Itaque cellaria militum erant rivi, lacus, fluvii. Hinc petebant potum, ut sitim restinguerent, tam ipsi, quàm jumenta. Graviter ac severè Pescennius apud Spartianum: *Cùm apud Ægyptum, ab eo limitanei milites vinum peterent, respondit: Nilum habetis & vinum quæritis?* De Catone Censorio ita scribit Plutarchus: *Aquam bibit in militia nisi si in acri siti, & calore acetum posceret, aut viribus defectus exiguum aliquod villum sumeret.* Græcè est, μικρὸν οἰνάριον, vinum nullarum, aut exiguarum virium. Ita villum sumit Terentius: vappam vocant alii. Sic bibebat Cato, ille in Republica nobilis, illustris, eques; in militia inter Duces inclytus, ubique honoratus. Vulgo, ac penè semper utebatur aqua mera; interdum, quando postulabat id necessitas, aceto, non solo quidem, sed cum aqua mixto.

QVI potus *Posca* dicebatur, ut est apud Plinium. Celsus & Medici communiter *Puscam* nominant. Aëtius & Ægineta etiam *Phuscam*. De ea intelligo quod habet Spartianus in Pescennio; *Jussit vinum in expeditione nemi-*

neminem bibere, sed aceto universos esse contentos: nempe Duces quoque ipsos comprehendens. Fuit hic olim servorum potus, qui joco caussam dedit Plauto scomma jacienti,

Sed hic Rex cum aceto pransurus est & sale.

Loquitur de Servo, cui Regis persona erat imposita, de quo iterum

Hic Rex poscam bibet, & salem pro obsonio delinget.

Alii ebrii sunt, alii poscam potitant.

Nimirum, ex iis quidam, licet servi, vino sunt ebrii; alii, quamvis liberi, poscam bibunt. Habetis potum militum apud Romanos & gentes alias. Certè, Cretēses, & Lacedæmonii militibus, in omni militia vino interdixerunt. Plato li. 2. de leg. & in Timæo quoque legem antiquam Carthaginiensium fuisse refert: Ne quis toto belli tempore vino uteretur, aquæ potu contentus. Cujus legis meminit Aristoteles in Oeconomicis lib. 5. cap. 5. rationemque adjungit, quia ferociam inducit. Sed sunt plures aliæ, quas postea indicabimus.

MEMBRVM III.

VINVM EVCHARISTICVM

In Militia Christiana.

LAVTIVS splendidiusque suos in hac quoque parte Commeatus Militaris CHRISTVS Imperator habere solet: siquidem omnibus sub vexillo suo militantibus indulget Vinum. Quare præter Frumentum, ex quo Panis castrensis, Zacharias Propheta capite IX. nominat VINVM, cui nobilissimam qualitatem & effectum adjungit: *Quid bonum est*, inquiens, *quid pulchrum ejus nisi* Frumentum Electorum, *&* VINVM GERMINANS VIRGINES? Quod ad Eucharistiæ Sacramentum esse referendum litterali quoque sensu superius est demonstratum. Est in eâ Vinum, quia Sanguis Christi. Apud Prophetam, vocabulum Hebraicum, *tiros*, significat Vinum recens, sive mustum, ut monet nobilis Interpres. Est autem illud suavissimum, atque adeò potens, ut ebulliat, & vasa maxima ac crassissima, nisi hiatus laxitatem inducat, cureturque spiraculum, per quod exæstuet, disrumpat. Quid musto recenti dulcius? quid fortius? quid ferventius? quid splendidius? quid efficacius? quid accommodatius ad cor exhilarandum? ad vitales & animales vires reficiendas? ad spiritus excitandos? ad animum permovendum? ad mentem illustrandam, acuendamque? Tam suave, dulce, sapidum, tam fervens, tam splendidum, tam efficax; immò, suavius, dulcius, sapidius, ferventius, splendidius, efficacius, quàm linguâ

(a) תירוש tiros, *mustum*. *Cornel. Zachar.* IX.

MEMBRVM IV.

VINUM

Quare in Militia profana à Romanis vetitum?

FACILIS est responsio, quia vino Bacchico nihil nocentius est pugnantibus cum hoste corporeo. Vinum illud inebriat: ebrietas autem & temulentia maximè noxia est in bello. Vinum Bacchicum veram animi fortitudinem diminuit, immò tollit prorsus. Militi necessaria est praeter fortitudinem, I. Vigilantia. II. Taciturnitas, seu secreti fides. III. Prudentia. IV. Moderatio, contra furorem, & caecam rabiem. V. Corpus validum, firmumque, pedes minimè vacillantes, cerebrum benè constitutum, sanitas integra, morborum expers. VI. Castimonia. Quod argumentis alibi probatur validissimis. At, haec omnia corrumpit, vel omnino aufert Vinum, in quo est Luxuria; unde exercitus instructissimi, jam propè partâ victoriâ perierunt ob quorundam temulentiam. Quid si omnes, aut magna pars sint ebrij? quid exspectetur ab ebriorum exercitu? certè, minus, quàm à leporum & damarum. Exemplis agatur ad rem nostram accommodatissimis.

NARRAT sacra Regum historia, Benadabum Syriae Regem potentissimum omni exercitus robore coacto, cum alijs triginta duobus Regibus in belli societatem assumptis, numeroso peditum, equitum, ac falcatorum curruum apparatu Samariam civitatem obsedisse atque Israëlitarum Regi Achabo ultimum exterminiu denunciasse minis insolentissimis. Libro III. Reg. cap. 20. Haec faciant mihi Dij (jurejurando asseverabat Benadab) „
& haec addant, si suffecerit pulvis Samariae pugillis omnis populi, qui se- „
quitur me. Et respondens Rex Israël, ait. Dicite ei, non glorietur accin- „
ctus aequè ac discinctus. Factum est autem cùm audisset Benadab verbum „
istud, bibebat ipse & Rex in umbraculis. Et ait servis suis: circumdate „
civitatem & circumdederunt eam. Et ecce Propheta unus accedens ad „
Achab Regem Israël, ait ei. Haec dicit Dominus: certè, vidisti omnem „
hanc multitudinem nimiam. Ecce ego tradam illam in manu tua hodie, „
ut scias, quia ego sum Dominus. Et ait Achab, per quem? dixitque ei. „
haec dicit Dominus, per pedissequos Principum Provinciarum. Et ait. „
quis incipiet praeliari? Et ille dixit. Tu. Recensuit ergo pueros provin- „
ciarum, & reperit numerum ducentorum triginta duorum. Et recensuit „
post eos populum, omnes filios Israël, septem millia: & egressi sunt meri- „
die. Benadab autem bibebat temulentus in umbraculo suo, & triginta duo „
Reges cum eo, qui ad auxilium ejus venerant. Egressi sunt autem pueri „

„ Principum provinciarum in prima fronte. Miserunt itaq; Benadab, qui nunciarunt ei dicentes: Viri egressi sunt de Samaria. At ille ait: sive pro pace veniunt, apprehendite eos vivos; sive, ut prælientur, vivos capite.
„ Egressi sunt igitur pueri Principum Provinciarum, & reliquus exercitus sequebatur. Et percussit unusquisque virum, qui contra se veniebat: fugeruntque Syri: & persequutus est eos Israël. Fugit quoque Rex Syriæ in equo cum equitibus suis: nec non egressus Rex Israël percussit equos & currus, & percussit Syriam plaga magna. Hic fructus fuit temulentiæ militaris in Ducibus. Quamvis enim divinitus hæc sit parta victoria, magnam tamen illi occasionem dedit Perfectorum bibacitas, indeque ebrietas. Neque absque caussâ Divinus Spiritus ad posteritatis notitiam pervenire voluit quod in obsidione urbis Benadab, & triginta duo Reges cum eo poculis strenuè certarint: & è mensâ fugientes, turpiter sint cæsi, aut profligati.

NEC aliud, quàm Vini suavitudo ac intempestiva in castris potatio, perdidit superbissimum, & aliàs victoriosissimum Ducem Holophernem, & numerosissimum Assyriorum exercitum in fugam egit. *Jucundus factus est Holophernes*, inquit Sacra historia, Judith x. *bibitq; vinum multum nimis quantum nunquam biberat in vita sua. Ut autem sero factum est, festinaverũt servi illius ad hospitia sua & conclusit Vagao ostia cubiculi & abijt. Erant autem omnes fatigati vino. Porro Holophernes jacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus.* Interim sobria ac jejuna bellatrix Hebræa expedit arma, pugionem temulenti arripit, apprehensâque comâ capitis ejus & DEO invocato, percussit bis in cervicem ejus, & abstulit caput ejus. Cùm autem exercitus audisset truncatum capite Holophernem, fugit mens, ac consilium ab eis, & timore metuque agitati, fugæ præsidium sumunt: ita ut tacitti omnes, inclinato capite, relicto commeatu, & impedimentis, evadere festinarent Hebræos, quos armatos insequi audierant. *Insequuti* palabundum agmen Hebræi, plurimos trucidarunt. *Ita* vinum exitio fuit Assyrijs.

VAFRUM fuit stratagema Annibalis Pœni, qui vino, non ferro Afros devicit. Cùm enim viribus ac numero se inferiorem agnosceret, militari technâ se superiorem fecit. Nam levi ac velitari prælio commisso, cessit loco ex industriâ, relictis à tergo plurimis generosissimi vini dolijs. Barbari occupatis castris, potitare incipiunt, vinoque immoderatè hausto ebrij titubant, vix ut quisquam pedibus possit consistere. Surrepente post hæc, ut assolet, profundissimo somno, porcorum instar humi se quilibet prosternit. Gratum Annibali spectaculum, qui illicò in eos irruit, & ad unum omnes interemisse scribitur. Non est huic dissimile, quod narrat Aventinus qui Bavicam in lucem dedit historiam. Cùm Germanorum ij populi, qui Franci & Catti appellabantur, ditionis Imperij Romani quasdam

ho[illegible]

hostiliter invasissent, & ingentem Romanis incussissent terrorem, maximè cum Moguntia Rheni caput, ubi castra metati fuerant, jam penè in eorum esset potestate, certam improvida turpique ebrietate victoriam perdiderunt. Siquidem cognoverant Romani quod Rhenensis vini delicatissima suavitate illecti strenuè potitassent: cùm igitur sopori se dedissent, exercitu in illos immisso, extrema eos clade affecerunt, innumerosque Romanos, quadraginta propè annis captivos in libertatem asseruerunt. Nec alia ratione Messagetæ cum vino largius indulsissent, à Cyro Persarum Rege fuerunt superati, à quo sobrijs, quod sibi timerent, nihil erat. Auctor Herodotus lib. 1.

EST recentius, quod contigit sub Eugenio I. (a) Pontif. Max. Cùm Grimoaldus Beneventanorum Dux, avito regno duos Ariperti Regis Longobardorum filios vi atque armis exuisset, eam injuriam Clodovæus Galliæ Rex indignissimè tulit: ingentem ergo exercitum ad restituendos pristinis sedibus regios adolescentes in Italiam, contra Grimoaldum & Longobardos ejus partibus faventes deportavit. Pugnatum aliquamdiu felicissimè à Gallis: & aperto Marte succumbebant Longobardi. Qui ad militare stratagema confugerunt. Itaque simulata fugâ, Gallis insequentibus, castra vino plena, & omnis commeatus affluentiâ referta in prædam consultò reliquerunt. Quid Galli? latentem haud subodorati dolum, & hostes reipsa fugisse existimantes, audacter ac liberè in mediam noctem potant, ac vino obruti altùm dormiunt. Tunc Longobardi ex insidijs redeuntes, Gallos, instar pecudum prostratos, jugulant, ut nec cladis nuncius ad Clodovæum redijsse sit fama.

Invadunt urbem somno vinoq; sepultam.

canebat ille opportunitatem hanc fuisse signatè exprimens. Neque designabis facilè exercitum, qui victoriam hostibus extorserit, si in castris vino indulserit. Quocirca Græci, Romanique militaris disciplinæ amantes, observantesque militibus suis omnibus vini usum adimebant. Mitius CAROLVS Magnus Imperator Christianissimus, qui usu temperato restricto graviter prohibuit, ne in castris, aut quavis aliâ expeditione alius alium ad bibendum provocaret. Qui si quem ebrium deprehendisset, perpetuò eum deinceps uso vini carere volebat. Pari modo Jus Civile statuit, Militem ob ebrietatem removendum à militia. L. *Omne delictum. ff. de re militari.* Utinam ea militaris disciplina inter Christianos contra Turcas, & inter Catholicos contra hæreticos etiã nũ vigeret, haud dubiè, majori cũ fructu, contra communem religionis nostræ hostem, ac rebelles in Regnis, & Imperio seditiosos pugnaturi essent. Est sanè optandum, ut primarij copiarum Ductores, ac Præfecti in milites ebrios, ad aliorum terrorem animadver-

(a) *Platina in vita Eugen. I.*

madvertant severè, modò ipsi abstemij sint aut temperantes minimùm. Nimius esset rigor, dicis, & reprehendendus. Haud ita visum Belisario, magno illi ac bellicosissimo Duci, qui ubique sui terrorem, quia semper sobrius circumferebat. Is duos Massagetas ebrios, cùm potu interfecissent militem, palis infigi jussit. Quod cùm alij ex eodem genere ferrent ægerrimè, caussantes ignorantiam ex ebrietate: nec moris esse tali pæna punire ob tantillum crimen ebrios milites, Belisarius oratione gravissimâ, id æquitati esse magnopere consentaneum demonstravit. Inter cetera, hæc ejus fuit ratiocinatio, ut Procopius refert libro 1. belli Wandalici.

„ Si quis Barbarus proximum per ebrietatem occiderit, ac veniâ postu-
„ latâ, se crimine solutum dixerit, peccata per licentiam longè fient pejora.
„ Neque enim ullâ ratione fas est ebrium esse: multo minus in exercitu mi-
„ liti, proximos ob id interficiendo. Ipsa enim temulentia, vel cæde non
„ consequente, pæna digna est, quanto magis si eâ consequatur? Digna Be-
„ lisario sententia, quam cum exscripsisset Cæsar Baronius hæc subnectit his
„ verbis. Ista ego considerans, & ad præsentia tempora convertens oculos,
„ eadem planè deploratissima facile sentio: ubi Christianorum exercitus
„ impietate, atque ebrietate corruptos intueor, & damna contemplor, quæ
„ passim sunt Germani ab infidelibus Turcis perpessi: unico tantùm illo re-
„ medio sublevandi, si eosdem obsignatos fide Catholica milites, sobrios
„ redditos, Belisarius alter ducat: fore tunc quidem, ut ijdem recepto
„ atque integrato robore, quo didicerant quoque olim superare Romanos,
„ facillimè victores quosque vincerent, atque fortissimos debellarent.
„ Sed quem non vilem reddat impietas? cùm fugiat impius etiam nemi-
„ mine persequente, Proverbiorum XXVIII. quem-ve non emolliat, fran-
„ gat, sternat Impietas & Ebrietas? Præsentium itaque rerum miser-
„ rimus status ista obiter deplorare, & ex imo pectore
„ deducere suspiria importunè
coëgit.



COM.

COMMENTATIO IV.

ANTITHESES

Inter Vinum Bacchicum & Eucharisticum, quoad effectus, vel noxios, vel utiles.

MEMBRVM I.

VINUM

Bacchicum effæminat. Eucharistica masculat.

FORTES imprimis virilesque animos Militum, pugna postulat. At Vinum animorum robur infringit & effæminat. Quod respiciebat Phalaris tyrannus Siciliæ, qui cùm Leontinos expugnasset ac perdomuisset, ne rebellionem unquam animo virili redintegrarent, callido invento, compotationibus illos, ac temulentiæ assuefecit. Inde enata paræmia;

Αἰεὶ Λεόντιοι περὶ τοὺς κρατῆρας.

Semper Leontij juxta crateres.

Contrarium effectum habet Vinum Eucharisticum, quod sumptum, etiam copiosè, effæminatum omnem affectum extinguit, virilemque animum ingenerat, si non invenit, inventum verò roborat, illiusque vires plurimum auget. Quocirca tempore S. Cypriani sumebant Milites Christiani Eucharistiam, non tantùm sub specie panis, velut Commeatum militarem, verùm etiam sub specie vini, tanquam potum castrensem. ut quoniã conflictus cum persequutoribus imminebat, ipsi ad illum, per susceptioné Sanguinis Christi, animarentur ad fortiter pugnandum, ad martyrium subeundum, ad sanguinem profundendum.

PRÆCLARA est illa D. Cypriani.(a) tanquam Concionatoris Castrensis monitio ad Thibaritanos: *Gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam virtute incorrupta, & fide robusta parare se debent Milites Christi; considerantes idcirco se quotidie Calicem Sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum Sanguinem fundere.* Quid S. Chrysostomus?

(a) *Epist.* 56. (b) *Homil.* 61. *ad Antiochen. pop.*

is robur & generositatem Leonum communicari cum cratere Eucharistico existimans, sicut revera contingit: *Quasi Leones*, inquit, *ignem Spirantes ab illa mensa recedimus facti Dæmonibus terribiles.* Animat igitur roboratque Vinum Eucharisticum ad pugnandum fortiter contra tyrannos, Dæmones, ac consequenter contra vitia & concupiscentias, secus quam in bello corporali facit Vinum Bacchicum.

MEMBRUM II.

VINUM

Bacchicum infirmos, Eucharisticum sanos facit.

MILITI necessarium est corpus vegetum, expeditum, validum, quod morbus non affligat, invaletudo non detineat, non premat infirmitas. Sed Vinum Bacchicum morbos generat Fateor, dicis, si sit immodicum: Miles bibat temperatè. O te militaris temperantiæ ignarum! Facilius à vino abstinebit miles, quàm ut moderatè bibat, si illius in castris sit copia. Vinum autem sic potatum morborum cohortem inducere Medici omnes clamant, & testatur experientia. Pulchra est illa similitudo S. Augustini, (a) qui ebriosos comparat paludibus, in quibus nihil, quod ad hominis vitam conducat, aut sit utile nascitur: non arbores, non fruges, non aliud quidpiam eorum quæ terra producit ad alimoniam: sed in ijs producuntur, & vivunt ranæ, colubri, sanguisugæ, & alia visu fæda & homini molesta, aut noxia animalcula. Haud sequius, hi quos vina opprimunt quicquid aut dolore cruciat, aut fæditate offendit, patiuntur. Huic autem sentinæ exhauriendæ, siccandisque paludibus vivis perpetuus opus est Medicus, qui assideat, qui arteriam pulsatilem exploret, qui pharmacum præscribat, qui fædos humores ejiciat, qui salubres succos ingeneret. An talis quispiam ad congrediendum cum hostibus erit idoneus? Finge mihi gloriosum Militem, cujus caput vexet cephalæa, dentes cruciet odontalgia, oculos torqueat opthalmia, fauces obsideat angina, aures scateant vermibus, pectus distillationibus, intestina dolore colico cujus manus liget arthritis, pedes podagra, membra reliqua paralysis, qui laboret quotidie febri colliquante, ex qua fastidium stomachi, nausea, horror, an is ad pugnandum erit habilis? omnes autem hos morbos & quoscumque alios in Medicorum catalogo nominatos, generat Vini affluentia. Medicum poscit æger à quo opem petat, non hostem cum quo congrediatur, Liberi pedissequus est Æsculapius ajebat ille. Quod Callisthenes suis insusurrabat, grandem calicem recusans, ne Bacchi comitem haberet Æsculapium.

(a) *Sermone CCXXXI. de Temp.*

Hic

Hic quoque contrarium experiuntur Milites Christiani à Vino Eucharistico: quod est vera panacea morborum, tum corporis frequenter, ut fusius est demonstratum, tum semper animorum, qui soli Militi Christiano impedimentum adferunt ad belli sacri munia alacriter obeunda. Panaceam voco Eucharisticum Poculum, meliori jure, quam olim Medici herbam illam odoriferam, ἀπό τȣ̃ πάντα ἀκεῖν, à sanandis omnibus morbis dictam. Ita sentit, nemine Doctorum Ecclesiæ refragante D. Cyrillus Alexandrinus, cujus est illud universale pronunciatum: Eucharistia *non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit. (a) edat enim, cùm in nobis maneat Christus. sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit: ægrotos curat: collisos redintegrat: & sicut Pastor bonus, qui animam suam pro ovibus suis ponit, ab omni nos erigit casu.*

(a) *S. Cyril. lib. IV. in Joann. cap. 17.*

MEMBRUM III.

VINUM

Bacchicum luxuriosos: Eucharisticum Castos reddit.

JAM verò, non minus obest Militi Luxuria, quàm morbi corporis, ut sua loco & tempore est satis superque probatum. Quid autem magis eam excitat, fovet, promovet, quàm Vinum Bacchicum? Bibacissimi juvenes, viri, milites, sunt luxuriosissimi. Temulentia Luxuriæ est mater & nutrix. *Luxuriosa res vinum*, inquit sapientissimus Salomon, & *tumultuosa ebrietas*, Proverbiorum XX. Nota, *tumultuosa*, quo indicatur, non tantùm, quod rixas incitet, contubernijs Militum exitiales, deinde pugnas domesticas; sed etiam, quod omnes animi motus, potissimùm verò, concupiscentiæ carnalis, ac libidinis provocet, & accendat. Est enim verissimum illud D. Hieronymi enunciatum: (a) *In vino Luxuria est: in Luxuria voluptas: in voluptate impudicitia.* Aut, consequutione magis immediatâ: In vino est voluptas, in voluptate, & post illam, impudicitia: in impudicitia luxuria. Gravius Salomon eodem Proverbiorum libro: (b) *Ne intuearis vinum quando flavescit in vitro, cum splenduerit color ejus. Ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus, venena diffundet.* Quæ sunt illa venena? Luxuriæ, tanquam reguli. Sequitur. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa.* Hæc est negotiatio Luxuriæ. *Consuetum est*, enim, ut observat S. Hieronymus, (c) *& planè naturale est vitium, post ebrietatis venena diffusa in cor...*

(a) *Epist. ad Ocean.* (b) *Cap. XXIII. 31.* (c) *Ibid.*

corde, muliebrem sequi concupiscentiam, comitante pravitate, ac turpitudine verborum. Alibi idem Doctor, (a) propositionem condens de hac re absolutam, & indefinitam, universali æquipollentem: *Hoc, inquit, tamen dixisse sufficit: quod in vino luxuria est. Et ubicumq; Saturitas & Ebrietas fuerint, ibi libido dominatur. Specta ventrem & genitalia: pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. Nunquam ego ebrium castum putabo: qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum.* Alio loco exempla duo ex Divinis Litteris perpendit, Noë ac Loth. Noë *ad unius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat.* Loth *per temulentiam nesciens libidini miscuit incestum, & quem Sodoma non vicerat, vicit vinum.*

IMPROVIDUS pugnator, infelix miles, temulentus, & luxuriosus: cujus sortem deplorans Origenes monet Milites, & cautelam suadet, ac detestationem ebrietatis. *Audite*, exclamans, *quid agat ebrietas: audite, quantum facinoris conciliet temulentia: audite & cavete vos quibus istud malum non in crimine est, sed in usu.* (b) *Ebrietas decepit, quem Sodoma non decepit. Vritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non corripuit.* Idem in subsequente homiliâ, (c) postquam dixisset, Sobrietatem esse omnium virtutum matrem, damnat Ebrietatem, ut genitricem vitiorum. Tum subjungit, Apostolum pronunciasse, quod in Vino sit Luxuria, ut doceret, ex Vino oriri ebrietatem, ex hac luxuriam, ebrietatis primogenitam: quam veluti filiam nutriri etiam ab ebrietate dicit Gratianus.(d) Quare monet Apostolus tam seriò, ducto hinc argumento: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria,* Ad Ephesios v. cap. In quæ verba S. Ambrosius, cum asseveratione, ac penè cum juramento: *Vbi ebrietas, ibi certo certius Luxuria est. Luxuria verò provocat turpitudinem. Quamobrem, sobrios esse oportet, ut bona conversationis jura serventur.* Alibi (e) dicit, ebrietatem sensus hominum mutare ac formas. O veneficium quodlibet Canidia, aut magicâ insidiosaque Circe deterionem! Nam per eam homines ratione præditi fiunt *equi hinnientes*, immò, grunnientes porci. *Siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore inflammati cohibere se non possunt: & bestiales libidines excitantur.* Verè, *potus vini, ventrisq; saturitas seminarium est libidinis*, ut loquitur S. Hieronymus. (f)

CVM frequenter reprehenderet ebrietatem ALPHONSVS Rex Aragonum, caussam dabat: *Quia furorem & libidinem ebrietatis [illegible] alias esse non ignoro.* Et quis ignoret, cùm nec ignorare se profiteantur Poetæ, experientia fortasse docti, quamvis apud nullos plura vini legantur encomia. Ab Aristopha-

(a) *Ad Tit. cap. 1.* (b) *Hom. VI. in Genes.* (c) *Hom. VII.* (d) 35. q. 1. c. *Luxuriam. lib. de Helia & levi. cap. 17.* (e) *Lib. 2. in levit.* (f) *Panormitan. lib. 2. de gest. Alphons.*

Aristophane , vinum vocatur Lac Veneris. Et passim decantatur illud Poetæ in ore : (a)

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Cui assentiat Euripides:

Abesse Cypris non potest, si Vinum adsit

Et Ovidius:

Quid tibi precipiam de Bacchi munere queris?
Vina parant animos Veneri. ———

Quapropter hanc consociationem attendens Tertullianus eleganter dixit. libro de spectaculis: *Duo Dæmonia conspirata & conjurata* esse, *Ebrietatem* & *Libidinem*, longè lateque in castris dominantur, & integras cohortes sternunt, si Vinum in ijs locum inveniat.

VTRIVSque autem tyrannidem cohibet, contundit, devincit VINVM EVCHARISTICVM, ideoque ex hoc capite utilissimum Militi Christiano. Est enim effectus Eucharistiæ, inter tot alios, repressio tentationum carnis: suffocatio, vel extinctio libidinis, insitio castitatis, Virginitatis germinatio & conservatio. In Eucharistiâ est Panis & Vinum: Caro & Sanguis Domini: utrumque valet ad luxuriæ & libidinis suppressionem, extinctionemq; utrumque est germinans Virgines. Caro Christi Virginea quæ nos ait in Sacramento, sui similes nos efficit, nempe, Virgines. *Propterea* enim, ut loquitur Chrysostomus, (b) *semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus, tanquam corpus capiti coaptatum.* aut potius idem corpus, quia in corpus illud virgineum, ex Virgine sumptum, Virgineo sanguine coagulatum, convertimur: Nos in illum, non autem ille, uti in cibo corporali contingit Et tamen in hoc quoque experimur, quod si vescamur cibis phlegmaticis, ut sunt pisces , reddamur phlegmatici: si cholericis qualia sunt ova, piper, & similia non pauca, fiamus cholerici: sanguinei si sanguineis, melancholici, si melancholicis, ob conversionem illam & qualitatum communicationem. Sanguis autem Christi ex proprio habet, quod germinet, ut loquitur Propheta, (c) sive generet Virgines: hoc est, non tantùm succulentos, ac vegetos reddat, ut quidam convertunt, (d) quo significetur, animum eo Vino confortari roborarique ad conflictum generosè ac fortiter ineundum, sed verè Virgines, virginitate etiam corporeâ excellentes, pudicos, castos, & ut nonnulli adjungunt, vel interpretantur, *Immortales.* Siquidem Virgo, vivido roseoque colore florescens, juventæ nunquam senescentis , æternùm florentis, perpetuò nitentis ac immortalis est symbolum. Et sanè inter singulares Eucharistiæ effectus numeratur *Resurrectio* Illius enim virtute resurgent homines ad vitam immortalem, beatam, & æternam, juxta illud Christi Domini, Joan. VI. 55. *Qui manducat meam carnem , & bibit meum*

(a) *Hom. LXI. ad Antioch.* (b) *Zachar. IX.* (c) *Tigurina*

meum Sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die. Quocirca Eucharistia à Patribus, vocatur *Pharmacum immortalitatis, antidotum incorruptionis, lignum vitæ.* Ita S. Ignatius Antiochenus Epist. ad Ephes. eam indigitat, accumulans ejus encomia, quæ sunt: *Pharmacum immortalitatis, mortis antidotum, Vita in DEO consistens per IESVM Christum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.* Sed præstat per Virgines in Prophetia Zachariæ accipere, prout sonat, & significat vocabulum, Virgines à libidine abhorrentes, incorruptos, incontaminatos, virginitate animi & corporis præditos.

MEMBRVM IV.

VINVM EVCHARISTICVM

Germinat, & Exhilarat Virgines.

VINVM Eucharisticum lætificat cor hominis, & *bibitur ab his Virginibus,* inquit S. Hieronymus Prophetiam exponens, [illegible] *ctæ & corpore & spiritu; ut inebriatæ atque gaudentes* [illegible] *Ecclesiam, & dicatur de eis:* Adducentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitiâ & exultatione: adducentur in templum Regis, Psalmo XLIV. *Quomodo enim lætitiam non habebunt, quæ inebriatæ poculo Salvatoris generantur in Virgines, & audent* dicere: *Introducite me in cellam vinariam: confortate me unguentis.* Et mox: *Hæ* [illegible] *inebriatæ sunt, quæ sequuntur Agnum DEI quocumque vadit, vestitæ candidis vestibus, quia se cum mulieribus non coinquinaverunt, Virgines enim permanserunt,* ut est Apocalypsis XIV. Cyprianus quoque [illegible] Martyr, Calicem Domini inebriantem peroptimum, sive præclarum, scilicet, Sanguinis ejus, ait, *sic bibentes inebriare, ut sobrios faciat, ut* [illegible] *ad spiritualem sapientiam redigat, ut a sapore isto seculari ad intellectum DEI unusquisque adsurgat. Quemadmodum autem vino communi* [illegible] *solvitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis deponitur, ita* [illegible] *Sanguine Domini, & potu salutari, deponitur memoria veteris* [illegible] *& fit oblivio conversationis* [illegible] *secularis. & mœstum pectus* [illegible] *quod prius peccatis* [illegible] *premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia* [illegible]. Nimirum, ita Virgines [illegible] & conservat Vinum [illegible] in omni quoque [illegible] repleat, quod in Militia [illegible], ubi tristitiâ, quæ [illegible] dejicit, obest animositati [illegible] omnibus. Iam hilaresque in vitâ & in morte [illegible] Mundo, [illegible] certare debent Christiani Milites: quod per Vinum Eucharisticum obtinent [illegible] non [illegible] legerit [illegible], apud Prophetam: *Vinum cantare faciens virgines.*

Musica.

[illegible] cere [illegible] Angelicum [illegible], sumptâ sacrâ Synaxi, quasi ebrius [illegible]: *Cor meum & caro mea exultaverunt in DEUM meum, DEUM vivum.* Et, *vidimus in [illegible], [illegible] terram.* Siquidem, ut [illegible] hominem à se, & à mente alienat, [illegible] planè [illegible], sic Eucharisticus [illegible] fidelem à se alienat, & ex terrestri facit celestem, ut disserit S. Cyprianus, (a) explanans illud Psalmi 22. *Calix meus inebrians quam præclarus est!* O optandum & [illegible] exhauriendum Calicem, sobriè inebriantem, qui tantus facit, quos [illegible] Virgines! O metamorphosim Calicis Christianorum [illegible]! O fontem limpidissimum, non magis [illegible] quàm libidinem restinguentem! Cyzici fons Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere, Mutianus credebat, ut auctor est Plinius. (b) Talis est Eucharistia, instar fontis perennis rubrum vinum profundens. De quo Bernardus, sermone de ablut. pedum. *Si quis vestrum [illegible] modo nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ [illegible] agat Corporis & Sanguinis Domini, quoniam virtus Sacramenti [illegible] in eo: & gaudeat, quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.* Selemnus amnis amoris esse remedium fæminini æquè ac masculini putabatur olim: eo enim qui abluebantur ex utroque sexu, cupiditatis oblivisci, experimento constabat, ut refert Pausanias in Atticis. Selemno longè efficacior est Christi Sanguis, *Vinum germinans Virgines.* Is enim, ut ait Chrysostomus, impudicorum flammas reprimit, sedat, extinguitque ac [illegible] in nobis reformat imaginem, quæ est puritatis. Celebratur, & bibitur à Romanis etiam-num *Aqua virgo* sic fortasse dicta, quod quasi Virgo, omnem aliam aquam refugit, neque ulli commiscetur. De qua Plinius (c) *Iuxta est Herculanus rivus, quem [illegible], nomen Virginis obtinuit.* Sed nullam ego aquam reperio, quæ Virginis nomen mereatur, quod Virgines faciat, ut Vinum Eucharisticum, [illegible] proprium [illegible]. Fabulosus est Canathus, fons apud Argivos, cujus aquis lotam, [illegible] virginitatis gloria Junonem [illegible] renarrat Pausanias. Verus Castitatis ac Virginitatis fons est CHRISTVS in Eucharistia, cujus [illegible] quotidie nova puritatis gratia splendescimus.

[illegible] præ aliis nominatissima Virgo Senensis CATHARINA, (d) quæ [illegible] Eucharistiæ, quam Host à terra, tanquam [illegible] continere effecta est Virgo planè Angelica, imò Divina, quippe Christo, Amatori Virginum, juncta [illegible]: ejusdem donata corde [illegible] familiarissima: tota [illegible] locuples Stigmatibus Crucifixi, & [illegible] à Sponso suo [illegible]. Quæ omnia se consecutam [illegible] Eucharistiâ [illegible] Virgini [illegible] Deus [illegible], ut testatur in Dialogis, in quibus hæc est Sponsi ad Dilectam [illegible]

(a) *Lib. 2. epist. 3. ad Cæcil. Psalm. XXII.* (b) *Lib. 31. c. 2.* (c) *Lib.* [illegible] (d) *In Corinthiacis.*

„ sermo. Vt plenius intelligas Catharina, quàm ardenti desiderio cupiam esse vobiscum, utque magis accendatis, ad subigendam meam copulandamque meæ voluntatem tuam, vide, & alta mente considera, me paravisse Mensam maximi & parum agniti Sacramenti Corporis & Sanguinis Vnigeniti Patris, & in cibum sumentes transformemini in me: ac, sicut panis & vinum, quibus vescimini, in substantiam transeunt corporalem, ita & vos manducantes eum, qui sub specie panis & vini latet, in spiritualem substantiam; &, in me ipsum converiamini. Et hoc est illud, quod Augustino servo meo dixi: Cibus sum grandium: cresce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te: sed tu mutaberis in me. *(a)*

HOC *Vinum germinans virgines* largiter biberat Princeps juventutis, castissimus adolescens, CASIMIRUS JAGELLONIDES, Casimiri Regis Poloniæ filius, qui augustissimo Missæ Sacrificio ita attentus, ac mente in DEUM erecta intererat, ut extra se planè rapi videretur. Pro more etiam habebat, intempestâ nocte, clam templa adire, atque ante ipsum eorum vestibulum positâ in terram facie, JESUM castissimum in V. Sacramento existentem suppliciter orare. Inde ei tantus Virginitatis amor, ut vix parem in regia stirpe habuerit. Præterquam enim, quod eam ad extremum usque spiritum illibatam servavit, accidit quidpiam, quod omnes in admirationem rapuit. Cùm correptus gravissima ægritudine, Medici non nisi conjugii usu curari eam posse assererent, ac proinde parentes illum ad conjugium impellerent, & tantùm non cogerent, ipse potius mori, quàm Virginitatis decus perdere constantissimè elegit. Martyr itaque Virginitatis, & Virgo Martyrii, JESU Virginum Sponso animam dedit, cui corpus vivens consecrarat, annos natus XXIV. *(b)* post mortem à Leone X. in numerum Sanctorum relatus. Deinde, nostro tempore à Clemente VIII. Officii duplicis celebritate honoratus. A DEO autem miraculis, & memorabili victoria, qua pauci Lithuani ingentes Moscorum copias, voto facto D. Casimiro, apparente ipso in aere Duce quasi prævio ad internecionem deleverunt. Plures, quod Casimirus, ad Virginitatis adsertionem cœlrumque habuere, à Potu Eucharistico subsidium: novus vobis Aloysius Gonzaga, Virgo, notus Stanislaus Koska, Virgo, noti alii Cælibes, qui incredibilem Castitatis illibatæ amorem cum Vino Eucharistico imbiberunt, senseruntque contra stimulos carnis, & tentationes inimici efficacissimum auxilium.

(a) *Garetius de Eucharist. Centuria 14.* (b) *Obiit An. 1484. 4. Mar. Breviar. Polonic.*

MEMBRVM V.

EVCHARISTIA

Remedium contra tentationes Carnis efficacissimum.

EVCHARISTIA est remedium illud, quo nullum, ut potentius, ita nullum facilius reperiri existimo, ad juvandos adolescentes, juvenes, viros, qui naturæ pronitate, & ætatis æstu, nec non Cacodæmonis quotidiano insultu ac sociorum irritatione, aliisque illecebris ad lasciviæ crimen sunt faciles, & frequenter contra castitatem, pessima consuetudine, quam iteratis actibus compararunt, solent graviter delinquere. Multa illis præscribere, & longa jejunia, quibus humores, impuritatis irritamenta siccentur, & iratus DEVS placetur, bonum est, sed durum, & plerisque intolerabile. Imperare corporis castigationem, usque ad sanguinis profusionem, per flagella, acerbitatem continet, quam horrent plurimi. Peregrinatione, humi cubatione, veste cilicinâ, aliisque corporis afflictationibus, malum istud inveteratum vix curatur. Quod nam ergo morbo penè incurabili remedium æquè facile ac efficax? Quidam Herbam præ[illegible]unt, quam dicunt apud Patres Societatis JESV reperiri, & in ipsorum pharmacopoliis domesticis recondi: è quibus quotidie antequam portâ egrediantur, aut aliò se conferant, singulis ea porrigatur, loco boli aromatici; aut nucis unguentariæ, qua utuntur opulenti. Hoc officium esse inter cetera, Præfecti sanitatis, qui in Collegiis est alicujus auctoritatis: proptereà communiter sunt ii Patres fratresque, inquiunt, tam sani, ac succulenti, signatè juniores. Non narro fabulam, res ita habet, ut scribit Nicolaus Orlandinus Historiæ Societatis lib. 1.

CVM superiori sæculo, anno XLV. Societatis penè exordio, in Hispaniâ & nominatim Vallisoleti, ubi Philippus II. Rex Catholicus, tunc vivo patre Carolo, Princeps agebat, Patres, qui in aula morabantur, quibusdam instar essent miraculi, quod cum omni genere sexuque promiscue, tam versarentur innoxii, non dubitavit in media curiâ Melchior Canus ex Ordine S. Dominici scriptor sat notus bellè jocari, dicereque, Patres illos, herbam quandam secum solitos circumferre, quæ vim haberet interimendæ libidinis: eoque velut antidoto, tutò posse inter fæminarum rum versari greges, & confitentibus puellis aurem, salvâ integritate, præbere. Ea vox, seu candido sinceroque animo, seu quo alio, profecta, admirationem certè multis attulit, sensimque sparsa per curiam, ad Principis pervenit aures. Qui rei auditæ curiosus investigator, Joannem de Zuniga (is erat ei velut morum Magister ac custos) ad Patres misit sciscitatum,

tum, quod Herbæ genus illud adeo [illegible] ac virium, quam illi perhiberent habere. Fecit imperata Joannes, expositumque Philippi mandatum, à P. Araolio contendit, ut rem ubi [illegible] quam mox ad Principem referret, exponeret. [illegible] paulisper Araolius: tum [illegible] indicaturum se esse [illegible] Principi, quemadmodum ab se acciperet, [illegible] referret. Cum ille in se id reciperet: Verissimum, inquit Araolius, [illegible] quod de hujus nostræ herbæ [illegible] narratur. Tantarum quippe virium est, ut non modò nobis ad [illegible] das cupiditates, libidinesque [illegible], verùm etiam [illegible] ad continendum [illegible] & [illegible], & [illegible] præsidium. [illegible] propterea [illegible] tur, ut equidem valdè velim, & Principem & toti curiæ ejus [illegible] familiarem esse. Porrò, ne [illegible], variasà Deo virtutes [illegible] quarum beneficio solus is [illegible], qui cognitam & inventis [illegible] Auxit hæc cupiditatem Zunigæ, qui, ut sine mora nomen sibi [illegible] salutaris Herbæ, nec se diutius [illegible] ad Principem, [illegible] suspensum haberet acrius [illegible]. Cui Araolius: Hæc, inquit, Herba [illegible] nomine, TIMOR DOMINI nuncupatur. Is eas omnes, quas [illegible] meravi virtutes, ac multo etiam plures, quàm dixi continet. Ea nos quo[illegible] de Societate sumus frequenter utimur. Ejus præsidio [illegible] dis [illegible] periculisque [illegible]. Eo instructo ac benè munito, [illegible] agimus. Hæc igitur Principi velim referas [illegible]. Quod si me auctore in animum induxerit suum, eo, quo ad [illegible] præsidio, Timore, inquam Domini, næ ille magno suo bono [illegible] abs [illegible] fructus parit, quatarumque, sit virtutum [illegible] responso Joannes, [illegible] amplius quod requireret, non habuit. Principi autem quæ acceperat ad verbum reddidit. Ea mox per omnes [illegible] vagata Curiam, secundis excepta sunt auribus.]

FATEOR equidem, TIMOREM DOMINI esse præ[illegible] adversus libidinem, [illegible] intemperantiæ remedium, sed per modum medicinæ [illegible]. Est medicamentum, ut Medici vocant, [illegible], [illegible] fluxionum adhiberi solet, ad [illegible]. Quare Timorem DEI appellat S. Cyprianus [illegible] dem [illegible]. De eodem S. [illegible]: (b) Nisi Timor [illegible] *[illegible] fundamenta jaciat, impossibile erit, castitatem, sanctimoniam [illegible].* Confige inquit David *Timore tuo carnes* [illegible]. *Nam quemadmodum, qui corporis membra habent clavis transfixa ad* [illegible] *retinent, sic ii quorum animam occupavit Timor Dei,* [illegible] *imperium peccati,* [illegible]. [illegible] quæ B. Ephrem in Sermone de Pœnitentia [illegible].

Timor

(a) [illegible] 1. *ad Donat.* (b) *In Psalm. XXXIII.*

Timor DEI velut gladius anceps est, omnem concupiscentiam pravam exscindens. Et S. Augustinus, explanans eadem psalmi CXVIII. Confige Timore tuo carnes meas. *Tali* Timore *carnes crucifiguntur, quando carnales delectationes, quæ Legis Littera vetantur potius, quàm vitantur, spiritualium bonorum delectatione vincuntur, & eadem usque ad perfectionem consummatæ victoria, perimuntur.* Est itaque *Timor Domini*, velut antidotum, & alexipharmacum quod lethalibus Concupiscentiæ venenis resistit: est velut instrumentum, quod ligat membra carnalia, ne se extendant ad illicita: est tanquam falx aut novacula, quæ amputat delectationum luxuriantium palmites, ne serpant insolentius. Sed nos medicamentum lasciviæ, huiusce morbi vulgatissimi, curativum inquirimus.

QVODnam est illud? Cardinalis Franciscus Toletus, Medicus animorum excellens, doctissimusque Theologus, libro V. Instructionis Sacerdotum, cap. XIII. in quo agit de peccato luxuriæ contra naturam, exponens sententiam Pauli Apostoli, quæ habetur in Epistola priore ad Corinthios cap. VI. *Molles regnum DEI non possidebunt*, ait, per *Molles* intelligi qui sunt obnoxii peccato mollitiei: quam definit, Pollutionem voluntariam, homine ipso consentiente; dicitque esse *Peccatum mortale*, & gravissimum omnium antecedentium a se enumeratorum; quia est contra naturam. Sed de illius gravitate est alibi agendum. Sat sit dicere modò, per insolens superlativum, esse [illegible]. Nec licere, ut ibidem docet Toletus, aut propter sanitatem recuperandam, aut propter vitam conservandam, aut propter quemcumque alium finem obtinendum. Vnde gravissimè peccant Medici, qui talem actum consulunt. Addit autem idem Cardinalis, quod huc spectat. Est hoc peccatum difficillimæ curationis, & emendationis; quia occasio ferè semper est cum homine. Et est adeò universale, ut credam, maximam partem damnatorum hoc infici peccato. Vix puto esse aliud efficax remedium, nisi frequentissimam confessionem cum uno eodemque Confessario ut fiat ter in hebdomade, si fieri possit. Est enim hoc Sacramentum maximum frænum. Optimum est hoc consilium, quod utinam amplecterentur, qui gravissimas carnis tentationes perpetiuntur, & facillimè succumbunt. Sed aliud quid ego præterea requiro. Nam *Confessio* quidem per se, cùm sit Sacramentum Pœnitentiæ, plurimum potest: tollit peccatum, aufert maculam, caussat gratiam. At ipsius peculiaris effectus non est, tentationes Concupiscentiæ, tamquam titillationes in sensualitatis territorio excitatas dissipare & compescere, flammam libidinis extinguere, castitatem inserere, Virgines generare. Quæ peculiariter efficit *Vinum Eucharisticum*. Præterquam enim, quod hoc habeatur ex Oraculo Prophetæ, & constet experientiâ, suffragatur illi gravissimorum Theologorum sententia, qui docent, sumptâ Eucharistiâ, ex reali conjunctione Sanguinis Christi, & con-

tactu

tactu carnis sacratissimæ, nostræ carnis fomitem, unde omnis libidinis humanæ origo, diminui. Ita S. Thomas, (a) Richardus, aliique Scholastici, quibus adstipulantur recentiores. Itaque nihil magis expedire, opinor, nihil etiam esse lenius, ad pessimum illud vitium, ob quod tot adolescentum millia damnantur, curandum, quàm, post Confessionem generalem accuratè factam, eo suaviter adducere pænitentem, ut peculiariter afficiatur erga Venerabile Sacramentum: illud mente circumferat, omni loco & tempore illud quotidie aliquoties in templo, ante tabernaculum, in quo reconditur, salutet; in ejus gratiam honoremque officium aliquod virtutis exerceat: deinde, quâlibet hebdomade confiteatur: & minimum quater mensibus semel, aut etiam frequentius, judicio Confessarii, communicet.

QVISQVE autem sibi persuadeat velim, nō posse Christianū adulterum diu vitam spiritualem agere, neque diu perseverare in gratiâ DEI, ac multo minus in castitate immaculatâ & virginitate, sine Panis & Vini Eucharistici præsidio: quemadmodum non possumus vitam sustentare, & prudentiæ sine frumento, cibo ac potu. Hoc etiam fixum sit, quò crebrius Eucharistiam, cum debitâ præparatione, quis sumit, eo magis illum in spiritu ac puritate Angelicâ profecturum, ac roborandum. Sicut per panem ac vinum debito modo, ac temperatè sumptum crescimus, ac roboramur in vita animali. Quocirca primi Christiani quotidie famem sitimque animi nam Pane & Vino Eucharistico restinguebant, & hac se alimoniâ sustentabant. (b) Eandem verò ob caussam olim baptizati mox à sacro fonte Corporis ac Sanguinis Domini habant participes. Quæ consuetudo perduravit in Ecclesiâ Militante per orbem Christianum, usque ad annum nongentesimum, ut auctor est Theophylactus, qui tunc vivebat, scribens in cap. x. Lucæ. Et perseverat etiam-num in Græciâ, ut testis est Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus in suis ad Lutheranos, aut contra illos potius, responsis: nec non in Æthiopiâ, ut est videre in ipsorum Rituali de Baptismo. Est igitur Vinum Eucharisticum generans Virgines, castitatem animo imprimens ac fovens, puritatem corporis ac animi conservans; ideoque ad Militiam, spiritualem æquè ac corporalem, Sacram & profanam proficuum; sicut detrimentosum in castris, & in conflictu maximè, vinum Bacchicum, ob contrarios effectus.

(a) *S. Thom. 3. p. q. 79. art. ad 3. & ar. 6. a l 3. Opus. 58. c. 1. Opus 59. c. 16. Richard. in 4. d. 9. ar. 1. C[illegible] Suar. tom. 3. in 3. p. d. 64. [illegible] Cath. Conc. Trid. [illegible] de Euch. [illegible] (b) Clement. 1. [illegible] 3. de off. Sacer. Dionys. [illegible] Pontif. in Martiniano, Gaiu, Cereale, Pelagio.*

MEMBRUM VI.

VINUM

Bacchicum somni caussa: Eucharisticum Vigilantiæ.

VINUM vulgare, indeque sequuta ebrietas somnum conciliat, eumque pinguem, altum, profundum, & vel continuum, vel idcirco interruptum ut repetatur, donec in ferreum desinat, & nunquam repetendum. Audistis aliquando cantilenam potatorum.

Vino si te impleveris,
Dormire statim poteris:
Et post somnum, ventriculum
Vino replebis iterum,
Nam Alexandri regula
Praescribit hac remedia.

Nempe, ut ter, vel sæpius uno die inebrieris, & toties edormiscas crapulam, tum verò iterum trahas è poculis affatim, donec ronchos ducas. Quantum autem obsit Militi, & providentiæ bellicæ somnus, non diurnus tantum, sed nocturnus quoque, si sit ut ebriosorum, piger, crassus, marcidusque, rationibus probare non attinet, cùm exempla in promptu sint vetera ac recentia, urbium, castrorumque, & munitissimarum turrium, atque in montibus inaccessis arcium, quæ hostibus cesserunt, vel ob unius soporem, quē in speculâ somnus oppresserat, vel qui in lecto semisopitus repertus ad hostis ingressum prius exiliit. Exempla nuper adduximus sat multa, quibus addatur observatione dignissimum, quod cursum victoriarum Alexandri Macedonis stiterit vinum prodigè potatum, indeque dormiendi libido inexpugnabilis. De eo sic Ælianus. Cum quintâ die mensis perpotasset ,, apud Eumæum: deinde sexta crapulam edormivit: neque plus illo die ,, vixit, quàm ut surgeret, & Ducibus de crastinâ profectione mandata da- ,, ret: inquiens, eam summo mane futuram. Septima post hæc die epulatus ,, est apud Pardiccam, qua se rursus vino ingurgitavit, & octava dormivit. ,, Et decimoquinto die ejusdem mensis iterum indulsit vino, & sequenti, ,, solito more, crapulam somno decoxit. Vigesimo quarto cœnavit apud ,, Bagoam, post tertio dormivit. Ex quo consequitur, ut infert Ælianus, quod Alexander tot victoriis inclytus magno sibi nocumento fuerit, tot diebus potando & dormiendo consumptis. Eundem integrum biduum dormivisse auctor est Athenæus. Tartari autem cùm adest vini copia, potant, ut triduum solidum consopiti jaceant. Quid tandem inde? somnus ferreus, ac æternus. Id expertus Alexander idem. *(a)* Siquidem cùm

 Proteæ

(a) *Lib. X. cap.* 11.

Proteæ cuidam Macedoni egregio calicum trahoni, ultima cænâ poculum, quod duos congios, hoc est, sex nostrates mensuras capiebat, præbibisset, unoque spiritu & haustu ebibisset, Proteas verò Regi basilicè respondisset, alteramque capedinem vicissim propinasset, Rex quidem generosè craterem exhausit, sed morte sibi inde accersitâ interiit. Sic Seneca (*a*) per ebrietatem, & Scyphum Herculaneum extinctum Alexandrum affirmat. Hic fructus Vini vulgaris, Bacchici.

AT Mystici, Sacramentalis, Eucharistici est longè alius. Nam vigilantiam, eamque assiduam adducit: cùm enim omnes vanitatis fumos consumat, dissipetque capitis obscurati nebulas, facit, ut non libeat ordormiscere; sed lubeat vigilanter attentum esse, ac Divina speculari. Hinc qui Eucharistico potu frequenter exhilarantur sunt vigilantissimi: horum enim est illud: *DEUS DEUS meus ad Te de luce vigilo*. Psalmo LXII. Quare tam maturè? dormi aliquantulum amplius: dulcis est somnus, maximè sub auroram matutinus. At non paritur id *Vini mystici* appetentia, & vehementissima sitis, quæ somnum abrumpit: *Sitivit in Te anima mea, quàm multipliciter Tibi caro mea?* Psalmo LXII.2. Hinc Sponsa, quam Dominus induxerat in Cellaria hujus vini, dicebat, etiamsi oculi aliquando sibi clauderentur præ necessitate, animo tamen se semper esse vigilem: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, Cant.V.2. Vnde nunquam superatur ab hoste, qui semper illum in speculâ vigilem, attendentem sibi, explorantem hostis insidias denique, nunquam sopore obrutum, sed semper vigilantem invenit. Est autem maximè necessaria in Militia Christiana vigilantia. Hinc toties à Christo Imperatore præscriptum, *Vigilate*, apud Matthæum: (*b*) *Videte, Vigilate*, & *Orate*, apud Marcum: (*c*) Vigilate omni tempore, apud Lucam. (*d*) Apostolus quoque Paulus *Vigilate*, ait: *& state in fide.* (*e*) Et Apostolorum vertex Petrus: (*f*) *Vigilate in orationibus.* Ac per commonitionem seriam Dominus in Apocalypsi: (*g*) *Si non vigilaveritis, veniam*, denique, *Beatus qui vigilat*, Apocalypsis XVI.

NEGARI tamen non debet, aliquem somnum, eumque altissimum oriri ex Vino Eucharistico largiter potato. Qui *Somnus* vocatur *Mysticus*, quia consequitur Vinum ejusdem denominationis. Verùm, Somnus iste non solùm non obest Militi Christiano, sed plurimum ad officia militaria confert, cùm, ut Richardus Victorinus differit, non sit diversus à perfectissimo amore, quo anima tota absorpta Dilecto suo fruitur, nullis rebus terrenis occupata, aut intenta. *Quod enim facit Somnus exterior circa hominem exteriorem, hoc facit somnus istiusmodi circa hominem interiorem. Somnus corporeus exuperat sensum corporeum: aufert enim officium oculorum,*

(a) *Epist. LXXXIII. Curt. lib. X. Rader. ibi.* (b) *Cap. XXIV.* 42. *XXV.* 14. *XXVI.* 4. (c) *XIII.* 33. *XIV.* 38. (d) *Cap. XXI.* 36. (e) 1. *Corint. XVI.* 13. (f) 1. *Petr. IV.* 7. (g) *Apoc. III. XVI.*

rum, officium aurium, ceterorumq; sensuum atque membrorum. Haud sequus, Somnus mysticus exsuperat omnem sensum mentis, simulq; absorbet omnem cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiã. Quod non contingit, nisi inter amplexus, & in sinu Sponsi DEI, in quo, qui suaviter requiescit, perfectam habet de animæ hostibus victoriam, nec est quod amplius metuat.

MEMBRVM VII.

VINUM

Bacchicum propalat: Eucharisticum velat

PORRO, ut Vini vulgaris potus militibus olim subtrahebatur, quia oportebat eos esse vigiles, ita meritò negari poterat, ut essent secreti tenaces. Dici non potest, quantoperè conducat, ad felicem in Militiâ successum, secreti religio: ea si violetur, turbantur mox omnia, ac pessum eunt. Hinc tanta est cura, ut per exploratores hostium machinationes innotescant: tanta vicissim ab altera parte sedulitas, ne quid evulgetur. Hinc antequam obsideantur urbes, omnia alia finguntur, ac dissimulatur consilium. Hinc tesserarum occulta traditio, & insusurratio. An autem aliquod sit secretum cum Vino Bacchico edicit Sapiens illo suo præcepto quo vinum Principibus & Reipub. capitibus prohibet: *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare Vinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas,* Proverbiorum XXXI. Omnia propalat vinum.

Fecundi calices quem non fecêre disertum?

Quemadmodum utricula tunc sonat primùm, cúm inflata vento turget: ita quidam dum sobrii manent, modesti sunt ac taciturni; sed cum uterus vino inturgescit, sonare incipiunt, immò ore crepitare, & velut Archytæ crepitacula cordis abdita depromere, ac propria, ut ille ajebat, vincta cædere. Sic sæpe sua dum prodit,

Suo indicio perit sorex.

Ac penè semper Vinum, si quod solet, ubi ejus est copia, bibatur liberaliter, sequitur loquacitas: cùmqúe *venter vino infarcitur, lingua diffrenatur,* inquit Papa Gregorius L. Moralium. *Quidam etiam vino utuntur,* ut observat D. Ambrosius, lib. de Elia & jejun. c.7. *tanquam equuleo: & quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant vino, ut patria statum, salutem civium, & defensionis prodant consilia. Virtus enim plerumque vincit dolorem: fidem autem potus excludit.* Scimus aliquos fidiculis dilaceratos nomen suum negasse. At quis inter cyathos texit, quod latere oportuisset, & ille ipse qui potat, voluisset? Quocirca quidam apud Pli-

nium (*a*) Persa, ad exquirendum verum negabat tormentis opus esse, quod vino id facilius & expeditius fiat. Laudat Lyricus (*b*) quendam ab hoc artificio:

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro, Tu sapientum
Consilium retegis Lyceo. Et
Reges dicuntur multis urgere culullis
Et torquere mero, quos perspexisse laborant
An sit amicitia dignus. ————

Commemorat Flavius Vopiscus Bonosum Ducem, si quando negociorū caussâ Regum ac Principum Legati ad se venissent, eos solitum primo aggressu lautissimo convivio, apposita varietate, copiaque vinorum excipere. Quo fiebat nonnunquam, ut mero obruti secretissima quæque suorum Principum consilia, quorum erant conscii, manifestarent, magno dominorum damno. Hæc est expeditissima ratio secreta secretorum extrahendi è penitissimis mentis humanæ latebris. Nam revera, ut habet paræmia Græcorum: (*c*)

Quicquid est in corde sobrii, est in lingua ebrii.

Pulchrè Horatius proprietates aliquot, aut effectus ebrietatis designans, respondet ad quæsitum: (*d*)

Quid nam ebrietas designat? operta recludit:
Spes jubet esse ratas: & in prælia trudit inermem.

Quocirca, ebrio secretum sermonem nemo prudens committit. Caussam attingit Seneca: (*e*) quia *non est animus in sua potestate ebrietate devinctus. Quemadmodum dolia musto rumpuntur, & omne quod in imo jacet vis caloris ejectat; sic vino æstuante, quidquid in imo pectoris jacet abditum, effertur, & prodit in medium.* Ob quam caussam idem alibi tradit, ideo Bacchum vocari proprio nomine Liberum, quod homini salvat omnia pudoris ac taciturnitatis retinacula, nec metu ullo contineatur, ut non quidlibet effutiat. Hinc quoque Eruditi aliqui autumant, Bacchum olim fuisse pictum nudis pedibus, quod exteriora interioraque à capite ad calcem denudet omnia. Prodigii instar est ebrius secretorum sive suorum, sive alienorum tenax. Astutè Seneca, Orator Rhetorum more, cum laudandam suscepisset Ebrietatem, unius alteriusque ebrii meminit, quibus secreta fuerint concredita. *Falsum est*, inquit, *eis, qui fieri ebrius soleat, nunquam committi posse tutò sermonem secretum. Cogita enim quàm multis militibus non semper sobriis & Imperator, & tribunus, & centurio tacenda mandaverint.* Et mox. *Lucius Piso urbis custos ebrius ex quo semel factus fuerat, majorem partem noctis in convivio exigebat: usque in horam sextam dormie-*

(a) *Lib. XIV. cap. 22.* (b) *In arte poët.* (c) *Athen. 1. dypnos. cap. 4.* (d) *Lib. 1. epist.* (e) *Lib. XII. cap. 84. lib. de tranquil.*

dormiebat: hoc erat ejus matutinum. Officium tamen suum, quo tutela urbis continebatur, diligentissimè administravit. Huic & D. Augustus dedit secreta mandata, cùm illum præponeret Thraciæ, quam perdomuit. Tiberius quoque proficiscens in Campaniam, cùm multa in Urbe suspecta relinqueret, & invisa, puto quia illi benè cesserat Pisonis ebrietas, posteà Cossum fecit Urbis Præfectum, virum cetera gravem, moderatum, sed mersum plerumque vino, & madentem adeò, ut ex Senatu aliquando, in quem ex convivio venerat, oppressus inexcitabili somno, efferri debuerit. Huic tamen Tiberius multa sua manu scripsit, quæ committenda ne ministris quidem suis judicabat. Nullum Cosso aut privatum, aut publicum secretum est elapsum. Itaque declamationes istas de medio removeamus: Non est animus in sua potestate, ebrietate devinctus. Sed ludit lepidè Seneca, quà Rhetor, & unius alteriusque exemplo, si tamen vera sunt, quæ narrat, conatur eximere probo Ebrietatem ex vino ortam, quam ejus etiam testimonio constat non posse servare secretum.

CONTRARIUM operatur Vinum Eucharisticum, & ex eo nata Ebrietas mystica, quâ nihil efficacius ad occultandum Secretum. (a) *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* dicit eo madidus. Nam loquacitatem refrenat, garrulitatem damnat, silentium severissimè indicit. Et nemo magis silentium colit, quàm qui Eucharistiâ libenter frequenterque fruitur. Silentium, dico non tantùm exterius, quod est cessatio à loquelâ linguæ, verum etiam interius, quod est cessatio ab omni evagatione cogitationum diversarum, ac tumultu, incurrentium distractionũ. Silet autem *Anima* in interiori cubiculo, post Eucharistiam devotè perceptam, cùm luce & amore crescente, desideriorum patefactio, & opportunorum postulatio cessat, & ad quandam suspensionem intelligentiæ transfertur, & ad ardentissimum amorem loquutiones illas internas impedientem elevatur. Tunc *Intellectus*, præ admiratione veritatis secretæ sibi à DEO communicatæ, aut pulchritudinis spiritualis, tacet: nec discursibus, aut ratiocinationibus procedere vel loqui libet. Tunc *Imaginatio* à Domino ligata, & quasi attonita effecta, mutire non audet; nec per varia divagari præsumit. Tunc *Intellectus*, quasi ferrum à magnate tractum, illi summo bono inspiciendo inhæret. Tunc *Imaginatio*, velut Canis, cui à mensâ reliquiæ sunt datæ, aliud quid, quo pascatur non quærit. Tunc denique *Intellectus* à verbis abstinet, quia quod proferat, nescit. Et *Imaginatio* ab uno illo suavissimo ferculo, in quo esca & potus, ut alia evolvat, non recedit. Breviter. Omnia in homine tacent. Sensus non perstrepit, desideria quiescunt, & intellectum atque affectum in suâ tranquillitate relinquunt. Anima verò sic vacans *sibi ac DEO ruminat, identidem:* Secretum meum mihi; secreatum meum mihi.

(a) *Isaias cap. XXIV. 15.* (b) *Jacob. Alvarez Paz. Tom. 3. lib. 5. p. 3. c. 3.*

MEMBRUM VIII.

VINUM

Bacchicum Stolidos: Eucharisticum Catos reddit.

ADHÆC, Viro militari, maximè si emineat, ac reliquis præsit, necessaria est, cautela, & Sapientia actuosa, quæ & Prudentia; quam imprudens stolidus & stultus expeditionem suscipiat? quem exercitum ducat, regatque? Cordatus sit oportet & sagax, nec insipiens qui ad militiam se confert, & in bello usui futurus. At, qui vino indulgent, indeque temulenti, cor in stomacho habent cùm bibunt, & cùm loquuntur, in linguâ: quod de Asello pisce dixit Aristoteles. Iis in membris nisi cor ipsorum resideat, nullum habent. Sed etiamsi habeant ibi aliquod, sunt tamen vecordes, aut melius excordes: nam *Fornicatio, & vinum & ebrietas auferunt cor*, Oseæ IV. DEUS eorum *venter est* ad Philip. III. & cum DEO cor est, aut sanè non honoratiore loco. Tales D. Basilius Homil de Ebriet. vocat Idola, quia oculos habent, & non vident, aures, & non audiunt: reliqua etiam membra, sed sine sensu: pectus sine corde. Quamobrem Seneca ebrietatem insaniam vocat voluntariam. Et tales idonei sint ad pugnandum? vinciendi sunt, & catenis constringendi, non accingendi gladio. Verissimè pronunciavit Salomon: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas*, Proverbiorum XX. *Quicumq; his delectatur non erit Sapiens*. Qua propter ipse ut esset Sapiens: *Cogitavi*, inquiebat Ecclesiastæ II. *in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum transferrem ad Sapientiam, devitaremq; stultitiam*. An idcirco fortassè Romani non solùm viris in Militiâ, sed etiam extra illam, adolescentibus & juvenibus, teste Æliano, *(a)* usque ad annum XXX. vini usum ademerunt?

AT, Sapientiam, quam tollit Vinum vulgare, tribuit Eucharisticum, quod cælestem communicat. Siquidem ipsa DEI Sapientia & in Pane illo editur, & in Vino bibitur. Sapientia convivium instituit: *Sapientia ædificavit sibi domum: immolavit victimas suas: miscuit vinum & posuit mensam*. (*b*) Sapientia invitat insipientes, ut periculosam in bellis stultitiam ponant. *Si quis est parvulus veniat ad me. Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Iterum, *Bibite*, amici: *& inebriamini carissimi.* Quo-nam inebriemur? Vino-ne, an Sapientia? utroque. *Felix ebrietas, facietas salutaris: quanto copiosius sumitur* Vinum Eucharisticum, *tanto majorem præstat sobrietatem*. (*c*)

(a) *Lib.X.cap.9.* (b) *Prover.IX.* (c) *S. Hier. in Luc.XXII.*

MEM-

MEMBRVM IX.
VINUM

Bacchicum perturbationes humanas indomitas reddit. Eucharisticum passiones sedat & rationi subiicit.

SVPERIORIBVS aliam adjungit caussam Aristoteles. 1. Oecono. cap. 5. cur Militi bibere Vinum non expediat: quoniam *vini potio*, inquit, *etiam liberos homines ad ferociam & injuriam propellit*: immò, furorem caussat, si usque ad ebrietatem potetur. Nihil ferocius ira, quàm Bacchi liquor exacuit: nihil inflammatius, quàm quæ succus in uvâ excoctus accendit: præterquam enim, quod duplici flamma pectus uratur, ratio, quæ cohibere deberet, & ignem extinguere, sopita jacet in ebrio. Quemadmodum igitur pueri re minimâ excandescunt, & tumultuantur: sic ebrii sui impotentes; sed si potentes sint armorum apparatu, & id agnoscant, sæviunt. ALEXANDER Macedo, ut fuit posterioribus temporibus intemperantissimus, ita fuit sævissimus, fidelissimos etiam inter pocula occidens. Unde mutata tandem ejus fuit in bello fortuna. MEZENTIVS quoque, quem sævitiæ armis pugnasse Poëtæ canunt, tyrannorum veterum præcipuus, vinolentus maximè fuisse traditur à Varrone, ut appareat vino sævitiam efferari. Sævire autem non est militum sed ferarum, & si in homine prædominetur, latronum.

AT Vinum Eucharisticum, indeque sequuta *Ebrietas mystica*, animi motus componit; tranquillitatem inducit, ferociam excludit, quamvis fortes faciat. Est enim symbolum concordiæ, pacis, ac caritatis. Unde Eucharistia à S. Ignatio Antiocheno (*a*) dicitur *Pax Christi*. Ac D. Cypriano (*b*) in epistolis suis ad Confessores, idem est, dare pacem lapsis, quod admittere ad Communionem sacram. Et olim pacis ac caritatis erat indicium, mittere Eucharistiam ad Episcopos Romam venientes, ut auctor est Eusebius (*c*) & Nicephorus. (*d*) Inter Pontificales etiam ceremonias una est, ut longè procedens ab Urbe Pontifex, præmittat Eucharistiam mediam inter se, Crucemque. Quod recordor fecisse Clementem VIII. proficiscentem ad recipiendam Ferrariam, Anno M.D.XCVIII. Et de Petro Luna, qui nomen adsumpsit Benedictus XIII. idem referunt Pontificiæ auctores historiæ. (*e*) Huc spectat, quod olim Eucharistia asservaretur in vase conformato ad modum Columbæ, quæ est Caritatis symbolum.

VALET

(a) *Epist.* 14. (b) *Epist.* 10. 29. 30. (c) *Lib.* 5. *hist. cap.* 24. (d) *Lib.* 4. *cap.* 39.
(e) *Angelus Rocca. Durant. l.* 2. *Rituu. Eccl.*

VALET etiam Vinum Eucharisticum, quod verè est sanguis Christi, ad conjunctionem intimam, per conspirationem cum suo Duce, ad omnia cum eodem subeunda pericula, & fœdus militare firmandum. Certè [illegible] ituri ad bellum, conjurationique fœdus sanciebant, roborabantque [illegible] gustato sanguine, ut satis constat ex LIVIO, (a) Sallustio, (b) H[illegible] (c) Solino, (d) Tertulliano, (e) quasi ita significantes quam sint [illegible] fœdere parati vitam, ac sanguinem profundere. Imperator summus Militiæ nostræ est Christus, qui & nos sibi voluit esse conjunctissimos, [illegible] ut sciremus, quàm ille esset nobis, Sanguinem, quem mox effusurus erat, [illegible]tandum dedit, sicut Corpus comedendum, quod traditoribus [illegible] tuis; præbibens ipse ac prægustans, [illegible] hoc unum Sacramentum sumens, quamvis nullum præterea ex suis aliud. Hinc ajebat: [illegible] *desideravi* (quod Tertullianus legit) *Concupiscentia concupivi hoc Pascha manducare vobiscum*. Reliquit autem nobis eundem Potum Castrensem, potum fœderis cum Imperatore, conjurationis contra hostes ejus [illegible]bet. Et non est metuendum fore aliquando, ut Potus Eucharisticus [illegible] ciat aut tot hominum millibus non sufficiat. Est Imperator noster [illegible] opulentus, indeficiens. Rideo profanos, qui Varronem extollunt, ut [illegible] comparabilem, quod mille convivas aliquando totidem aureis [illegible] mutans vasa cum ferculis splendidè tractarit, & octona equitum [illegible] pecunia sua opulentarit. Opulentior infinities est Christus, qui ad myriades myriadum quotidie delicias suas extendit. Ditior Pythio Bithyno, qui Xerxis copias sospites nimirum centena, octoginta octo hominum millia excepit epulo, stipendium quinque mensium, frumentumque [illegible] citus; post quam platanum auream, vitemque mille encomiis ce[illegible] Dario donasset. Locupletior Crasso, cui cognomen, Dives, quod [illegible]nem annuo tueri reditu posset, quùm ipse in agris sestertium M. M. [illegible]deret. Sed quid hæc ad illius opulentiam, qui dicere potest [illegible] *mnes feræ silvarum jumenta in montibus & boves. Cognovi omnia* [illegible] *hæc cæli pulchritudo agri mecum est: meus est orbis terræ, & plenitudo ejus* [illegible] Psalm. [illegible]

ILLE Militibus suis Commeatum. *Panem*, habentem in se omnem [illegible] porem suavitatis, omnemque eduliorum quorumcunque [illegible] & pro Potu Castrensi, *Vinum Eucharisticum* abundè [illegible] Cujus, [illegible] ex mi[illegible]ectus, excellit imprimis [illegible] pro dignitate [illegible] omnibus explicari potest, quod libidinis stimulos [illegible] dat, castitatis amorem ingenerat, tentationes, quæ [illegible] violentissimè impetum [illegible]. [illegible] MILES CHRISTIANE [illegible] [illegible]

(a) Lib. [illegible] (b) Conjur. Catil. (c) Lib. 4. [illegible] de Scythis. (d) Cap. [illegible] (e) Apol. cap. 9.

NOTÆ.

LIBER V.

DOCUMENTA MILITARIA *Militiæ Christianæ.*

COMMENTATIO I.

Documenta Communia.

MEMBRUM I.

Academiæ Dignitas. [illegible] *Problemata.* [illegible] *Industria.* [illegible]

PRIMUM [illegible]

[illegible]

Hæc [illegible]

[illegible] Vel cum [illegible] Vel cum [illegible] Sic [illegible]

[illegible] Apophthegmata [illegible] Ego qui [illegible]

[illegible]

[illegible]

nium (*a*) Persa, ad exquirendum verum negabat tormentis opus esse, quod vino id facilius & expeditius fiat. Laudat Lyricus (*b*) quendam ab hoc artificio:

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro, Tu sapientum
Consilium retegis Lyceo. Et
Reges dicuntur multis urgere culullis
Et torquere mero, quos perspexisse laborant
An sit amicitia dignus. ——————

Commemorat Flavius Vopiscus Bonosum Ducem, si quando negociorū caussâ Regum ac Principum Legati ad se venissent, eos solitum primo aggressu lautissimo convivio, apposita varietate, copiaque vinorum excipere. Quo fiebat nonnunquam, ut mero obruti secretissima quæque suorum Principum consilia, quorum erant conscii, manifestarent, magno dominorum damno. Hæc est expeditissima ratio secreta secretorum extrahendi è penitissimis mentis humanæ latebris. Nam revera, ut habet paræmia Græcorum: (*c*)

Quicquid est in corde sobrii, est in lingua ebrii.

Pulchrè Horatius proprietates aliquot, aut effectus ebrietatis designans, respondet ad quæsitum: (*d*)

Quid non ebrietas designat? operta recludit:
Spes jubet esse ratas: & in prælia trudit inermem.

Quocirca, ebrio secretum sermonem nemo prudens committit. Caussam attingit Seneca: (*e*) quia *non est animus in sua potestate ebrietate devinctus. Quemadmodum dolia musto rumpuntur, & omne quod in imo jacet vis caloris ejectat; sic vino æstuante quidquid in imo pectoris jacet abditum, effertur, & prodit in medium.* Ob quam caussam idem alibi tradit, ideo Bacchum vocari proprio nomine Liberum, quod homini salvat omnia pudoris ac taciturnitatis retinacula, nec metu ullo contineatur, ut non quidlibet effutiat. Hinc quoque Eruditi aliqui autumant, Bacchum olim fuisse pictum nudis pedibus, quod exteriora interioraque à capite ad calcem denudet omnia. Prodigii instar est ebrius secretorum sive suorum, sive alienorum tenax. Asturè Seneca, Orator Rhetorum more, cum laudandam suscepisset Ebrietatem, unius alteriusque ebrii meminit, quibus secreta fuerint concredita. *Falsum est*, inquit, *ei, qui fieri ebrius soleat, nunquam committi posse tutò sermonem secretum. Cogita enim quàm multis militibus non semper sobriis & Imperator, & tribunus, & centurio tacenda mandaverint.* Et mox. *Lucius Piso urbis custos ebrius ex quo semel factus fuerat, majorem partem noctis in convivio exigebat: usque in horam sextam dormie-*

(a) *Lib. XIV. cap. 22.* (b) *In arte poët.* (c) *Athen. x. dymnos. cap. 4.* (d) *Lib. 1. epist.* (e) *Lib. XII. cap. 84. lib. de tranquil.*

dormiebat: hoc erat ejus matutinum. Officium tamen suum, quo tutela urbis continebatur, diligentissimè administravit. Huic & D. Augustus dedit secreta mandata, cùm illum præponeret Thraciæ, quam perdomuit. Tiberius quoque proficiscens in Campaniam, cùm multa in Urbe suspecta relinqueret, & invisa, puto quia illi benè cesserat Pisonis ebrietas, posteà ,, Cossum fecit Urbis Præfectum, virum cetera gravem, moderatum, sed ,, mersum plerumque vino, & madentem adeò, ut ex Senatu aliquando, ,, in quem ex convivio venerat, oppressus inexcitabili somno, efferri de- ,, buerit. Huic tamen Tiberius multa sua manu scripsit, quæ committenda ne ministris quidem suis judicabat. Nullum Cosso aut privatum, aut ,, publicum secretum est elapsum. Itaque declamationes istas de medio ,, removeamus: Non est animus in sua potestate, ebrietate devinctus. ,, Sed ludit lepidè Seneca, quà Rhetor, & unius alteriusque exemplo, si tamen vera sunt, quæ narrat, conatur eximere probo Ebrietatem ex vino ortam, quum ejus etiam testimonio constat non posse servare secretum.

CONTRARIUM operatur Vinum Eucharisticum, & ex eo nata Ebrietas mystica, quâ nihil efficacius ad occultandum Secretum. (*a*) *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* dicit eo madidus. Nam loquacitatem refrænat, garrulitatem damnat, silentium severissimè indicit. Et nemo magis silentium colit, quàm qui Eucharistiâ libenter frequenterque fruitur. Silentium, dico non tantùm externus, quod est cessatio à loquelâ linguæ, verum etiam internus, quod est cessatio ab omni evagatione cogitationum diversarum, ac tumultu, incurrentium distractionũ. Silet autem *Anima* ,, in interiori cubiculo, post Eucharistiam devotè perceptam, cùm luce ,, & amore crescente, desideriorum patefactio, & opportunorum postu- ,, latio cessat, & ad quandam suspensionem intelligentiæ transfertur, & ,, ad ardentissimum amorem loquutiones illas internas impedientem ele- ,, vatur. Tunc *Intellectus*, præ admiratione veritatis secretæ sibi à DEO ,, communicatæ, aut pulchritudinis spiritualis, tacet: nec discursibus, aut ,, ratiocinationibus procedere vel loqui libet. Tunc *Imaginatio* à Domino ligata, & quasi attonita effecta, mutire non audet: nec per varia di- ,, vagari præsumit. Tunc *Intellectus*, quasi ferrum à magnate tractum, illi ,, summo bono inspiciendo inhæret. Tunc *Imaginatio*, velut Canis, cui ,, à mensâ reliquiæ sunt datæ, aliud quid, quo pascatur non quærit. Tunc ,, denique *Intellectus* à verbis abstinet, quia quod proferat, nescit. Et *Imaginatio* ab uno illo suavissimo ferculo, in quo esca & potus, ut alia evol- ,, vat, non recedit. Breviter. Omnia in homine tacent. Sensus non ,, perstrepit, desideria quiescunt, & intellectum atque affectum in suâ ,, tranquillitate relinquunt. Anima verò sic vacans *sibi ac DEO ruminat identidem:* Secretum meum mihi; secretum meum mihi. ,,

(a) *Isaias cap. XXIV. 15.* (b) *Jacob. Alvarez Paz, Tom. 3. lib. 5. p. 3. c. 3.*

MEMBRVM VIII.

VINVM

Bacchicum Stolidos: Eucharisticum Catos reddit.

ADHÆC, Viro militari, maximè si emineat, ac reliquis præsit, necessaria est, cautela, & Sapient● actuosa, quæ & Prudentia; quam imprudens stolidus & stultus expeditionem suscipiat? quem exercitum ducat, regatque? Cordatus sit oportet & sagax, nec insipiens qui ad militiam se confert, & in bello usui futurus. At, qui vino indulgent, indeque temulenti, cor in stomacho habent cùm bibunt, & cùm loquuntur, in linguâ: quod de Asello pisce dixit Aristoteles. Iis in membris nisi cor ipsorum resideat, nullum habent. Sed etiamsi habeant ibi aliquod, sunt tamen vecordes, aut melius excordes: nam *Fornicatio, & vinum & ebrietas auferunt cor*, Oseæ IV. DEVS eorum *venter est* ad Philip. III. & cum DEO cor est, aut sanè non honoratiore loco. Tales D. Basilius Homil de Ebriet. vocat Idola, quia oculos habent, & non vident, aures, & non audiunt: reliqua etiam membra, sed sine sensu: pectus sine corde. Quamobrem Seneca ebrietatem insaniam vocat voluntariam. Et tales idonei sint ad pugnandum? vinciendi sunt. & catenis constringendi, non accingendi gladio. Verissimè pronunciavit Salomon: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas*, Proverbiorum XX. *Quicumq; his delectatur non erit Sapiens.* Qua propter ipse ut esset Sapiens: *Cogitavi*, inquiebat Ecclesiastæ II. *in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum transferrem ad Sapientiam, devitaremq; stultitiam.* An idcirco fortasse Romani non solùm viris in Militiâ, sed etiam extra illam, adolescentibus & juvenibus, teste Æliano. *(a)* usque ad annum XXX. vini usum ademerunt?

AT, Sapientiam, quam tollit Vinum vulgare, tribuit Eucharisticum, quod cælestem communicat. Siquidem ipsa DEI Sapientia & in Pane illo editur, & in Vino bibitur. Sapientia convivium instituit: *Sapientia ædificavit sibi domum: immolavit victimas suas: miscuit vinum & posuit mensam* (*b*) Sapientia invitat insipientes, ut periculosam in bellis stultitiam ponant. *Si quis est parvulus veniat ad me. Venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Iterum, *Bibite*, amici: *& inebriamini carissimi.* Quo-nam inebriemur? Vino-ne, an Sapientia? utroque. *Felix ebrietas, facietas salutaris: quanto copiosius sumitur* Vinum Eucharisticum, *tanto majorem præstat sobrietatem.* (*c*)

(a) *Lib.X.cap.9.* (b) *Prover.IX.* (c) *S. Hier.in Luc.XXII.*

MEM-

MEMBRVM IX.

VINUM

Bacchicum perturbationes humanas indomitas reddit. Eucharisticum passiones sedat & rationi subiicit.

SVPERIORIBVS aliam adjungit caussam Aristoteles. I. Oecono. cap. 5. cur Militi bibere Vinum non expediat: quoniam *vini potio*, inquit, *etiam liberos homines ad ferociam & injuriam propellit*: immò, furorem caussat, si usque ad ebrietatem potetur. Nihil ferocius ira, quàm Bacchi liquor exacuit: nihil inflammatius, quàm quę succus in uvâ excoctus accendit: præterquam enim, quod duplici flamma pectus uratur, ratio, quæ cohibere deberet, & ignem extinguere, sopita jacet in ebrio. Quemadmodum igitur pueri re minimâ excandescunt, & tumultuantur: sic ebrii sui impotentes; sed si potentes sint armorum apparatu, & id agnoscant, sæviunt. ALEXANDER Macedo, ut fuit posterioribus temporibus intemperantissimus, ita fuit sævissimus, fidelissimos etiam inter pocula occidens. Unde mutata tandem ejus fuit in bello fortuna. MEZENTIVS quoque, quem sævitiæ armis pugnasse Poëtæ canunt, tyrannorum veterum præcipuus, vinolentus maximè fuisse traditur à Varrone, ut appareat vino sævitiam efferari. Sævire autem non est militum sed ferarum, & si in homine prædominetur, latronum.

AT Vinum Eucharisticum, indeque sequuta *Ebrietas mystica*, animi motus componit; tranquillitatem inducit, ferociam excludit, quamvis fortes faciat. Est enim symbolum concordiæ, pacis, ac caritatis. Unde Eucharistia à S. Ignatio Antiocheno (*a*) dicitur *Pax Christi*. Ac D. Cypriano (*b*) in epistolis suis ad Confessores, idem est, dare pacem lapsis, quod admittere ad Communionem sacram. Et olim pacis ac caritatis erat indicium, mittere Eucharistiam ad Episcopos Romam venientes, ut auctor est Eusebius (*c*) & Nicephorus. (*d*) Inter Pontificales etiam ceremonias una est, ut longè procedens ab Urbe Pontifex, præmittat Eucharistiam mediam inter se, Crucemque. Quod recordor fecisse Clementem VIII. proficiscentem ad recipiendam Ferrariam, Anno M.D.XCVIII. Et de Petro Luna, qui nomen adsumpsit Benedictus XIII. idem referunt Pontificiæ auctores historiæ. (*e*) Huc spectat, quod olim Eucharistia asservaretur in vase conformato ad modum Columbæ, quæ est Caritatis symbolum.

VALET

(a) *Epist.* 14. (b) *Epist.* 10. 29. 30. (c) *Lib.* 5. *hist. cap.* 24. (d) *Lib.* 4. *cap.* 39. (e) *Angelus Rocca. Durant. l.* 2. *Ritus. Eccles.*

VALET etiam Vinum Eucharisticum, quod verè est Sanguis Christi, ad conjunctionem intimam, per conspirationem cum suo Duce, ad omnia cum eodem subeunda pericula, & fœdus militare firmandum. Certè, olim ituri ad bellum, conjuratique fœdus sanciebant, roborabantque propria gustato sanguine, ut satis constat ex Livio, *(a)* Sallustio, *(b)* Herodoto, *(c)* Solino, *(d)* Tertulliano, *(e)* quasi ita significantes quàm sint pro fœdere parati vitam, ac sanguinem profundere. Imperator summus Militiæ nostræ est Christus, qui & nos sibi voluit esse conjunctissimos, ut sciremus, quàm ille esset nobis, Sanguinem, quem mox effusurus erat, potandum dedit, sicut Corpus comedendum, quod traditoribus erat objectum; præbibens ipse ac prægustans, cùmque ille hoc unum Sacramentum sumens, quamvis nullum præterea ex suis aliud. Hinc aiebat: *Desiderio desideravi* (quod Tertullianus legit) *Concupiscentia concupivi hoc Pascha manducare vobiscum.* Reliquit autem nobis eundem Potum Catholicum, potum fœderis cum Imperatore, conjurationis contra hostes ejus quilibet. Et non est metuendum fore aliquando, ut Potus Eucharisticus deficiat aut tot hominum millibus non sufficiat. Est Imperator noster dives, opulentus, indeficiens. Rideo profanos, qui Varronem extollunt, ut incomparabilem, quod mille convivas aliquando totidem aureis patellis mutans vasa cum ferculis splendidè tractarit; & octona equitum millia pecuniâ sua opulentarit. Opulentior infinities est Christus, qui ad myriades myriadum quotidie delicias suas extendit. Ditior Pythio Bithyno, qui Xerxis copias, septies nimirum centena, octoginta octo hominum millia excepit epulo, stipendium quinque mensium, frumentum[illegible] pollicitus, postquam platanum auream, vitemque mille encomiis celebratam Dario donasset. Locupletior Crasso, cui cognomen, Dives, quod legionem annuo tueri reditu posset, quùm ipse in agris sestertium M. M. possideret. Sed quid hæc ad illius opulentiam, qui dicere potest *Mea sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus & boves. Cognovi omnia volatilia cæli: pulchritudo agri mecum est: meus est orbis terræ, & plenitudo ejus.* Psalm. XLIX.

ILLE Militibus suis Commeatum, *Panem*, habentem in se omnem saporem suavitatis, omnemque eduliorum quorumcumque vim [illegible], & pro Potu Castrensi, *Vinum Eucharisticum* abundè semper suppeditat. Cujus, cùm sint tam eximii effectus, excellit imprimis ille, qui nullis satis pro dignitate sermonibus explicari potest, quod libidinis flammas extinguat, castitatis amorem ingeneret, tentationis quantumvis violentissimæ impetum frangat. Ejus igitur MILES CHRISTIANUS [illegible] nilis fervente, si carnis teneræ irritatione invitante [illegible] tanta

(a) Lib. I. (b) Conjur. Catil. (c) Lib. 4. agens de Scythis (d) Cap. [illegible] Apol. cap. 9.

[illegible]

NOTÆ.

[illegible]

[illegible]

Maximas, aut Dignitates quibus [illegible], disciplinarum principia [illegible] propositiones quasdam [illegible] communem [illegible] [illegible] quod [illegible] [illegible] Vel cum Philologis, Apophthegmata, quo [illegible] [illegible] in quibus [illegible] Vel cum Medicis, Aphorismos, qui sunt [illegible] Medicinae [illegible] Vel cum Jurisperitis, Canones [illegible] [illegible] Vel cum Theologis, [illegible] Sive Sententias capitulis ad [illegible] Vel cum Mathematicis, Problemata, aut Theoremata [illegible] Sic Hebraei [illegible] quia [illegible] quod [illegible] A Latinis [illegible] [illegible] quae [illegible] Auctoritas [illegible] quia [illegible] [illegible] [illegible]

DOCUMENTA MISCELLANEA, [illegible] Apophthegmata [illegible] Graeco [illegible] quod [illegible] quis [illegible] [illegible] [illegible] quidem [illegible] [illegible] idest [illegible] Hebraeis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Christiana [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] [illegible].

MILITES DEI. MILITES SAECULI.

[illegible]

P[illegible] [illegible] Miles [illegible] Dei [illegible] Milites Dei [illegible] Milites [illegible] Mundo [illegible] Milites Spirituales [illegible].

S[illegible] [illegible] Milites Dei & Milites Saeculi [illegible] Dei [illegible].

T[illegible] [illegible] Milites Dei & [illegible].

[illegible] Mundum [illegible] Concupiscentia [illegible] [illegible] Pater [illegible] [illegible] mundus transibit [illegible] manet in aeternum.

[illegible] Tu ille Miles [illegible] Christianus [illegible] Deus [illegible] Christo [illegible]

[illegible] Miles Christianus [illegible] necessarium est [illegible]

[illegible] Deus [illegible]

[illegible] Deus [illegible]

[illegible] Miles Christianus [illegible]

(a) [illegible]. (b) [illegible].

[illegible] Quibus [illegible] Canticorum [illegible] [illegible] Vincentio [illegible] Columba [illegible] Pastore [illegible] [illegible] Catholicae [illegible] quod [illegible] quod [illegible] [illegible] [illegible] Beda [illegible] [illegible]

[illegible] Regina [illegible] Maria [illegible] [illegible] [illegible] Sed [illegible] quadam [illegible] [illegible] Quid [illegible] Quid [illegible] [illegible] [illegible] S. Ioannes [illegible] [illegible] [illegible] Quod vero Ioannes [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ad Reginam [illegible]

[illegible] Robertus Cardinalis Bellarminus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] S. Ioannes [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] Congregationis [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible] eorum essent. Hæc & alia permulta comprehenduntur in illo verbo: *Neminem concutiatis*; id est, neminem vi adigatis ad ea facienda vel toleranda, quæ [illegible] agere, vel pati. Hæc injuria [illegible] frequens [illegible] apud Milites, ut [illegible] esse possim. Nam cum aliquando [illegible] facerem, per regionem, ubi bellum gerebatur, & peterem à rusticis, vel etiam à [illegible] à quibus [illegible] Respondebant à neutris: omnes enim inimici nostri sunt, & sæpe nobis magis sunt infesti, qui dicuntur amici, quàm qui dicuntur hostes.

SECVNDO, [illegible] Militibus *Calumniam* dicens: *Neque Calumniam faciatis.* Hoc est alterum [illegible] laborant. Sæpe fit, ut [illegible] quosque calumnientur esse exploratores, vel hostes, vel transfugas, [illegible] ulla ratione [illegible] spoliant, aut [illegible], vel captivos faciant. Et quoniam infelices illi non habent testes innocentiæ suæ, coguntur vel redimere vexationem [illegible], vel certè, pati crudelissimam [illegible]. Ac utinam! illi non essent in castris Christianorum [illegible]. Pro quibus [illegible] de medio boni Principes laborare deberent.

TERTIO, docet Præcursor Domini Milites omnes, ut contenti stipendiis [illegible], alienum non [illegible]. Subjexit Bellarminus: utrum milites, qui S. Joannem audierunt, [illegible] præstiterint, nescimus: illud scimus. Temporibus nostris non [illegible] *Salubria Documenta* [illegible], & à paucis observari [illegible] ubus, in quibus hyemare, vel ad tempus morari [illegible] necesse est, non leve detrimentum civibus adferri. At fortasse non numerantur militibus stipendia in tempore, & ea caussa est, cur cives [illegible] ad ea [illegible] ministranda, quibus milites indigent. Hoc quidem fieri [illegible], ut milites non habeant in tempore stipendia sua; sed interim Justitia [illegible] non habet. Et DEVS qui omnia videt, & in statera justa [illegible] perdet eos, qui malè agunt. [illegible] igitur Principes dare operam, ut militibus debita stipendia sua numerentur. Et tunc, si S. Joannis præcepta milites non implent, in eos sic animadvertere, ut discant stipendiis [illegible] esse, & civibus, apud quos habitant, molestiam nullam a[illegible].

[illegible] Milites, si præcepta illa sui Magistri custodiant: [illegible] sit [illegible] meruerit plurimos, inquit, scribens ad [illegible] Militiæ Ducem, Ferdinandus [illegible]: Verum tamen [illegible], si ipse [illegible]. Scilicet, neminem concutiens, [illegible] faciens, contentus stipendiis tuis. Nam profectò, Dux [illegible] major erit, tanto magis & [illegible], & ca[illegible] & [illegible]. Hinc plerumq; [illegible] bus [illegible], hinc gravissimæ crudelitates: hinc [illegible] artibus [illegible] compendia, hinc [illegible] alias in [illegible]: hinc remissio in præliis, hinc totius Respublicæ diminutio.

MEMBRVM III.
HOSTIS PLANE EXPUGNANDUS.

PRIMVM DOCVMENTVM. Decernat quilibet inferre bellum Peccato (quo nomine omnes Animæ hostes designantur, Cacodæmon, Mundus, Caro, Concupiscentia) & apertis occultisque insultibus tam diu agere, donec hoste planè subacto, & expugnato, gloriosam referat victoriam. Item. Ad bellum contra Peccatum eunti, firma sit voluntas, non desistendi à pugnâ, donec hostis sit omninò devictus. Vsurpet quotidie illud bellicosissimi Regis *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant.* (a) Ad quod necessarium est, ut dicere possit cum eodem bellatore: (b) *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Confringam illos, nec poterunt stare.* D. Heronymus legit: *non poterunt surgere*, id est, iterum se erigere, resistere, repugnare. *Cadent subtus pedes meos.* pedibus subijciam eos, & conculcabo, ne iterum caput attollant. Quod de Spiritualibus adversariis, de motibus carnalibus, de tentationibus, & maximè de peccatis, S. Augustinus, aliique Patres intelligunt. Hanc quilibet Miles Christianus *voluntatem* habere debet; sed haud ociosè addidi, oportere eam esse *firmam*, nempe, propositum masculum & efficax: non quale exprimitur languidis illis verbis: *Velle adjacet mihi*, ad Romanos VII. quasi dicat, adest mihi velle, sed jacens. Docent Theologi duplicem esse voluntatem, nempe, efficacem & inefficacem. Hæc dicitur non tam voluntas, quàm velleitas, quæ in multis cernitur immò, in omnibus; qui non sunt profligatæ conscientiæ, nec dati in reprobum sensum. Quis est ex omnibus meis Auditoribus, qui hanc non præseferat?

Mi Adolescens, visne in posterum abstinere ab excessu in cibo ac potu? non ingurgitare te esculentis? non inebriare te vino, in quo est luxuria? Audio responsum: ita, Pater; & eodem die fortasse, etiamsi sacra Communio mane præcesserit, post meridiem, vadit ad tabernam, potitat, inebriatur, vomit, cadit, domum nisi natitans redire nequit, aut nisi portetur. Est-ne hoc habere voluntatem firmam? O Adolescens! expertus es quantum mali tibi attulerit mala illa fædissimorum ac nequissimorum juvenum societas: quomodo te deceperit, quomodo gravissima scelera suaserit, quomodo ad tam multa dedecorosa tibi viam aperuerit, quomodo penè in malorum barathrum te præcipitarit. Vis post hac ab eâ te separare, & bonis conjungere? Volo, Pater, inquit, per caput hoc juro, nunquam amplius me cum iis videbis. Vix elabuntur dies duo, & itur in antiquam silvam,

(a) *Psal. XVII. 38.* (b) *Psal. XXXVIII. 22.*

vam, ubi stabula alta ferarum: agitur cum detractoribus, blasphemis, impudicis, perjuris, immò, scurris, hæreticis, decoctoribus, cum lupis, ursis, vulpibus. Carissime Juvenis, vis emendare te tuosque mores seriò? ut non ludas amplius aleâ, non jures in posterum, per animam, fidem, Sacramenta; ut non devoveas post hæc vel te, vel alios Diabolo, quod est tam nocivũ animo & corpori, metuoque ne DEUS statuat in te exemplum, quo demonstret, quantoperè sibi displiceat; ut non blasphemes DEUM, quod est peccatum gravissimum. Volo, Pater, ait, sed subsequente mox die vacationis, ea fiunt ac dicuntur ab eodem quæ oculos auresque spectantium & videntium vulnerant. Fili mi, scis quò te luxus, luxuriaque perduxerit? est actum de æternâ salute tuâ, nisi aliam vitam instituas, nisi averseris omnem turpitudinem, nisi contineas linguam ab inhonestis sermonibus, mentem à fœdis cogitationibus, & oblectationibus, manum à mollitie, pedes à grassatione. Vis omnibus istis nuncium remittere, & castè vivere? Respondetur. Volo, Pater, ne ambigas. At paullò pòst, offerunt se occasiones, & ecce, ac si nunquam proposuisset emendationem, fertur in omne genus impuritatum. Hæc non est adolescentiæ tantùm, sed virilis etiam ætatis pernicies.

ITAQUE sunt quàm plurimi, qui contra Vitia belligerare se velle dicunt, sed demonstrant exiguum, ac languens desiderium victoriæ: non voluntatem, sed Velleitatem: ideò non præstant, quod in ipsis, & quantum in ipsis est. Judicant non furandum, & furantur: non mentiendum, & mentiuntur: non blasphemandũ & blasphemant: non scortandum, & scortãtur: non inebriandum, & sese inebriant. Judicant Mundũ sibi esse deserendũ, si salvi esse velint, & nunquam illum, vel affectu, vel effectu deserunt. Hi non arripiunt contra hostes arma opportuna, nec quærunt præsidium auxiliumque, & idcirco nunquam victoriam obtinent. Habent autem meras Velleitates, & nullus ex iis voluntatem efficacem, ideoque, si loquendum sit ex rigore Theologiæ, nec velle habent. Nam, ut docet Augustinus: (a) Non dicendus est velle, qui quod potuit, non fecit. Et sanè portenti simile est, hominem ratione utentem, ac sobrium, ex unâ parte velle, ex altera sibi non obsequi, nec voluntatem suam exequutioni mandare. En monstrum, & *quale monstrum*? exclamat Augustinus. *Imperat animus corpori & paretur statim. Imperat animus sibi, & resistitur. Imperat animus ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium. Imperat animus, ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Unde hoc monstrum, & quale illud? Imperat ut velit, qui non imperaret, nisi vellet, & non fit, quod imperat.*

(a) *Libro VIII. Confess. capite 9.*

MEMBRUM IV.
NULLUS HOSTIS CONTEMNENDUS.

SECUNDUM DOCUMENTUM. Nunquam contemnatur hostis cujuscumque sit conditionis. Contemptus oritur ex superbiâ, nimiaque animositate, & generat negligentiam, quæ si in castris locum habeat, facilè vincitur miles & deletur exercitus. Exemplum illustre dat Atheniensis Respublica. Trasybulus indixerat bellum triginta tyrannis, qui Athenas oppresserant. Contemnebant hostem, ut putabant, minutum, & ea propter contemptibilem. Ille progreditur paucis comitatus: habebat secum non plures, quam triginta commilitones; quibus Castellum Atticæ Philen occupat. Et hoc, inquit Probus, initium fuit salutis Atticorum: hoc robur libertatis clarissimæ civitatis, Contemptus scilicet, qui contemnentibus perniciei, & despecto saluti fuit. Hoc enim illos ad persequendum segnes. Trasybulum verò ac socios tempore ad comparandum dato fecit robustiores. Quocirca præceptum illud omnibus in Militiâ agentibus debet esse commendatissimum: Nihil in bello oportere contemni. Periculum venit cum contemptu, ajebat quidam, experientiâ fortasse doctus.

Imbelli noceat cui mollis araneus ictu?
Et quis non rigido tactus ab angue cadat?
Huic tamen incumbens victrix dominatur arachne
Et vastum tenui perforat ense caput
Vnde fit ut coluber parvo cadat ictus ab hoste?
Languebat serpens & vigil hostis erat.
Quam facile est struere insidias nil tale timenti?
Est quod ei metuas: cui metus omnis abest. (a)

ITAQUE nullus est hostis contemnendus, ut in profanâ, sic, & multo magis, in sacrâ Militiâ. Quantæ sint vires Cacodæmonis, quanta calliditas, quod robur, quæ artes, quoties victoriam à fortissimis etiam ac peritissimis in Militiâ Christiana heroibus reportarit, omnibus notum est. Quàm potens sit Caro ad superandum Spiritum, quàm astuta ad imponendum Voluntati, quàm subdola ad trahendum in suas partes Rationem, experiuntur viri in eadem Militiâ versatissimi. Quomodo Peccatum quodlibet mortale insidietur animæ, quibus artibus illam subigat, quo pacto, quamvis resistatur aliquamdiu, illâ devincat exemplis quotidianis probatur, Quare non est, quod quisquam, licet peritissimus bellandi, ullum ex iis per contemptum despiciat.

MEM-

(a) *Catius Emblem. Eth. 36.*

MEMBRVM V.
SECURITAS AMANDANDA A CASTRIS.

TERTIVM DOCVMENTVM. Nunquam post indeptam etiam victoriam de hostibus, securus agas, nisi vinci velis. Securum voco, qui anxietate & cura omni caret, ideoque non timet, etiamsi periculum immineat.

Mollia securæ peragebant otia gentes.

canebat de quibusdam Ovidius 1. Metam. quod si in castris, vel campo imitentur milites, quamvis tuti videantur, non procul absunt ab exitio. Nullibi magis est noxia securitas, quàm in Militiâ. Sententiolæ sunt versibus illigatæ, omnes verissimæ. Vtinam animis inscriptæ essent singulorum militum.

Creberrimam cladem attulit Securitas.
Nemo opprimitur celerius, quàm qui nil timet.
Omnis ferè est incautior Securitas.
Periculum Securitatis filia est.
Sæpe obfuit Securitas victoribus.

Vnde Romanorum in hac renotans providentiam & accurationem Poëta, dicebat:

Corde adhuc trepidat Romanus, re licet benè gesta.

Vt idem faciant omnes, qui opprimi nolunt, aut rideri, suggerunt ista:

Fele dormiente ducunt & choreas musculi.
Magna nulla est absque magnis viribus Securitas.
Navis anchoris duabus quæ stat fluctuat minus.
Benè anchoris duabus navem fulcias.
Omne si futurum incertum est. quænam ulla est Securitas?
Ne loco confide, portu sæpe trabs fracta in suo est.
Tunc coronanda est carina, salva ubi portum subit.

Quod maximi exercitus deleti, urbes munitissimæ captæ, regna & Imperia amissa, fecit Securitas. Alexander Magnus post commissam in Peparetho navalem pugnam, in spem adductus, se Athenas capere posse, sine custodiâ, periculi nihil metuentes, vacuosque curâ cives considerans, mandavit eis, qui in navibus erant, ut celeriter in Piræum ad Digma naves appellerent. Athenienses securi, amicas naves esse rati, nullam earum rationem ducebant. Illi egressi mensas diripuerunt. Sutrium bis eodem die captum fuit: (*b*) evenitque ut Thusci, qui oppidum ceperant, admitterent; & qui amiserant, opera id recuperarent Camilli, qui summa festinatione, victis

(a) *Athenæ. Polyenus lib. 6.* (b) *Plutar. in Camil.*

victis acie Latinis, & Volcis, Suttium contendens, hostes securos, & vino somnoque sepultos cæcidit.

VT omittantur vetera, contigerunt admiranda, aut potius pudenda in hoc genere nostro tempore, Christianis contra Turcas prælrantibus. Anno M.D.XCIV. die IX. Septemb. Turcarum circiter decem millia Danubium partim navibus, partim lignorum fasci bus trajecerunt, Christianosque in insulâ Scuthiâ, securè dormientes ex improvisò adorti, duo circiter millia virorum, fœminarum, calonum, & lixarum interfecerunt, reliquos fugarunt; eorum munitiones occuparunt, tentoria, quadrigas, commeatum, pulverem sulphureum, tormenta bellica, & omnem pecuniam. quæ paulò ante ad stipendia militum advecta erat, suæ potestatis fecerunt : mille circiter currus, ducentas naves benè oneratas, & instructas, præter decem triremes, in quibus erant cxx. tormenta bellica Christianis interceperunt. Dux primarius, qui tunc exercitui præerat, proceres, & tribuni militares, vix per fugam elapsi sunt Acceptum eo die damnū in bonis æstimabatur quingentis florenorum millibus. Hic fructus est securitatis in Militiâ belli tempore. Eodem anno, cùm Laurinum obsiderent Turcæ quattuor millia Tartarorum Equitum inter Jaurinum ac Comorram, Danubium, præmissis equis, è quorum caudis pendebant, & acinaces nudos in ore, in dextrâ sclopleta gerebant, tranarunt. His adjunxerunt se sex millia Turcarum, qui colligatis arboribus umbilico tenus incumbentes, pedibusque remigantes, fluvium superarunt ac Christianorum propugnaculum, in quo securi agebant nostri, occuparunt. Quinque machinis bellicis in eo potiri sunt, quas conversas statim in Christianorum castra disploserunt. Hoc Securitatis præmium

HINC inter stratagemata militaria, est, Securitatem hosti inijcere : Securum hostem opprimere : Securitati fovendæ tempus dare, nec subitò invandere : immò, victoriam aliquam concedere. Ita fecit Artemisia Cariæ Regina in urbe Halicarnasso à Rhodiis obsessa. Cùm enim Halicarnassus duos haberet portus, altero hostes ingredi, & partem urbis capere permisit ; altero autem portu per occultam fossam in eum egressa, quem hostes ceperant, & ubi classem nil tale metuentes inanem reliquerant, ut omnes majore compendio prædæ, operam dare in urbe possent, ipsa totam cepit, atque palantes Rhodios, prædaque impeditos omnes occidit. Tum Rhodia classe militibus suis instructa Rhodum navigavit. nulloque obstante, quia exercitum ac classem, quam Halicarnassum miserant, redire arbitrahantur, in terram egressa, facilè Rhodum cæpit atque diripuit. Innumera sunt ejus generis exempla per omnium gentium sparsa historias.

SED reverâ, Securitas in Militiâ profanâ, minus, quàm in sacrâ est damnosa, in quâ malum infert sæpe numero irreparabile, & plures perdit. Quis numerum ineat eorum, qui turpissimè, quoniam securè agebant, superati

sunt

sunt & manus Peccato dederunt, in omni statu, conditione, sorte, bellatores alioqui fortissimi? Quare monet Scriptura Divina, ut cum metu & tremore salutem nostram operemur, ad Philip. II. 12. ut semper simus pavidi: ut vigilemus semper. *Vigilate* inquit Dominus, Matthæi XXIV. Vigilare nos Dominus propter adventum & insidias hostis admonuit, & orationum assiduitate detentos, omnibus præceptorum suorum operibus inhærere. Hostem enim nostrum constat esse Zabulum ad struendas nobis insidias, & detrahenda ex nobis spolia pervigilem, ut ea securis & incuriosis nobis ac somno deditis auferat. Nunquam simus securi, neque in ullo loco. Nam in cælo Angeli superati sunt. In Religione, ubi habitant Angeli terrestres, estque locus, si quis in mundo reperitur, penè tutus, sunt devicti aliquando quidam. In templo, loco sacro-sancto multi in potestatem hostium veniunt. In ipsis Confessionum tribunalibus, quis credat? vinci se patiuntur nonnulli: dum tacent subdolè quæ dicenda essent: dum mentiuntur interrogati: dum decipere conantur Conscientiæ præsidem, mutatione, narratione, fictione. Sed DEUS omniscius non decipitur, nec irridetur. Neque simus securi ullo in tempore: quia nullum est tam sacrum, quo Cacodæmon aliquos in fraudem non pellexit. Neque post ullam victoriam, quia post quamcumque, dum in vita mortali agimus, superari possumus, donec tandem post ultimam contra Carnem, Mundum, Cacodæmonem victoriam, videamus, & amplectamur DEUM Deorum in Sion, eoque securissimè perfruamur in secula seculorum. Amen.

MEMBRUM VI.

BELLUM CUM PECCATO IRRECONCILIABILE.

QUARTUM DOCUMENTUM. Bellum Militi Christiano contra Peccatum sit æternum. Moses postquam Josue fugasset Amalec, dixit: *Manus solii Domini, & bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationem.* Exodi XVII. 16. id est, extensione manus super solium in quo est gloria Majestatis divinæ; juro bellum æternum fore mihi, & meis cum Amalec. Græcè est, πόλεμος ἄσπονδος, bellum irreconciliabile, & internecinum, quam diu erit Amelec superstes. Idem dicendum Militi Christiano, cum juramento: Bellum Domini mihi erit, & ἄσπονδος πόλεμος, contra Amalec,: nempe, contra Carnem, Mundum, Peccatum, in æternum. Atque hoc est bellum Domini: nimirum, quod DEUS imperavit, quodque Dominus per nos gerit. Juro, quod *Persequar inimicos* illos *meos, & comprehendam, & non convertar, donec deficiant.* Hostes fugientes insequar, & assequar, capiamque, neque ante persequi desistam, donec penitus deleam, frangens vires eorum, ita ut resistere non valeant, sed

victi

victi prostratique succumbant, ac jaceant sub me. Id servabit [illegible] bellum cum Peccato & ejus adhærentibus nobis est æternum. [illegible] persequatur [illegible] Id bellum [illegible] est: a Deo mandatum. [illegible] DEUS Hebræis, [illegible] intelligens [illegible] promissæ terræ possessionem [illegible] Levit. XV [illegible] 8. [illegible] magis id nobis mandatum existimare [illegible] de [illegible] spiritualibus impedientibus possessionem cœli [illegible] quam [illegible] Vita [illegible] Militia est. Job. [illegible] nunquam sagitta nostra, sicut Jonathæ, redeat [illegible]. 2 Reg. 1. 22. *Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis*, proclamabat Saul, cum [illegible] armatus in hostes [illegible] 1 Reg. XIV. 24. At ipse maledictus fuit a Samuele, quem gratulans benedictum nominabat, quia pepercerat contra præceptum Domini [illegible] typum superbiæ & luxuriæ gerenti, quem Samuel in frusta concidit [illegible] XV. Achabo Regi, inimicum Benadab Syriæ Regem quia [illegible] rat dignum morte, pronunciavit Propheta futurum ut anima [illegible] pro anima illius, populus ipsius pro populo illius. 3 Reg. XX. 42. [illegible] litæ potiti victoria, & Rege Moab incluso non recessissent, [illegible] dem experri hostem non fuissent. lib. IV. Reg. [illegible] 26. 27. Non [illegible] est virtus benè uti, quàm potiri victoria: Victoriæ [illegible] persequi, quàm eam [illegible] Exemplo præ ceteris ad Dyrrachium [illegible] qui Cæsarem, ipso [illegible] Cæsare, perdidisset, si bene victoria [illegible] fuisset, ut narrat Appianus libro secundo de bello civili. Ad nostrum institutum facit, quod Hugo Victorinus in Psalm. XXXII. intel[illegible] Davidis [illegible] propositum de peccatis, ac tentationibus: docet [illegible] carnales esse persequendos, originis eorum radices subtiliter [illegible] & quò tendant, perspicere studendo, & à consensu [illegible] nec hunc ab instantia boni operis, ante subjugationem [illegible]

[illegible] jungit, *Perfecto odio oderam illos*: nempe capitales [illegible] nostros Peccatum, & ejus asseclas. Chaldæus habet [illegible] vel *Consummatio odii* [illegible] summo, & quanto [illegible] moraliter in eo genere [illegible] perfectissimo ad exscindenda vitia & concupiscentias [illegible] [illegible] epist. 50. hoc odio persequendum esse [illegible] [illegible] absolutè *Inimicus* vocatur, Luca x. 19. [illegible] XIII. [illegible] illorum odia etiam perpetua & [illegible] gerenda esse cum [illegible] Serpente [illegible] sunt, nec [illegible] Christiano contra [illegible] ad consummationem, ut sit odium, bellumque æternum.

Notæ

NOTÆ.

In quibus Auctores, & omissa.

[illegible]

COMMENTATIO II.

DOCUMENTA MILITARIA

Deum & Pietatem spectantia.

[illegible] [illegible]

[illegible] Miles Christianus [illegible]

MEMBRVM III.
HOSTIS PLANE EXPUGNANDUS.

